
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
BIBLIOTECA
12
1 L
18



QVÆSTIONVM PHYSICARVM, CONTROVERSARVM inter Peripateticos & Rameos, TRACTATVS;

IN QVO DISCEPTANTVR OCTO quæstiones, ex illis quæ de Elementis nuper vt inaudita protulit contra Aristotelem

IACOBVS MARTINVS SCOTVS Dunkeldensis, Philosophiæ apud Taurinenses in Anglia professor publicus:

CVM

Præfatione Guilielmi Tempelli, Cantabrigiæ philosophi; quæ itidem ad veritatis normam exigitur:

Exercendi ingenij, & naturalium exactius noscendorum gratia disputata ab

ANDREA LIBAVIO HALENSI SAX. MEdico, & in inclyta Academia Ienensi professore publico.

Collegii Romani ... Soc. Iesu Catal. inscr.





FRANCOFVRTI
Apud Ioannem Feirabendium impensis Ioannis Wecheli & Petri Fischeri sociorum

M D LXXXXI.



Quæſtionum hoc libro diſceptatarum catalogus.

1 *Quanam ſit Ariſtotelis ſententia de ortu ſimplici primo & abſoluto.*

2 *An Elementa oriantur ſimpliciter ſecundum Ariſtotelem, ita vt fiant ex materia prima & qualitate tactili.*

3 *De definitione Elementi.*

4 *An ex Elementi definitione, quam poſuit Ariſtoteles, hæc quæ vulgo dicuntur Elementa, pro Elementis habenda eſſe, recte ſit demonſtratum.*

5 *De Elementorum numero.*

6 *De Elementorum adiunctis, grauitate ac leuitate.*

7 *An omnia Elementa ex ſe fiant mutuò.*

8 *De modo quo putat Ariſtoteles ex ſe mutuò fieri Elementa facili difficilive tranſmutatione.*



NOBILITATE EXImia, grauitate dignitateq́; præclara, & prudentia ſpectata ornatiſsimis viris & D.D. Conſulibus & Senatoribus celebratiſsimæ optiméq. conſtitutæ Reipubl. Rotenburgotuberanæ, Dominis ſuis officiosè colendis;

Andreas Libauius M.D.P.C.Prof.Ienæ, Summam felicitatem.



VAM pręclare paſſim, viri generoſi & conſulti, commendentur à magnis ingeniis ij, quorum vel induſtria & ſollerter diſciplinis optimis imbuta informatáque indole, hominum ſocietas, nō tantum inſtituta laudabiliter eſt, ſed & conſeruata egregiè: vel quorum opera, ſtudio, re, fide, ſi ipſi fato aliquo ſiniſtro non ſat liberaliter literis ſint exculti, tamen inuitantur, adhibentur, alunturq́; homines eruditiſ-

ſimi, quorum adminiculo conſtantur reſpublicę, & florent: nulli, niſi cui humana parum curæ ſunt, puto eſſe incognitum. Eo vſque enim euehuntur ab omnibus qui aliquem guſtum fructus ex beneficio eorum profecti, perceperunt, vt proxime Deum collocati, non indigni Diuum appellatione meritò exiſtimentur. Tanti nimirum eſt, demereri benè: tanti opera ſua & induſtria hominibus prodeſſe; vt qui id fecerit, is diuinum quid & Deo dignum iudicetur præſtitiſſe; quod omnis generis reuerentia laudéque ſibi perſequendum putant omnes. Accepimus itaque paſſim non iniuria tantopere prædicatos Solones, Lycurgos, Amphionas, Theſeos, alióſque quamplurimos rerumpublicarum parentes, publicóſque Græcorum hominum conſeruatores, ἀλεξικάκους ϗ εὐεργέτας. Sed & Romanarum ciuitatum principes, & Imperatores, patres patriæ, optimarum authores ſocietatũ, quibus nunquam

quam ſat laudis ampliſſimæ potuit tribui, inuenimus tantum non vltra ſummum Deum ſubuectos. De noſtræ patriæ ornamentis, benefactoribus optimis, quid dicam? An nullus eſt, qui iſtis veteribus non tam nominis ſplendore & immortali memoria, quàm beneficiorum maximorum profuſione liberaliſſima meritò poſſit & debeat anteferri? Nemo veſtrum, viri Nobiles & Conſulti, à me expectet exempla & nomina eorum, quorum facta in omnium oculis conſtituta, virtutis excellentiſsimæ ſunt argumenta euidentiſſima: aut quos non minoribus ornandos eſſe foliis, cõuincit rerum ipſarum admiratio perpetuo conſeruata. Illud cogitandum cuique relinquo, belline artibus res tantas conſecuti ſint, an gubernandi peritia, & ſecundum optimas leges & inſtituta ſapientum hominum agendi. Videntur equidẽ mihi tantum præſidium bellica ſtudia, quanquam ſæpe vnicum ſunt ſocieta-

tis conſeruandæ remedium, atque ob id ſua laude neutiquam priuanda, non habere. Etenim ferociſsimi non minus hoſtes, quam bellorum duces quidam ex noſtris præclariſsimis, paruam vim ad domeſticam tranquillitatem, niſi aliis ſimul adiuti ſint adminiculis, continuiſſe ſunt deprehenſi. Mundi horrores, calamitates, peſtésque & feralia tonitrua humani generis dicũtur fuiſſe Attilas, Tamberlanes, & alii plurimi. Quam hi Rempubl. conſtituêre? Multas euertêre, reliquerunt nullam; adeo vt ſecummet ſimul regni ſui viderint finem. Nec id mirum; literarum humaniorúmque diſciplinarum erant rudes: omne in ferro præſidium, ſtipatoribúſque armatis, quo ira & furor animum dominandi cupidum impelleret, collocarunt. Rerumpublicarum autores contra, quicquid in his colligendis laudabiliter geſſerunt, id literis & ſcientiæ egregiæ ferre acceptũ non erubuerunt; indéque longè ſolidiorem gloriam

gloriā apud posteros inuenerunt. Hoc obseruātes vos, Viri Generosi & Amplissimi, Reipublicæ vestræ ita consulitis, vt citius mundum finis, quam Rempublicā vestram barbaries sit inuasura. Non enim ipsi tantum ex doctißimorū virorum numero cum maxima vestrum laude estis, sed & iuuentutem ita educari in omni artium piarum honestarúmque genere curatis, vt nō citra æternæ laudis memoriam, dignam proauorum moribus posteritatem, & fulcra ciuitatis vestræ sitis relicturi. Scholā aperuistis patriā; in qua quāta fide erudiatur adolescētia, testātur tot iuuenes, quos paßim in Academiis TVBINGENSI, WITEBERGENSI, & in hac nostra IENENSI deposito [redacted] gaudente, non contemnendis sumptibus sustentatis. Verè mihi isti ludo vestro competere videtur illud, quod olim de Isocratis, Atheniensis Oratoris domo, magno cum supercilio iactitarūt Græci & La-

tini; ex eo nimirũ, veluti ex equo Troiano, imò plantario Eccleſiæ & Reipublicæ, prodire innumeros veræ pietatis patriæq; veſtræ cuſtodes: quo ipſo quàm ſolida meritorum veſtrorum iacta putatis fundamenta? Quos in noſtra Academia, Salana nempe, educatis adoleſcentes, ij mihi hactenus ita probauerunt ſtudia ſua, vt non ſolum de tãto vobis bono gratuler, verumetiam animum meum ita dudum declarauerim, & iam hoc ipſo ſcripto teſter, vt abundè pateat me alumnis veſtris, atque adeo toti veſtræ ciuitati quã optime velle. Bis iam ad vos nomine ſtipendiariorum veſtrorum, literas dedi. bis animos veſtros erga hanc Academiam præclarè affectos ſenſi: adeo vt ea res maximè i[redacted]ſcripto aliquo in publicũ edito omnibus iſtam beneuolentiam conteſtatã reddere, in tali præſertim materia, in qua ego priuatis lectionibus ſuperiore anno pluribus, qui veſtro fruũtur beneficio, pro-

deſſe

desse studui, & in aliis pro ea quam mihi diuina gratia concessit, facultate, adhuc inseruire sum paratus: quæ quidem in eum quoque cedunt finem, vt ad grauiora præparatum cuiusque discentis ingenium, tum sophismata, veritatem oppugnantia, agnoscere & diluere assuescat, tum per crebras disputationum exercitationes acumen iudicij & facultatem in aliarum quoque materierum nodis dissoluendis consequatur. Magnus est conatus Rameæ factionis in opprimenda veritate naturali, per Hippocratem, Galenum, Aristotelem & alios horum studiosos explicata: adeo vt non immerito perturbari ingenia adhuc tenera possint. Sed quo maior ipsorum est in eiusmodi re factitanda audacia, eò promptior debet esse nostrorum in defendendis & à deprauatione vindicandis disciplinis sinceris vigilãtia: id quod à me, qui ingenio & natura non abhorreo ab exercitiis eiusmodi, idque studio con-

firmaui, nō arbitror omnino esse alienum. Conscripsi igitur Quæstionum naturalium primam hanc partem; & potissimū ea ad limam reuocaui, quæ cōtra vetustatem in lucē emisit Oxoniensis Angliæ philosophus, Iacobus Martinus Scotus; qui de Elementis fabulosam quandam concinnitatē veræ sententiæ opponere conatus est, atque ingeniis quibusdam scrupulum non mediocrem iniecit. Eum laborem, non ingratum futurum adolescētibus studiosis, sub vestrarum Generositatum & Amplitudinum auspiciis in lucem prodire pati velitis: animum eius, qui vos obseruātissimè colit, & nomini vestro immortalitati consecrando omne afferre studium satagit, non aspernati.

Valete. Scriptum Ienæ, postridie Misericordias Domini; qui dies erat 4. Maij, iuxta veterem computum, Anni 1590.

AD

AD LECTOREM DE Præfatione Tempelli contra Aristotelem.

DE artium constituendarum forma, quantis viribus decertatum sit, & adhuc inter sese digladientur ij qui eruditorum nomen sibi arrogant, non est obscurum. In omnibus enim scholis Philosophicis, non tantum verane Methodo exposita sint a veteribus scientiæ quaritur, sed & qua debeant informari, quamq; rectè, magnis cũ conatibus vltro citroq; disputatur. Non mediocrem studijs discentium eam rem scrupulum inijcere putandum est. Cum enim in vtramq; partem videantur inclinare rationum pondera grauissima, aut dum vtram sequantur ambigunt; tum de vero profectu suo dubitare coguntur, tum a discendis porrò distinentur, impediunturq; infeliciter: aut si ingenia in vtroque genere exercitata vident, temporumq; nostrorum necessitatem cognitionem vtriusq; requirere animaduertunt, accidit vt pro vno labore ipsis exhibeatur geminus, ipsiq; non rarò maiorem vitæ partem tantum in discenda Methodo consumant. Deprehendimus studiorum iacturam hanc in multis. Etenim cum apud veteres in vnaquaque scientia absolutissima inueniantur ingenia; apud nostros eorum magna est penuria, fereq; ad nugas inanes & friuola sophismata

tota

tota studiorum liberalium sinceritas peruenit: id quod videre est in congressibus disputationum, in quibus a multis adolescentibus etiam absurda themata infeliciter ex male intellectis (nam perfunctoriè eos legunt, & ex præcipiti arripiunt doctrinas) authoribus descripta, pessimis defenduntur cauillis, idq; opera datur vt χρησφυγετοις καὶ τερετίσμασι versatilibus, quæcunque veritas in dubium vocetur, & contrà falsa axiomata fuco illita, pro veris obrepant. Solida hæc existimatur sapientia; & qui ambiguis sermonibus ludere potius, quam statuere didicit, in omnium est admiratione. Persuasum mihi hoc est, rationis a teneris statim annis informationem sinceram, fundamentum esse ad omnium disciplinarum genuinam cognitionem optimum: quod vt cõsequatur adolescens, vnicè debeat elaborare. Excolitur ratio inuentionis & iudicij facultate præclara; quas duas partes sibi Logica scientia vindicat. Huius itaque præsidium sat dextrè est comparandum. Verùm cum duæ nostris temporibus sint potissimum Logicorum factiones, Aristotelea & Ramea; inter eos quorum fidei commissa sunt tenera ingenia, cõstare debebat, vtri potissimùm sit adhibendus adiungendusq; discipulus. Dubitare enim & gladiatoriè contendere, videtur ineptissimum esse, & inconsultissimum. Nam cum idem vtriq; factioni propositus sit finis, nempe bene vsurpandæ rationis artificium; ad quod vtroque modo licet peruenire: contendere de eo, perinde se habet, ac viatoris secũ diuturna deliberatio & cer-

tamen

tamen, vtram ex propositis vijs duabus, ad vnum locum contendentibus, debeat insistere; cum fortassis æquè secura, expedita & cōpendiosa sit vtraque. Ostendunt ante Rameam expositionem tot præstantissimæ industriæ eruditionisque laudatissimæ viri, quantum sit in Aristoteleis præceptis, quibus ipsi ad Rationis culturam sunt vsi, præsertim si interpretes non nimis fuerint odiosi, ad exactam doctrinam præsidij: idque nostræ Scholæ vestigijs iisdem insistentes, experiuntur subinde. Sed & Ramea Methodus ingeniosissimis non displicet; inueniunturq́; qui terminos & modum descriptionis eius pro valdè eruditis habent, & felicibus. Vnica dissensionum iurgiorumq́; materia est contendendi ille infinitus & ferè capitalis furor, qui non in hoc tantum sed & in reliquis omnibus nimium sibi indulget. Dum enim sua intempestiuè stabilire satagunt Ramei quidam, & non discipuli sed iudices veritatis, olim ex profundissimis tenebris erutæ & explicatæ diligenter, esse, tantum sibi permittunt in aliena scripta licentiæ, vt ea impunè arrodere, eludere & criminari non erubescant; idque sæpe non tam verè quam iniustè. Patet ad oculum hoc ex multorum conatu. Inuenit Aristoteles partim partim illustrauit sedulò Logicā Philosophiam. Successerunt alij qui in elaborandis ingeniosè inuentis, omnem impenderunt operam; adeo vt Peripatetica disciplina nostro seculo si pergere acriter velimus, nihil possit esse occultius. Ramus quoq́; poterat aliquid in eius explicatione præ-

stare: sed dum labefactare fundamenta infeliciter cupit, incrementa prohibere, atque adeo inuiso suo dente omnia impulsa euertere & prosternere; nihil aliud efficit, nisi vt damnata rabies eius omnibus fiat inuisa, ipseq; author etiã cum vtili suo labore (Logicen puto) à multis scholis exulet: nec adhuc receptus à plurimis foret, nisi spreto furore eius & deriso, cõmiseratione potius quàm odio dignus à viris sollertibus habitus fuisset. Non defuerunt iam olim quoq;, quibus quædam non placerent: & quis Aristotelem in omnibus salua veritatis lege amplecteretur? Sed cum sine acerbitate ab eius sententia discederent, non in minore admiratione & dignitate fuerunt, quàm author ipse, cuius ductum & auspicium primum erant secuti. Facerẽt ita hodie illi, qui Ramum non tam in arte enucleanda, quàm latrando & aliorũ scripta euertẽdo sequuntur; & potius excolere ipsi scientias, maleq; formatas forma propria exornare, quàm improbis maledictis famam aliorum lacerare mallent: benignius fortassis & gratius ab eruditis exciperentur, tractarenturq;. Est in eorũ numero & TEMPELLVS, *Cãtabrigiæ Philosophus; cuius scriptis ecquam artem à Peripateticis acceptam, expolitam beneuolè vidimus? At insectatus est omnes; idque morsibus vt acutis (ceu creditur) ita virulentissimis, partim etiam stoliditate non carentibus. Testatur illud ex vepreculis Taurinensibus progressa nitedula* IACOBI MARTINI, *quæ dentem suum adhuc primo lacte madidum in Aristotelem stringere non*

est verita; idq; præsidio paulo ante dicti Tempelli, qui in præfatione libro cuidã eius præfixa, omnem artificiosam rerum tractationẽ Peripateticis adimit, & nescio quæ portẽta monstrosissimorum fœtuum assignat. Accusantur ab eodem trium scientificarum legum violatarum: idq; conatur ostendere ipse in Logicis, Physicis, Metaphysicis, & alijs, quæ omissa partim, partim peruersè tractata esse pronunciat contra sanctionẽ duarum priorum legum καθ' αὑτὸ καὶ καθ' ὅλου: tertiam, quæ est κατὰ παντὸς, neglectam, à Iacobo Martino argui asserit; cuius indolem prædicat eximiè. Gratiæ Tempello & Iacobo Martino; quòd nobis monstrare errores Aristoteleos tantopere sint solliciti; quasi tam stupidi nos simus, vt istud citra admonitionem quærere supersedeamus. Sed quæso te, Tempelle, quãdo tantopere de nostris studijs anxius es, non hoc tantum age vt conuicijs tuis infamis fiat Aristotelica veritas, sed potius digna Philosopho grauitate, ipse secundum exactissimam Methodum, præceptis necessarijs & immotis, Physicen aliquam nobis præsta: præsta & Ethicen, & alias artes quas hactenus sputo tuo viruleto conspuisti: & te virum prædicabimus. Diagramma BEVRHVSIANVM, *quod est in Pædagogia eius, nondũ placet; nec satisfecit* SCRIBONIVS *& corrector eius* BRIGTHVS (*quẽ tamen nescio quo pacto mirificè amplector, ob ingenuam veritatem, quam pro Aristotele contra futiles præceptiones Scribonij defendit*) *in Physicis æquè ac in Medicina nondum regulas istas vestras assecutus.*

Tu

Tu aliquid tenta: ne in te dicamus illud vulgatum, μαμεῖαδ᾽ εὔκολος, μαμεῖαδ᾽ δύσκολος. Cur autem adeo Peripateticos insectaris, & istos tuos socios teterrimis erroribus & monstrosissimis prodigiis mirificos, relinquis intactos? Sed ô ridiculum caput, dum Philosophum grauissimè de rebus Physicis aduersus varia veterum commenta deliriaq; disputantem intra istas tuas malè meherculè multorum iudicio detortas regulas coërcere, & pro vberrima disserendi copia ieiunam & puerilem ei obtrudere κενοδοξίαν tantopere eniteris. An tu verò putas, id quod requiris in Physica, ab illo homine præstari posse aut debere? Negas inesse artificiosam descriptionẽ Physiologiæ Peripateticæ? quid ni neges, homo ad ieiuna scholarum sophismata & bonorum autorũ perniciem natus? Non cõformauit Philosophus suas disputationes ad vniuersaliũ & immotorum leges, quas malè ad integras artes traduxit Ramus: at ne debuit quidem; nec in tanta tum ingeniorum sententiarumq; varietate, tum rerũ obscuritate potuit. Reprehẽdis ἀκρόασιν; vtpote cum tuo tã elimato iudicio videatur contra machinam vniuersi conficta insolentius. Equidem Tempelle, valde insolenter disputat tibi tuisq; Aristoteles; cuius sententiam non aliter ac qui in specu Platonico capite alligato, rigidaq; ceruice, vix vmbrã rerum videt, vmbratico aspectu soletis percurrere & de ea tanquam bene meditata pronunciare. Assuesce phrasi Aristoteleæ; nec tibi videbitur insolenter fingere. Ecquid autem aduersus mundi machinam

insolẽter confinxit? An illa est toties arrosa & neutiquam physicè aut refutata aut refutanda, etiamsi rumpatur Ramus (tantopere enim commouetur) æternitas? Nempè hinc illæ lachrymæ, quod tamdiu furibundi & insanientes Ramei, nondum invenerunt ex Logica sua, quo possent illud paradoxon solidè redarguere. Omnes neruos intendit Ramus: æthiopem dealbauit; omnes furias commouit, & ad Aristoteleam pernitiem instigauit: laterem lauit. TEMPELLVS pari violentia paribusq; instructus armis in Liblero vires expertus est: actum egit. Nondum enim persuasit. Quid ita verò? Quia nempè Natura perpetuitas mundũ specie oriri non permittit: nec physicis argumentis contra Aristotelem quisquam profecit. Nostri Theologi in hoc non admodum laborant. Non enim physicis principijs ad demonstrationẽ ortus mundani, nec præternaturalibus sed diuinis testimonijs & adiunctis Maiestatis potentiæque conditoris vtuntur. Vndè ipsis mundus nec κατὰ *nec* παρὰ φύσιν *est ortus*, *sed* ἐκ προαιρέσεως καὶ δυνάμεως τοῦ ἄνευ τῆς φύσεως κτίσαντος θεοῦ. *Et hoc (opinor) poterat etiam Aristoteli persuaderi, nisi naturam veteres semper miscuissent cum Dei potentia. Sed pergis & inanem vocas Aristotelis de causis physicis præceptionem. Quasi verò ei non licuerit, de Natura, arte, & fortuna dicturo* ἀκροάσεσι *suis paulò altius causas repetere.*

Naturam autem scimus in naturalibus materiam vel formam esse, quarum motus est ad finem *Eadem est Brigthisententia, vt*

constet quā bene inter Rameos cōueniat.

certum & perfectum quantum fieri potest: Cur de his non ageret, acturus de Natura? An magis in hoc culpādus Aristoteles est, quàm Collegæ tui, Rameos accipe, apud quos in tantæ necessitatis Logica nondum constat, utrum natura, ars, consilium, necessitas, physicæ sint contemplationis necne? Si vocabula ferre non potes, age esto tam fœlix & relicta Aristotelea materia, forma, agente, finali, causis Logicis, alia impone nomina; ut res physicas à Logicis possimus discernere. priuatio vos Aristotelea mirificè agitat. Tanta vis est in eo etiam quod ferè nihil est: quantos moueret crabrones id quod reuera est? Tu eam fabulosam concinnitatem appellare non erubescis. Atqui in physicis necessaria. Nihil enim potest mutari, nisi priori formæ cedenti succedat altera, quæ res physica, est priuatio; principium ob id dicta. Si displicet vocabulum, quo alio id nomine appelles, expecto. Carere re ipsa naturalium contemplatio nequit. De motu doctrina quam in Acroamaticis explicauit philosophus, aridum tibi sophisma est. Liceat tibi hoc temere garrire, qui in disputatione illa ieiuna & ex Rami commentis descripta contra Liblerum, nondum pinguem es consecutus gloriā. Mira verò tibi cùm Magistri tui placitis est consensio. Diu is Aristoteleum in physicis motum, idq; qua potuit virulentia exagitauit, & ex physico cāpo eundem expulsum hortis Logicis insecuisse videri vult. At interim Astrologiæ motum suum non adimit, neque etiam physicis sensibilibus aliis. Sunto eiusdem

Scribonius Ramus etiā motum in physicis habet: Consentit et Briginus. Atq; solus Aristoteles peccauit. 7. Scho. 2. Physic. 2.

6. Scho. physic. c. 1.

eiusdem diſciplinæ naturalis partes diuerſa, Aſtrologia, vt vult Ramus, prima ſummaq́, phyſica ipſa ſpeciatim ita dicta (Nam vtitur vocabulo ita & Ramus); ſi vtriq́ competit motus, quem fatetur NIHIL ALIVD ESSE PRAETER merum NATVRAE fœtum: Cur non philoſopho licuerit τὴν τῶν καθόλου *obſeruare & generale ſeu ſpeciebus commune communiter tractare, perinde vt fecit in Acroaſi? Si etiam tantum largitus eſt Ariſtoteli RAMVS, cur tu id adimis eidem? Eáne eſt iudicij veſtri neceſſitas? De tempore languidum & eneruatum Theorema in phyſicis comprehendiſſe Ariſtotelem aſſeris. Atqui, diſputator, eximie, veſtrum hoc axioma eſt, ea quæ ſunt* καθ' αὑτὸ *neutiquam eneruata & languida cenſeri. Sunt autem talia in doctrina rerum naturalium, adiuncta & effecta eorundem. Si itaque naturale ſubiectum eſt phyſicæ contemplationis, cur non adiunctum eius, tempus? Non autem phyſicos limites tranſgreſſus eſt in eo deſcribendo philoſophus, cum omnibus non phyſicis, tempus phyſicum adimat; quæque Logica erant ad Categorian Quando redigat. Sed de his diſſeremus tractatu alio, ſi vitam produxerit DEVS. Ad* μετὰ τὰ φυσικὰ *ſimili carbone ſignãda te confers. Fateri in his nos oportet, philoſophũ ex ſcientijs ſpeculationis hanc tertiã, eamq́ præſtantiſſimam ſtatuiſſe. Cumq́* τῇ φυσικῇ *aſſignaſſet* τὰ τῆς κινήσεως ἔχοντ' ἀρχὴν ἐν ἑαυτοῖς οὖσι: τῇ δὲ μαθηματικῇ μένοντα μὲν ἀλλ' οὐ χωριστὰ *ſeu* τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως ἐν τοῖς αἰσθητοῖς *ex quib. ſunt numeri,* συμμετρίαι, στιγμαί, ἐπίπεδα *& alia*

10. *Metaphyſ.c.3.4.*
b. 2. Phyſicorum.c.2.
5.Metaphyſic.c.1.

οὐχ ᾗ ὄντα, ἀλλ᾽ ᾗ συνεχὲς αὐτῶν ἕκαστον: *huic scientiæ, quam appellat modo* σοφίαν *modo* θεολογικὴν, *modo* μετὰ τὰ φυσικὰ *&c. Subiecit* τὸ ὂν ᾗ ὂν οὐσίαν χωριστικὴν καὶ ἀκίνητον, εἴπερ ὑπάρχει τις τοιαύτη. *Huic subiecto videntur respondere principia rerum, Numeri, Ideæ, substantiæ, & maximè* τὸ θεῖον καὶ ὁ θεὸς *de quo plurimum agit libro duodecimo: de principijs etiam Theophrasti Metaphysica vt plurimum est; & de abstractis æternis Theologia nuper Aristoteli ascripta. Mistæ sunt ipsis variæ contentiones & ambiguitates, ferè etiam nomenclationes seu interpretationes quorundam ambiguè dictorum, & quæ alia videntur esse partim Logica, partim physica, aut etiam Mathematica. Admissum sit in his plurimum* ἑτερογενείας *& confusionis: Veterum contra quos disputandum fuit, ea culpa est, qui si non confinxissent rerum nusquam existentium somnia eaque pro formis existētibus nudis Scholis obtrusissent, poterat fortaßis philosophus synceriora documenta in istis libris prodidisse. An autem tam atrociter in authorem erat debachandum? An nihil excusationis merebantur tempora & disputantium conditio, &, vt Ramus solet nominare Appelliconis tineæ? Ita Homogeneam legem præteritam ostendis. Ad Catholicam accedis. Hanc quoq; violatam indecenter à Peripateticis in expositione physiologica demonstrare satagis. Cur hoc inquam? Nempe augustius videntur tibi constituisse rerum physicarum subiectum CORPVS MOBILE, Cum physice tam lam latè patere debeat, quàm latè*

Naturæ

Natura. Quaeso te, physicè acutè, defini nobis Naturam cum tuo Ramo, vt possimus id quod asseris liquido iudicare. Ramus Naturam inter causas efficientes ponit: Num ergo, TEMPELLE, debebat physicus in physicis tantum de efficientibus naturalibus dixisse, atque ita Chaos quoddam logicū genuisse? Id ne futurū κατὰ πάντος fuisset? φύσις maximè propriè generationem notat παρὰ τὸ φύειν, an de hac debuerat docuisse tantum? Significata illa quatuor de efficiente, materia, forma & toto composito Ramus in 2. Schol. phys. 1. exagitat, Ecquid ergo physicum tandem est? An id quod sensibile est, sicut in philosophia Aristoteli permittit Ramus, & Iacobus Martinus confirmat? At inquā hoc idem erit corpus istud mobile. Cum enim natura definitur ἀρχὴ τῆς κινήσεως, κίνησις autem sit τοῦ κινητοῦ: necesse sane est, vt materiatum mobile, sit naturae subiectum, cui accidit esse sensibile. Non enim vt sensibile, sed vt mobile in se, naturale dicitur. Quod si sensibile quoque physicum per se non est, neque etiam totum compositum, de quo dicitur quod φύσει sit, sed non φύσις: si etiam nec materia, nec forma, nec efficiēs, quaeso TEMPELLE, expone quid sit φύσις. Interim quia consentaneum est te consentire cum eo, quem commendasti, dicamus (quam tamen sententiam nec καθ᾽ αὐτὸ agnoscimus, nec ipse Tempellus retinere per formam & animam & circulos Astrologorum potest) id physicum esse, quod sensibile est, id quod est tantum per adiuncta: Num his instrumentis res sensui fiunt obuiae &

Hoc autem attingit materiam & formam naturalem. Cū enim principium dicit quod est motus, formam designat: mobile est ipsa materia: Vt ita Ramei hic eodem in scirpo quaerant, & explodēdus sic Scribonius cum ampla sua definitione.

 uiae &

uiæ & percipiuntur; quomodo ergo Catholicam legem violarunt peripatetici? Amplitudinem Naturæ inquis, non assecuti sunt, sed quædam quæ erant naturalis speculationis omiserunt. Quæ natura ista TEMPELLE? Nam mihi persuasum est, quicquid in sensus quinque (nisi tibi plures sunt perinde vt quidam naturæ sensum excogitarunt) rerum exteriorum & singularium incurrit, à physicis esse pertractatum, siue id in cælo esset, quod quidem erat subiectum cognitioni humanæ, siue in terra. Ita philosopharis: Nihilne natura constare dicetur præter corpus mobile? Quid rerum formæ?

Ramei scyllā vitaturi incidunt in charybdim.

Respondeat hic Brigitho Eruditus censor.

„ quid anima? Nihil hic è corpore concretum est, ni-
„ hil è permistione Elementari constitutum. At cuius
„ tandem artis erunt, si de physica depellantur? certè nullius. Adhuc tua verba. Quæris an nihil constet natura præter corpus mobile, hoc est, vt ex hypothesi interpretamur, an nihil in sensus incurrat præter corpus motui subiectum, vt indè possit esse tractationis physicæ. Imò nihil Tempelle. Nā quicquid sensib. percipitur, aut corpus est, aut virtus in corpore, eaq; talia vt moueri possint. Atqui, inquis, Formæ naturam habent; Animæ habet naturā: & quicquid naturam habet, id naturalis est contēplationis. physicus ergo tractare de forma & de anima debebat. Molestus es cum ænignitatis tuis; Ecquā formā intelligis? Nū eam quam Logici causam, quæ dat esse rei, appellant? Neutiquā tam fatuus opinor eris; Nam eā ex Logico Regno Ramus non dimittet; neq; is, quā inter efficientia habuit, patietur formale.

malem fieri. Num ergo substantiam aliquam absolutam & sine materia consideratam, qualem etiam formam appellant, sed χωριστὴν accipis? Atqui ita iterum vel ad Logicen vel Theologiam transires atq; immeritò ex physica tractatione Deũ, Angelos Diabolos excluderes. Quid ergò restat; nũ affectiones? Atqui eas, quatenus sunt physici corporis adiuncta nullus excludit physicus, adeo vt magnam omnib. faceres iniuriam, si accusares eos violatæ legis Catholicæ. Hactenus autem hypothesis nostra non respondit. Non enim formæ & animæ sunt sensibiles res. Sed fortaßis tibi non conuenit neq; cum Ramo, neq; cũ Martino Scoto & peculiarẽ aliquam physicẽ requiris, quæ de animis quoq;, nõ vt sũt in materia, & substantiæ pars quadã, sed vt per se cõsiderãtur, commẽtationis instituat. Talis in rerũ natura nondũ est, & expectabimus istum fœtũ ex te genitore. Sed plura attexuntur, ex quib. qualę nã monstrum parturiat tam bellus physicus manifestũ fieri poßit. In physica debebat extare tractatio Astrologica, quã cum creduntur omisisse peripatetici ita notantur censura Tẽpelli: Nullo, inquit, iudicio Astrorũ scientiã & cælestium affectionũ suauißimã cognitionem omiserunt. Si quis sit qui stellas, stellarumq; affectiones in rerũ naturalium numero habendas esse non putat, is quid sit naturale plane ignorat. Verũ quid est, quòd de cælo tam copiosè ab illis peroretur, de cæ ,, li autem partibus & affectibus altum silentium te- ,, neatur? An non eiusdẽ est artis totũ definitione cõ- ,, prehendere & partes affectionesq; totius exponere? ,,

Quos includit Scribonius: quam rectè & verè, ostendit magister eius.

Scribonius aliquid conatus est, sed is fœtus nimium infelix & præmaturus est: Sicut reliqua quæ Scriboniana Vidimus.

Adhuc TEMPELLVS. Paulò ante accusaue-rat peripateticos omissæ doctrinæ de anima, at mox pœnitentia facti ductus idem reuocat, & ἀυλοχαλαχειοίᾳ *fatetur animæ disciplinam eos multis persecutos esse: idē hic facit. De cœlo multa perorari ab Aristoteleis confirmat; at de astris eos nihil dixisse, neq; de affectionibus stellarū autumat. Quæ te TEMPELLE, necessitas cogit frigidū calidumq; eodem efflare ore? Quis te cogit mentiri? An nihil de cœlo, de stellis, de stellarum motu, lumine, adiunctis alijs effectisq; à peripateticis est disputatum, & tantum quidem quantum tum fieri potuit, tùm physica scientia visa est requisiuisse? Tres libros de cœlo, rebus cœlestibus compleuit philosophus; persecutus est plura alibi vbi de causis generationum & corruptionum disputat. Non omisit eadem libri de mundo author, Turba interpretum idem est conata: & posterioribus temporibus cum Astrologicam scientiam, quàm Aristoteles cum quibusdam alijs ex Mathematicis,* φυσικωτέραν *appellat, sibi propriam vendicarent, & in eadem plurimum elaborarent, multum adiuuerunt physicorum studia, ita tamen vt hi figmenta eorum, quibus apparentium rationes inuestigant, neutiquam amplecterentur. Quid ergo, num cœlestium doctrina ab illis est spreta? Imo exculta tanto maiore cum studio, quanto videbatur esse intricatior. Neq; tamen hic vltra humanam potuit ascendere industria; id quod & philosopho non mediocrem iniecit scrupulum. Conqueritur enim de difficultate*

tate

tate eius intentionis, quod cogatur πόρρωθεν θηρώμενος ποιεῖσθαι τὴν ζήτησιν. πόρρω δ' οὐχ ἧττον τῷ τόπῳ, πολὺ δὲ μᾶλλον τῷ τῶν συμβεβηκότων αὐτοῖς πέρι πάμπαν ὀλίγην ἔχειν αἴσθησιν; quod idem etiam eſt in .1. de partibus animalium c.5. Et quis quæſo noſtrum eſt, qui exploratum omnino habeat, num in circulis materiatis, an ſphæris, an per ſydeream naturam moueantur corpora cæleſtia, quos planetas vocamus? Cui planè cõſtat, ſit ne ſol centrum reliquorum erronum nec ne? Quis de varijs effectis indubitatam poteſt afferre cauſam? Non ergo mirum eſt, ſi phyſici tacere potius, quam figmenta hominibus obtrudere in tam arduis voluerunt. At quæ aſſequi potuerunt, ea omnia ad amuſſim ſunt explicata.

Quod ſi plenius quid requiris, TEMPELLE, age, cum tuis ſcientificis regulis in cælum aſcende, & neceſſaria immotaq; axiomata, velut alter prometheus indè ad nos defer & artem conſtitue, mirabimur induſtriam. Atqui poſtulas commentationem de Horizonte, de Meridionali, Zodiaco, Aequatore, reliquisque circulis, nempe Parallelis, Tropicis, Coluris: Cur non & axe, polis, cæli domibus, & quæ adminicula ad inueſtigationem horum ex Arithmetica & Geometria aſſumuntur? O phyſicorum paradoxorum mirificum architectum.

Adeo demens Scribonius nunquam fuit, quanquam Tempello inferior induſtria.

Quæſo te Tempelle, Ecquod ſubiectum naturalis ſcientiæ nobis obtrudis? Ecquod illud eſt, quod habeat conſiderationem formarum, animæ, circulorum cæleſtium, qui in re ipſa nihil ſunt; & tantum ex imaginaria Aſtrologorum hypotheſi à Geome-

tris ſumpta dimanant? An non pulchram nobis fabricas ἑτερογένειαν *(ſi heterogenia eſt appellanda)* καὶ πολυχανδὲς *platonicū aut* μῖγμα καὶ πανσπερμίαν *Anaxagoream? Mathemata Ariſtoteles duum generum facit, alterum magis phyſicum, cuius ſunt*

k. Phyſ. 2. 10. Metaph. 3. & 4.

Aſtrologia, Optice, Harmonice ij alterum, quod magis ἐν ἀφαιρέσει, *vt loquitur, vel* χωρίσει, ἢ ἀπολήψει, *in quo ponas Arithmeticen & Geometriam, quas ſolas pro Mathematicis agnoſcit Ramus, & Aſtrologiam ſine hypotheſibus requirit. Quod ſi verum eſt cadentib. hypotheſibus, nonne cadent etiam circuli iſti imaginarij & puncta in cælo? Quòd ſi hi neq; in phyſica, neq; in Aſtrologia locum habebunt, vbi niſi in Geometria aut quod verius eſt ars nulla niſi forte poetica? Geometria enim circa lineamenta, puncta, plana, ſolida, eaq; ſeparata quidem, at in corporibus metienda, experienda, & ſumenda occupatur. Siue ergo iam Ramum, ſiue Ariſtotelem ſecutus fueris, quo pacto euades, quò minus confudiſſe phyſica Mathematicis aut alijs dicaris? Atqui tu tam ſtrenuus legis eras* καθ' αὐτὸ *obſeruator? Sed fortaßis te non rectè damno. Sunt enim plures ex Rameorum grege, qui id ipſum longe vehementius improbant & oppugnant: quod & ipſum eſt legum ſcientificarum per quas* RAMEI ARTES CONSTITVVNT, *euidentißimum argumentum. Hæc de lege Catholica, in qua pulcherrimè redijt telum in ipſum authorem. Sequitur lex vltima, quæ eſt* κατὰ παντὸς. *Hanc quoq;*

negle-

neglexerunt Peripatetici TEMPELLO iudice. O stupidos Aristoteleos, qui Rami portenta adeo neglexerunt, cum fugere eos rerum Logicarum explanatores diligētissimos nulla dictarum legum posset. Sed qua in re illa lex est prætерita? Sat monstrorum edidit Tempellus, ad Martinum demonstrationē defert. Is quo est ingenio, non erit instrenuus, id quod nostra cum eo disceptatio ad oculum patefaciet. Vellem autem vt Tempellus prius perlegisset & diligenter attendisset partum illum Martini præmaturum: fortassis inuenisset eum nō adeo palato & naribus respōdentem. Cui enim demandatur prouincia ostendēdi Aristoteleos lapsus circa legem κατὰ παντὸς, is non nisi omnes turpiter & magna cum audacia temeritateque ferè in crucem agit. Attendamus quædam tantum. Propositum ipsi erat demonstrare Aristoteleam generationem esse nullam, quia nec Elementa nec mista secundum eam orirentur. Verùm peregrina multa immiscuit, vt de graui, leui, definitione Elementi & alijs: quæ est Lex καθ' αὑτὸ Carthusianis longè rigidius obseruata. Negat Elementorum esse generationem, interim aquam & aerem mutuo transmutari asserit; quod est κατὰ παντὸς. Acturus de Elementorum generatione, & mistorum, definitionem debebat præmisisse; Et postea de numero seu diuisione disputasse, & sic deinceps de affectionibus; atque hic est ὕστερον πρότερον iuxta legem Catholicam. Reliqua longè absurdiora reseruamus ad suum locum. Et sic ille bonus demonstrator

contra

contra legem veritatis & iustitiæ deprehenditur & mendax & iniustus. Sed hæc de præfatione TEMPELLI. *Est autem opera precium par pari referre & non tantum Aristotelea examina audire, sed & quædam in ipsorum examinatorum scriptis accuratius perpendere & in lucem proferre.*

Quod quidem nobis hanc vtilitatem afferet, vt sciamus, num reprehensores nostri omninò sint extra noxam; & quid veri habeant illa tam magnifica de legum scientificarum sanctitate præconia, verè ne requirantur ad artium constitutiones, an tantum fumi nobis offundantur. Nam si artium philosophicarum Doctores sint aut Aristotelici, & hi quidem simul inuentores; aut Ramei, qui simul non inuentores sed deceptores; necesse est, si neq; illi neq; hi legibus istis quid constituerunt, aut potuerunt constituere, non immeritò totum istum tam splendidum commentum corruere. De Aristoteleis audiuimus, pauca de Rameis addamus. Nam exactior demonstratio differetur in locum commodiorem. Asserũt isti, quanto cum conatu possunt, artium formam esse Methodum certam & veram. Quicquid ergo non quadrat ad hanc id in artis essentia neutiquam erit atq; adeo extra artem. Methodus autem ipsis est Dianoea axiomatum homogeneorum quæ sunt non tantum per se vera enunciata, ita vt fidem ex nullo alio habeant, sed & affirmata & necessaria: perinde vt Ramus vult, artium axiomata debere esse κατὰ παντὸς, *quæ nihil negatum,*

gatum,

gatum, nihil partitulare, nihil contingens admittunt, cum omnia sint necessario affirmata; ita vt contrarium asserere, sit id quod impossibile est adstruere, quod qui facit, quo in ordine eum habeas alio, quam insipientium & stultorum? Sed & καθ' αὑτὸ καὶ καθόλου ea esse autumat, vt ita nulla dubitandi ratio in vlla artis particula, nulla quærendi sit relicta; verum omnes sint perfectæ & iudicatæ scientiæ. Hanc gloriam si quis in arte constituenda verè assecutus sit, eum non immeritò diuinum voces, & proximè Deum valdè admireris. Oportet enim (non singula examinamus, sed tantum ἐν παρόδῳ quædam attingimus) eundem ipsas rerum essentias, causas intimas & adiuncta perspexisse & omnia effecta cum varijs adiuuantibus, accurrentibusq; aut etiam impedientibus cognita & perspecta certissimè & infallibiliter habere, quod cuius est nisi DEI? Si quæsiverimus sintne hoc assecuti in Logicis, Grammaticis, Rhetoricis, Physicis, Medicina, Mathematicis & alijs artibus, quas videntur constituisse, Ramei homines, statim occurrit ex humano adiuncto proprio, eos id neutiquam nec potuisse præstare. Talis enim vis, & qualitas tam potens, humano efficienti est negata. An non ergo temerario conatu & fucata gloria efferuntur, qui ea facere tentant & iubent, quæ viribus talibus fieri est impossibile? Testantur idem vsus & experientia humana in singularibus, præsertim in physicis & Medicina, adeo vt cum Rameus quidam Medicus nobis medicinam Rameam informarit, si ne-

cessaria medicamenta & morborum causas, subiecta, adiuncta &c. monstrauisset, eũ non immeritò vltra Aesculapium in cælum tolleremus: Si verò neutiquam grande quid ausum, pari cum phaetonte censu habemus. Sed & illud pulchrum est necessitatis artium Ramearum argumentum, quod ipsi digladiationibus mutuis & iudiciorum varietate ostendunt, sibi maximè deesse eam facultatem, qua iudicare, quid necessarium sit aut nõ, possint. Quomodo ergo necessariam artem constituet is, qui adhuc in ipso hæret iudicio & nondum assequitur necessitatem, sæpeq; arripit opinabile pro scientifico? Stoici facilius dixerunt qualis debeat esse sapiens quam monstrarunt. Habeamus & Rameos nostros in Stoicorum nnmero: Talem enim artem profitentur, quæ in rerum natura hac locum habet nullum, sed potius est vitæ beatissimæ perfectissimæq; scientiæ. Sed auocamur longius: & ista sunt nimium tetrica. Ridenda potius stultitia ista est, quàm sapienter confutanda. Vtamur ergo tali syllogismo: Aut futilis & inanis est STRICTA ista legum scientificarum obseruatio: Aut qui in artibus secundum eas constitutis dissentiunt se stolidos esse, & deliros proprio testantur effecto. Etenim ijs repugnant, quæ aliter se habere non possunt, & contra id quod impossibile est fieri statuunt. Ecquid subsumendum putas TEMPELLE? An Aristotelei, quia fumis Rameis credere non possunt, adeoq; figmenta vestra improbant, & suam, contra mendacia, veritatẽ defendunt stolidi erunt? Imo non hoc,

sed

sed alteram partem potius vtraque apprehendent manu, asserentq́; constanter, legum istarum impossibilem esse omnino secũdum rigorem earum vsum; vos verò quia contrarium astruitis & nihilominus de placitis vestris hostili animo concertatis, stoliditatis extremæ non immeritò damnabunt. Atqui, inquis, Dialectica Rameæ præcepta sunt omnia necessaria κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, καθόλου. *O, inquam, fugacem & caducam necessitatem, quæ paruo vento in opinionis incertissimæ mare profundissimum impellitur: aut potius ineptos homines, qui dum vos digladiamini inter vos, interim credere nolunt, præcepta vestra esse NECESSARIA. An autem etiam desideras, vt aliquod contentionum Ramearum proferam argumentum? Imo proferam etiam Tempello inuito. Et primum quidem valdè is ipse obseruauit in ante dictis legem* καθ' αὐτὸ *(quæ est homogenea Methodi & potissimum forma artis) dum FORMAS physicæ tractationi contra Magistrum Ramum subiecit; dumque ex Geometricis Lineis, quibus vtuntur Astrologi, nescio quæ circulorum cælestium phantasmata ad naturalem tractationem alligauit.*

Istud primum est argumentum. Sed & hoc afferre placet, quod nullã necessitatem iudicet necessariò inesse Logicæ Rameæ, dũ in Epistola ad Piscatoris animaduersiones ita scribit: Mihi etiam de “ *nonnullis in mentẽ subinde venit dubitare, sed ta-* “ *mẽ me ipsum sustineo, ne quod propter infirmitatẽ* “

iudicij

„ *iudicij non assequor, id propter temeritatem con-*
„ *demnasse videar. Quid ergo? Quod in Ramo non*
„ *ausim, in Piscatore id audebo? Condemnare anim-*
„ *aduersiones tuas non audeo. Imo* PROBO &
„ LAVDO; *sed ita tamen vt plerisq; earum non*
„ *valde assentiar. Hæc Tempellus: quem credere debetis, Lectores, non ingenio esse Boeotico & crasso; is est post Beurhusium & Ramum acutissimus omniũ. Attendite ergo ad singula verba. Dubitat de Logicæ Rameæ præceptis: O necessitatem, quam acutissimus nõ agnoscit. Non potest assequi quædã: O Dialecticæ Rameæ ad informanda puerorum ingenia vtilitatem. Ingeniosissimus non assequitur quædam: quomodo pueri? Trepidat condemnare Ramea ob iudicij imbecillitatem: O ergo necessarium iudicium logicum: O audaciam in alijs condemnandis, quæ longè sunt difficiliora: O seruum Tempelli ingenium: O potius imperitiam eiusdem. Nam si iudicare de Logicis non potest, cum ea sint necessaria & ante à Ramo demonstrata, vt creduntur, necesse est, vt ea penitus ignoret. Sed veluti Vertumnus quidam statim se vertit ad contrarium. Probat & laudat animaduersiones Piscatoris, quibus Ramea Logica miserè exagitatur & excarnificatur: an non ergo certus est iudicio suo istam esse improbandam & damnandam? An adeo stultus est Tempellus vt idẽ probet & improbet: idem necessarium putet & non necessarium, idq; totum tam secundum materiam quam formam in quibus illa necessitas omnino est? Sed & idem Tem-*

pellus

pellus reprehensus à Beurhusio, argumento est, Rameam Logicam parum necessitatis habere. Piscator animaduertit plurima in eundem librum. In eum rursus animaduertit Scribonius, adeoq; exultat, vt etiam TRIVMPHVM de necessitate istius artis per Ramum cōstituta decantet; quanquam is ipse non pauca tum emendet tum deprauet. Piscator se suâq; tum contra Tempellum, tum Scribonium defendit. Omnes vno fasciculo complexus est Beurhusius, omniumq; iudicia correxit valde acri censura, & perstrinxit simul Oleuianum, VVasserleiderum, Snellium, & nescio quos alios plurimos: forte & Schramum non omisisset, si eius fœtus antè istam defensionem in lucē venisses. Sed & Beurhusius non abstinet Ramo, quanquam defensor eius pertinacissimus. In tertio modo causarum efficientium apertè fatetur ex physica (Nam est de Natura, consilio, fortuna, necessitate) et alijs artib. cōtra regulam καθ' αὑτὸ, imo etiam καθόλου istud μῖγμα esse transscriptum & malè Logicis insertum. Idem facit in loco Diuersorum; quanquam vtrobiq; vtatur molli spongia, dicens Ramum sibi in his nunquam satisfecisse. plura reprehensa admodum friuolè excusat, adeo vt ex tota Rami Dialectica, ne vnum quidem sit caput quod ab ipsis Rameis pro necessario habitum sit; id quod ad oculum possumus demonstrare. Ecce regulas scientificas de constituendis artibus, quæ nihil aliud sunt, quam verissimum longe ERIDOS perniciosissimæ pomum. Atqui per eas tanquam tortores & quæstores essent,

ſent,in crucem aguntur omnia peripatetica. Nolo pergere ad alia viua argumenta futilitatis Ramæorum; nolo in Medicinam & phyſicen Brigthi & Scribonij, nolo in alias artes Ramæorum ſolicitè inquirere,quanquam in illis eſt copioſiſſima fucum deprehendendi materia. Illud modo confectum, aut potius adumbratum ad operis vberioris initium eſto; Ramæos in eodem luto neglectarum ſcientificarum legum, hærere, imo in eodem penitus eſſe ſubmerſos; & nihilo minus in Ariſtoteleorum ſcriptorum interitum omnes conſpiraſſe, quia ne poſſint quidem,etiamſi velint, vllam artem ad exactam legum ſuarum normam informare,nec informaſſe, niſi iudicij ſtolidiſſimi & delirij intolerantiſſimi notam velint incurrere. Hæc vt Tempello occurreremus, præmittere diſputationi placuit. Lector beneuolus ob id nobis non ſuccenſebit,ſed potius dignum patella operculum inuentum iudicabit.


QVAE-

QVAESTIONES RERVM PHYSICARVM controuerſarum inter Peripateticos & Rameos,

Auctore
ANDREA LIBAVIO SAX. MEDICO.

QVÆSTIO PRIMA.

Quænam ſit Ariſtotelis ſententia de ortu ſimplici primo & abſoluto.



Ontemplationum naturalium noſtro ſeculo duplex deprehenditur potiſſimum ratio. Aut enim inuenire ipſi cogimur, aut de aliorum pridem inuentis poſt ſedulam & diligentem ex monumētis ipſorum cognitionem ad normam veritatis in rebus ipſis deflixæ iudicare. Totus hic tractatus nō noſtras inuentiones potiſſimum, quęq; ipſi per experientiam & rerum inſpectionem fidelem iam obſeruauerimus, primum continet, ſed de veritate iudicij Ariſtotelei in elementorum contemplatione agit, vt conſtet certò, pronunciauerit ne, vt res eſt, Ariſtoteles, an commentis inanibus tot ſecula deceperit, nimiumq́; credulos habuerit omnes Peripateticæ diſciplinæ Profeſſores, vt turpiter falſis verborum portētis ſeducti, aliter, ac res ferret, ſtatuerint. Præſens quæſtio pars quædam eſt & potius præparatio ad iudiciū de ſimplici generatione, ſitne in rerum natura aliqua talis, qualem deſcripſit philoſophus. Hoc enim fatum hodie diſcentum videtur eſſe infeliciſſimum, vt, cum vel ex rebus ipſis veritatē, vel ex fideliter cognitarū monumentis, quia ętas vnius

 homi-

hominis ad longam experientiam non sufficit, eruere debeant, prius solicitè admodum, ecquid senserit author, quem res inuenisse iudicamus, sit indagandum. Causa autem est vel in imperitia nostra & ignauia, dum sermonis genus non intelligimus, aut obiter sententias percurrimus, nec diligenter sedes materierum conferimus, quæque alibi explicatius sunt tradita attendimus; vel malitia, dum quod bene dictum est & prouidè, peruertimus corrumpimusque superficietenus rem intuiti, nec in adyta abstrusæ veritatis demissi. Authores ipsi quoque interdum huius rei sunt causa, dum studiose occultant etiam manifestissima, aut si quæ sunt non omnibus obuia inuident ea eruta à se, & inuenta, posteris cum potuissent sat perspicue arcana ista declarare. Interdum de authorum voluntate factorum nihil dubitandum, quin sint extra noxam: at tempora non aliter tulerunt. Vnde in barbarie natus versatusque vix ad lumen perspicuæ doctrinæ emergit: Non tamen eruditam breuitatem artificum in concinnandis axiomatis rerum reprehendimus, modò citra obscuritatem breuitas sit affectata. Accedunt interpretes varij, qui quot sunt numero, tot habent sententias. Nihil itaque mirum est, nos interdum de sensu authorum inter nos confligere, sicut in præsente materia euenit. Quærimus enim quæ sit Aristotelis sententia de simplice ortu rerum, qui primus sit & absolutus. Non immeritò quis respondere facile posset; Aristotelem omnino reprobare ortum talem; vtpote cum mundum totum nullo vnquam ortum tempore, nec interiturum contra veterum placida & afferat & demonstrare firmissimè enitatur. Quod si totum mundum statuit æternum, partibus aliquam

1. de cal. tex. 20. & toto capite 10. & sequentibus item 8. phys. ca. 1.

quam primam generationem, ita vt ante non fuerit omnino, non tribuet: nisi fortassis ratione & ex hypothesi, vt facit in collatione lationis cũ alijs motibus. Latio enim principium est & causa generationis & corruptionis: qua ratione prior dicitur his ipsis. At cum nullum principium Lationi respectu temporis assignet; & ab ea inseparabiliter tanquam effectus proprius dependeat gene: & corr. hę quoq; mutationes ab omni æternitate semper erunt, Aristotelica censura: atque ita quæstio paucis foret expedita. Sed qui istam mouent, non de hac sermonẽ instituunt, sed de ea quam in 1. de generat. & corr. 3. tribuit Elementis & postea mistis corporibus. Intelligemus itaque litem esse, quid senserit Aristoteles in libris de ortu & interitu, quando de illis ipsis disputat, & per eos simplicia mistaque fieri pronũciat. Conabimur, quantũ possumus, id manifestare. Generationis vox Logicis, modo effectum æquipollenter designat, modo effecti alicuius est nomẽ, id quod ad hęc nihil attinet. Malunt autem quidam in Logicis retinere istud vocabulum, in naturalibus ortus & interitus nomenclationibus vti; quibus non aduersamur: hoc dicimus Arist. περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς τῶν φυσικῶν suo more loqui. Itaque si retineamus easdem voces, sententiam eius forte assequemur melius; neq; tamen peccauerimus si interdum pro generatione ortum dixerimus. In artificiosis operibus effectio ποίησις est propriè 7. Metaph. tex. 22. Definitur generatio nõ vno modo: generalissimè videtur dici posse mutatio ex non Ente in Ens, vt quod potentia est Ens, transeat in Ens actu. Alio modo accipitur particulariter. Est enim generatio simplex, generatio secundum quid, seu quędã aut cuiusdam; generatio animalium & plantarum;

8. Physicorũ text. 55. 2. de generatione & cor. 10.

Iacob. Martinus cap. 2.

generat. Elementorum; generatio mistorum: quod est omnino generat. diuidere in simplicē, & secundum quid, quæ est accidentaria: Illa vel simpliciū est vel mistorum: hæc vel qualium, vt alteratio, vel quātorum, vt augmentum, decrementum, vel loci. Mistorum quoq; generatio alias simpliciter vocatur mistio, & tunc generaliter competit cuicunq; naturali concretioni ex simplicibus alteratis & vnitis; aliàs tantum de illis accipitur, quę plantę & animalia dicuntur, siue ex semine siue sine semine oriantur. De singulis videamus pauca. Simplex generatio nō vno designatur modo, etiamsi vnumquid intelligatur; sicut & generatio secundum quid variat respectibus. Quando substantia respicitur, ita definitur (intelligitur autem cōtrario modo & corruptio) cum fit mutatio ex hoc in hoc (quibus substantia notatur, sicut Plato vtitur particulis demonstratiuis): alibi generatio simplex est in Ens simpliciter: alibi mutatio in subiectum ex non subiecto secundum contradictionem, vbi simul additur diuisio; quod alia sit ἁπλῶς μὲν, ἁπλῆ, ἡ δέ τις τινος. Simplex est secundum quam simpliciter fieri & non aliquid dicimus. Sic corruptio simplex est quæ ex substantia ad non substantiam procedit. Et hoc ipsum substantiæ ratione dictum esse, explicatur alibi his verbis: *multi-*
,, *pliciter autem cum dicatur fieri, & horum qui non simplici-*
,, *ter fieri, sed hoc aliquid fieri: simpliciter autem fieri, substan-*
,, *tiarum solum est.* Idē in 1. de gene. & corr. indicat cum
,, ait: *dicimus quod corrumpitur nunc simpliciter & non solum*
,, *hoc:* & hæc quidē est generat. simpliciter, hæc autem
,, corruptio. Hoc autem generatur quidem aliquid,
,, nō autem simpliciter generatur. Dicimus enim discentem fieri quidem scientem; fieri autem simpliciter non. Hîc Aristo. seruato discrimine inter substantiam & accidens, dicit aliquid fieri simpliciter, aliud

Generatio est migratio à non Ente simpliciter ad Ens simpliciter: Vel à substātia potentia ad substāntiam actu.

1. de gener. & corr. textu. 10.

1. de gener. tex. 18.

5. phys. textu. 7.

Vide 11. *Metaph. c.* 3. *&* 14. *Metaph. ca.* 4.

1 phys. text. 62.

Text. 18.

aliud secundũ quid. Et sic primus est modus significationis huius, quando cõsideratur substãtia ad accidens. Paulo aliter accipitur phrasis in quæstione, quomodo vnius gener. sit corruptio alterius & cõtra. Cum enim sit vnus & idẽ motus numero, si simpliciter vtrumque accipiatur; fieri non potest, quin confundantur contraria in idem. Monstrat Arist. quod nomina permutentur, ac rationes & termini distinguuntur. *Differunt*, inquit, *ea in quæ trãsmutatur id quod transmutatur. Quæ enim in ignẽ est via, generat. simpliciter, corruptio autẽ alicuius est, puta terræ: terræ autẽ generat. aliqua eius generat. sed non gener. simpliciter, verũ corruptio simpliciter, puta ignis. In nõ Ens igitur simpliciter, est corruptio simplex, in simpliciter autem Ens est gener. simplex.* Hic vtraq; mutatio in substantia est, & neutra accidẽtaria vt prius: veruntamen si inter se cõferantur, transitus ad id, ꝙ potius formæ est, dr̃ gen. simplex & corrupt. alicuius: migratio vero ad materiale magis, simplex corrupt. & gen. alicuius. Interpretes fere per collationẽ nobilitatis seu præstantiæ & ignobilitatis exponunt; vt cum ex ignobiliore fit nobilius, dicatur generat. simplex respectu ortus nobilioris; at corruptio quædam respectu ignobilioris interitus: Quod.n. in nobilius transit, videtur perfectius factũ potius, quam simpliciter corruptũ, licet substantiâ corruptum sit. Sed poterat idem ad axioma Aristo. reuocari, quo vult *semper quod superius est, ad id quod est sub ipso, vt forma ad materiã, se habere*, Si.n. generatur res, dũ à potentia substantiæ ad actum deducitur ab aliquo efficiente, potentię autẽ rationem habet materia, actus formę; & rursus Inferius Elementũ est instar materiæ ad superius tanq̃ formã, qñ in inferiore Elemẽto fit superius veluti ex nõ Ente ad Ens fiet mutatio, seu à non substantia ad substantiã;

1. de generatio tex. 18.

4. cæli textu 23.

quæ omnino erat generatio simplex. Similiter si materia substantiæ nomen ex se non meretur, sed ex forma, idem sequetur, quòd nimirum ex inferiore Elemento, quod est superioris ceu materia, per se substantia non existens generetur aliquid simpliciter. Nam veluti ex non Ente ad Ens proficiscitur. Verùm hæc non nisi respectiuè. Et sic ignis semper aut fit simpliciter, aut corrumpitur simpliciter. Est enim forma respectu omnium. Terra quoque semper corrumpitur secundum quid, & fit eodem modo. Nã aut in nobilius transit, aut ex nobiliore prodit. Nihil habet sub se ignobilius. Intermedia vtrãque habent rationẽ. Idem modus exprimitur etiã adiunctis caliditate & frigiditate. Cum enim ignis sit maximè formæ, & maximè calidus: cætera Elemẽta frigida eius respectu; quod in ignem transit. i. calidissimum fit, id dicetur non simpliciter corrũpi, sed secundum quid; gigni autem alterum simpliciter. Sed id Aristoteles sic enunciat: *alio modo differt » generari simpliciter & secundum quid materia, qualiscunq; » vtiq; sit. Cuius enim differentia hoc aliquid significat: id ma- » gis substantia est: Cuius autem priuationem; id non Ens magis est.* puta si calidum sit Categoria & forma; frigiditas autem priuatio. Differunt autem ignis & terra his differentijs. Sed hic modus non omnino conuenit cum præcedente: Ibi enim terra omnium infima ponebatur, & nunquã simpliciter genita aut corrupta; hîc aqua esset ima: quàm philosophus alioquin dicit esse frigidissimã; aut terrę summa frigiditas esset tribuenda; de qua re erit nobis infra disputatio. Alius modus ex veterum sententia sensibilis & insensibilis respectu sumetur. Sed is a philosopho, vt à rerum natura dissentiens, reijcitur. Nam sic futurum esset, vt terra magis substantia esset, id quod it

com-

comparatione mutua ita dicitur, quàm ignis; cum tamen à diuinis sit remotissima. Ex his patet, quod non vnius modi sit generatio & corruptio simplex, sed alia absolutè, quando simpliciter substantia opponitur accidenti, alia certo modo per collationē transmutabilium substantiâ. De hac nihil hîc dispu tamus, sed de priori. & simul in Elementis simplicibus simplicem generationem habere locum manifestum fuit. Nam de Elementis ibi agitur. Quod verò in mistorum etiā ortu vsurpetur: ex quarto Meteororum apparet. Ibi cū de mistorum affectionibus agere instituerit generationem simplicem, vt maximè communem opponit corruptioni simplici seu putrefactioni: & definit eam *quod sit transmutatio facta agentium qualitatum vi, cum habent rationem ex subiecta materia vnicuique naturæ; quæ sunt dictæ virtutes passiuæ.* Et addit: *generant autem cal. & frig. dominantia materiæ &c.* Certum autem est eum de mistis loqui: sic enim subiungit: *simplici generationi contrarium maxime commune est putrefactio. Omnis enim secundum naturam corruptio ad hoc via est, vt senectus & ariditas. Finis enim horum omnium marcedo, nisi aliquid violentia corruptū sit ex ijs quæ natura constant. Est enim & os & carnem & quod cuiusque combussisse, quorum finis, secundum naturam corruptionis putredo est.* Item: *quapropter humida primo, deinde sicca, tandem fiunt putrescentia. Ex his enim facta sunt & terminatum fuit humido siccū operantib. actiuis &c.* Quæ non possunt intelligi de putredine simpliciū corporum, aëris, aquæ aut terræ; cum de compositis dicantur. Quod autem alioquin mistionem vel concretionem hanc generationem vocet, manifestum est ex. 1. de gen. & cor. Aliâs rationes differūt. Nam mistio alio modo dicitur quā generatio: vndè c. 10. et 2. c. 7 & magis propriè generâtio de mistis, quâ mista, nō

C 5 vsurpa-

vſurpatur: & diſcrimen ſtatuitur.1. de gen. & corr. textu. 83. ſicut & prius de miſtione agitur quàm de generatione Elementorum, conſentiente textu. 43. licet quædam in genere de diſcrimine cognatarum mutationum ſint præmiſſa. Aliquando vſurpat & compoſitionis vocem, vel συςάσεως, vt in 2. de par. ani. 1. Vbi triplex illi eſt ſynthesis, prima Elementorum, de qua & in 1. de gen. & corrupt. 1. ſecunda ſimilarium; tertia diſſimiliarium. Sed & hic ratio reſpectuſque variat. Vnio enim Eſſentialis materiæ & formę compoſitio illi vocatur; ſicut in genere quãdocunq; ex pluribus coëuntibus fit integrum. Attamen hęc quoq; vox aliter accipitur in tractatu de miſtione, vbi negat miſtionem eſſe compoſitionẽ, cum aliud ſit miſtio, aliud compoſitio, licet omne miſtum dici ſimul compoſitum poſſit, ſed non omne compoſitum erit miſtum. Præter has duas ſignificationes ſeu ſpecies generationis ſimplicis, quidam tertiam ſpeciem, quæ aliâs eſt creatio, ponunt. Sed de hac Ariſtoteles nihil aſſeruit, itaque nos quoque iure eam omittimus. Quod attinet ad generationẽ ſecundũ quid; ſatis apparuit eã dupliciter intelligi; vel reſpectu ſubſtantiæ ad accidens; vel differentis cõditionis in illis ipſis quæ ſimpliciter gignuntur. Adhuc de explicatione nominũ, & quid ſit Ariſtoteli quæq; generatio. Iã de modo quo ſtatuit generationes fieri & perfici, ſepoſita interim quæſt. de miſtione, & ſeruata ad ſuum vſq; locum. Vult ergo Ariſtototeles generationem eſſe mutationem ex ſubſtantia potentiâ ad ſubſtantiam actu: hac ipſa definitione generationem penes formam potiſſimum eſſe aſſerit. Hæc enim ſubſtantia eſt per ſe: materia autem gigni non per ſe dicitur: Eſt enim ſubiectum ipſum, quod formam ſuſcipit,

1. de genera. & cor. 10.

ſcipit, vnde poſtea ex hác vnione totum fieri & naſci profitemur. Non fugit nos, interdum negare philoſophum materiam & formam gigni, quia totum generetur, quod conſtat ex materia & forma: ſicut nec hoc, quod alia ſit prima, alia ſecunda materia & vltima, quæ & ipſa gignitur & interit: veruntame n vtrobique potiores partes ſunt formæ. Si itaque ſecundum formam potiſſimũ generatur & corrumpitur materia; hanc non immeritò perpetùam & incorruptibilem omnibus generationibus hiſce ſubijcit. At materia inſeparabilis eſt & *2. de gen. & corr. 1.*
nunquam ne momento quidem ſine forma: Oportet itaque eam non ita ad generationem concurrere, vt nuda eſt, & nihil omnino niſi potentia, ſed vt cum aliam formam habeat actu, quo reſpectu ſit alterius materia, eo dicatur in potentia eſſe; licet cogitatio ſeu ratio eam abſtrahere poſſit ab omni forma, at non niſi ſecundum Analogiam intelligere: cum neceſſe ſit omne intelligibile eſſe formam quandam. Hoc docuit aperte philoſophus in 3. de *Text. 29.*
cœlo, his verbis. *Quod autem neq́, omnium ſit generatio,* *52. 53.*
neq́, ſimpliciter nullius, patet ex dictis: Impoſſibile enim eſt, *1. Phy. text.*
vniuerſi corporis generationem eſſe, ſi non & vacuum eſſe ali- *65. 68. 75. 82.*
quod ſeparatum poſſibile ſit. In quo enim erit loco quod ge- *2. de gen. &*
neratur quando factum eſt, in hoc prius vacuum eſſe neceſſa- *corr. text. 37.*
rium eſt corpore nullo exiſtẽte. Aliud enim ex alio corpus fieri *Elemẽtis nullum corpus*
eſt poſſibile vt ex aëre ignem. Omnino autem ex nulla alia *eſt prius.*
præexiſtẽte magnitudine eſt impoſſibile. Maximè enim ex cor- *2. de gen. &*
pore potentiâ exiſtente actu fiet corpus, ſed ſi id quod potentia *corr. tex. 51.*
eſt corpus nullum aliud actu prius eſt corpus, vacuũ ſeparatũ *3. cæli tex. 52.*
erit. Hact. philo. Qui quo modo apertius declarare *1. cæli tex.*
poſſit, vix video. Quod prius eſt actu aliud corpus, *52. 1. cæli text. 20.*
id reſpectu futuri ſingularis corporis dicit eſſe potentia: & hanc eſſe generationem. Ne autem hinc *1. cæli text. 107.*
inſe-

inferatur futurum corpus antea in rerum ratione nullo modo nec specie nec indiuiduo fuisse, facit toties decantata Aristoteli æternitas mundi. Similiter autem loquitur alijs in locis plurimis, vbi de subiecto præexistentę, de homogenearum procreatione & alijs disputat. Nec aliter sunt accipienda ea, quæ in 2. de gen. & corr. 1. scripsit. In omni enim generat. simplici, quin & in artificiali effectione seu operatione materia pręsupponitur; Huic accedit forma cũ differentijs; vt ita ex vnione hac quicquid gignitur producatur. De causa efficiente quoq; ita loquitur in 2. de part. animal. c. 1. *Vnum quodque gignitur ab eo, quod iam tale est Essentia seu simile, vt nihil gigni posset, nisi prius existat ipsa species seu forma, seu id quod formam habet. Quicquid enim gignitur ex aliquo ad aliquid suã generationem ducit.* Sed hęc de plantarum & animaliũ perfectorũ potissimũ generatione. Elemẽtorũ autẽ transmutationis causam efficientẽ facit potissimũ ipsam contrarietatem, quę proxima est, & in aliquo ipsa quoq; subsistit: remotiorem & generaliorem, lationem seu motum cæli & immobilitatem: vt infra audiemus. Quod autem attinet ad formas ipsas loquendi. Ex nõ Ente fit Ens: id dupliciter excusat Arist. 1. quod & ipse dicat nihil fieri simpliciter ex eo quod non est: sed tamen fieri ex eo ꝙ non est secũdum accidens, vt ex priuatione: 2. Vtitur modis loquendi per potentiam & actum; vt ita se satis liberet calumnia hac, qua generationem dicitur statuere eam, quam nulla præcessit alia, seu ante quam nihil omnino fuit. Sic enim creationem esset confessus, & immerito à platone discessisset. Sed hæc sententia explicabitur manifestius in sequentibus. Conferamus cũ hisce. ea quæ Iacobus Martinus Scotus Aristoteli tribuit. Hic edito quodam libro admodùm inso-

2. de part. ani: 1. 2. 1. Physic. text. 62. item 77.

insolens est in Aristotelem & totam antiquitatem, demonstraturus nimirũ quicquid veteres peripatetici senserunt & adhuc sentiunt illi quibus veritas Aristotelea non sordet de generatione simplici simplicium & concretorum, id omne esse inane & nullius momenti, cuius promissionis in sequentib. splendida audiemus θαύματα. Commendauit eius studium industriamq; Guilielmus Tempellus, Cãtabrigiensis philosophus, vt habetur, summus. Et tantum non deierauit commentationes, quas Iacobus Martinus. *Magno vir ingenio & exquisito iudicio in lucem emisit*, ostendisse grauiter violatam esse ab Aristotelicis legem scientificatam κατὰ παντὸς: dicit eũ neruosè disputare; & enucleatè aduersus Aristotelem concludere: sibique adeo probatum esse ingenium eius, vt doleat tam diu ipsum à luce publica & Cantabrigiensium philosophorum oculis abfuisse: optat etiam, vt quod in nonnullis physiologiæ quæstionibus, id in integra physiologia peripateticorum præstitisset. Non inuidemus cuiq; profectũ, industriam & laudem inde emeritam: & optamus, vt, quàm apparenter, tam vere Iacobo ista gloria esset attributa. Sed quid opus erat sibi gloriam ex alterius infamia quærere? Adeóne Ramei invenire syncerę laudis nihil possunt, nisi omnibus probris Aristotelem cum tota familia peripatetica, atque adeo omnes philosophos veteres, quod facit hic Scotus, afficiant? Legite Rami scripta, qui ea lectione digna æstimatis, quantæ insint omnis generis calumniæ, probra, ludibria & nescio quæ portenta dũ interdum ita inuehitur in Aristotelem, vt etiam vix se contineat, quin rumpatur, cognoscetis. Nolo addere, quàm honorifice TEMPELLVS in præfatione Scotistica de tota doctrina physiologiæ *Schol. in 6. Phys. cap. 1.*

giæ

giæ peripateticæ ſentiat, quàm nihil illi, præter inſolentia figmenta, inanes præceptiunculas, fabuloſas concinnitates, arida ſophiſmata, languida & eneruata Theoremata, omiſſionem doctrinę de aſtris, phyſicen mancam, quia de formis, de anima, & quæ alia naturam habent, nihil tradat, aſſignet. Si hæc indigna in Ariſtotelem ipſis dicere licet; num iniuria eis fiet, ſi paribus excipiantur officijs? Vtemur & nos noſtra tum libertate tum iudicio, & quã vere Ariſtotelica ſcripta, quibus nondum meliora, ſed putidiora & omnino rancida, præter Dialecticen, in lucem ediderunt; arrodant, videbimus.

Caput primum Commentationis Scotiſticæ collectas ex Ariſtotele de generatione veterum ſententias habet, quæ cum debeantur Ariſtotelicæ diligentiæ, quicquid laudis inde meritus eſt à TEMPELLO Scotus, id commune erit, aut potius ſolius philoſophi, ſiquidem vltra notarium ſeu tabellionem vix quicquam præſtitum à Scoto eſt.

Caput ſecundum promittit nobis explicationem, quid Ariſtoteles de generatione pronunciandum iudicârit, eamque ex prioris libri de ortu & interitu capite tertio. Quàm fideliter tranſcripſerit & interpretatus ſit mentem philoſophi, operę precium eſt attendere. Duo dicit Scotus agere Ariſtotelem in 1. de ortu textu. 11. primum diſputare quæſtionem in vtramque partem: ſecundò, ſuam ſententiam non obſcure indicare. Inſpeximus locum, invenimus philoſophum ferè ſex quæſtiones in eo diſceptare: prima eſt vtrum ſit generatio ſimplex an non. Negatur. proſyllog. *Si generatio eſt mutatio ex non Ente ad Ens; ſimplex generatio erit ex ſimpliciter non Ente. Sed prius: Ergo & poſterius.* Firmatur & connexio:

nexio: Quia vt quædam generatio dicitur, quia est ex quodam non Ente; ita & simplex ex simpliciter non Ente. Syllogismus: *Si ex simpliciter non Ente, nihil potest fieri, non erit generatio simplex. Verum autem illud: Ergo & hoc.* Probatur assumpt. per distributionem quandam: Non Ens simpliciter aut significat non SVBSTANTIAM, aut in vniuersum rem omnino nullam. Neutro modo potest aliquid fieri. Ex non ente ergo nihil fit. Firmatur & huius assump. Vtroque enim modo ex nihilo aliquid fieret, quod est impossibile. Nam negata substantia tolluntur reliqua omnia, adeo vt si ex substantia non possit esse generatio, neque ex alijs fit. Vnde si esset, ex nihilo esset. Soluitur per actum & potentiã. Secunda quæstio de accidentibus est: sint ne ea actu an non, ante rem genitam. Infertur inde prior thesis, quòd ex hoc quoque argumento non possit esse generatio simplex. Soluitur per conditionem materiæ: & simul miscetur quæstio tertia de causa perpetuitatis in generatione & corrup. Deducitur axioma, quòd vnius generatio sit alterius corruptio. Quæst. IIII. quo pacto hæc fieri possint, explicat, nempe per diuersam rationem materiæ, dũ aut simpliciter fieri, aut secundum quid dicitur. Quæstio V. Cur fiat generatio semper antecedente corruptione, ita vt nõ tandem exhauriatur Natura, Ostendit etiam perpetuam generationẽ esse eorum quæ corrumpuntur. VI. Soluit dubitationem, quî fieri possit vt corruptio sit generatio non Entis, cum generatio habeat terminum ipsum Ens? Respondetur per materiam, quæ est subiectum commune, formam verò & rationem habet diuersam. Hæc res est capitis tertij, quæ sanè in obiectiones alienorũ & assertiones propriorum luculente á Scoto est diuisa. Sed videamus

amus fidem eius in interpretando. Quod ad ratiocinationẽ euoluendã attinet, non scrupulosè quærimus. Felicior .n. alter altero interpres solet esse, tametsi vitio non careant, quibus ignorantia, neglectio aut incuria instrumenti Logici vel olim vel iam obscuritatis causam præbet. Ad rem quod spectat, statim in vestibulo, malo profectò omine, Aristoteleæ synceritati sordes suas allinit, Itaq; deprauat commentis suis sententiam apertã, vt videatur Philosophus simplicem generationem appellare eam, quæ sit absoluta, quæ primò inceperit, cum ante nihil fuerit genitum. At inquam Scote, Aristoteles nõ de tali disputat generatione, sed ea quæ etiam à nostris sensibus esse percipitur, idque contra veteres, qui generationem ideo negabant, quia res alterarentur tantum. Patet id exemplo. Quo pacto enim philosophus scribit, gigni & corrumpi ignẽ, aërem, aquã &c. eo etiam à nobis deprehẽditur, te quoque teste. par ratio in mistis est. Quomodo ergo istis tuis figmentis cõstans rerũ veritas deturpatur? Quomodo generationis tuę commentum summo studio improbatum in Aristoteleis documentis locum habet? Atqui, inquis, nisi de tali generatione locutus fuisset philosophus, malè ipsi oppositum foret NIHILVM: Equidem malè: Nam duplici in Acroamaticorum primo propulsum est propugnaculo, quorum posterius hîc quoque repetitur. Offendebantur autem veteres quòd definiret eam ex non Ente, non substantia &c. ad Ens ad substantiã, migrationem aut mutationem. Quod si Aristoteli sententia Scotistica fuisset, quibus telis tam fortem arietem repulisset? Omnino enim necesse erat ex nihilo aliquid genitum fuisse, si Nõ Ens, significasset omnino & absolutè non Ens, ante quod nihil fuisset

fuiſſet, nec nulla extitiſſet generatio, non quidem quatenus id quod generatur, non eſſet, ſed quatenus omnino nullum Ens eſſet. At hoc fundamentũ eſt totius diſputationis Scoti, ſuſceptæ contra Ariſtotelem; nempè talem generationem eſſe non poſſe ſecundum Ariſtotelica decreta. Equidem Scote: ſed ita non oppugnas Ariſtotelem, Verùm tua figmenta. O Virum callidum & gloriæ cupidiſſimũ, qui ne lateret, affinxit Ariſtoteli nullis vnquã phyſicis Ariſtoteleis creditum ſophiſma, vt haberet poſtea quod contra Ariſtotelem ederet. Tali arte, nempè mẽdacijs & calumnijs nobilitari plures malũt, quàm vera ſcientia prædicari. Quod ſi perrexerit Scotus monitis Tempelli parere, breui tempore, quantum in ipſo eſt, cælum terræ miſtum fuerit. Sed Tempellum legiſſe paradoxa, ſui clientis & cũ Ariſtotelicis contuliſſe, non eſt veriſimile; Qua fronte igitur hominem commendauerit, & doleat quòd non prius in lucem venerit, ipſe videat. Nobis perſuaſum eſt naturalem veritatem non lapſuram fuiſſe, etiamſi Scotus in rerum naturam nunquam veniſſet. Fecimus bonum auſpicium; progrediamur. Donabimus diſputatori, vt prò Rameę Dialecticæ cognitione, paralogiſmos formet, quam monſtroſos velit. Illud magni Ingenij, vt vult Tempellus, ſignum eſt; quod NON ENS SECVNDVM QVID nouo prorſus & inaudito indictoque Ariſtoteli modo, declarat his verbis: *ſit ex non Ente ſecundum quid id eſt ex aliquo non Ente, quod tamen reuera eſt Ens,* pag. 4. lin. 15.
" *quemadmodum hominem dicere ſolemus eſſe aliquod non Ens,*
" *ſiue non eſſe aliquod Ens, quoniam omne Ens eſſe non poteſt:*
" *homo enim eſt nõ equus, cum tamen reuera natura & eſſen-*
" *tia quædam ſit per ſe ſubſiſtens.* Adhuc Scotus. Mirum
" Cantabrigiam tam ſolerte interprete tam diu car-

D cere.

rere potuiſſe, qui ne caput illud quidem perlegit, ex
» quo videri vult portenta hæc deſcripſiſſe. *Textu. 20.*
» *ita habet phyloſ: Quod poſt dicitur; non quærit hoc; ſed quare*
» *diſcens non dicitur ſimpliciter generari, ſed generari ſciens;*
» *quod autem naſcitur, generari. Hæc autem diſtincta ſunt prædicamentis. Hæc enim hoc aliquid ſignificant: hæc quale; hæc*
» *quantum. Quæcunque igitur non ſubſtantiam ſignificant,*
» *non dicuntur ſimpliciter generari, ſed aliquid fieri &c.* Vide
» & antecedentia & quæ ſupra congeſſimus. *In 5. phyſ.*
» *c. 1. ita ſcribit. Quæ ex non ſubiecto eſt in ſubiectum mutatio,*
» *ſecundum contradictionem generatio eſt: alia quidem ſimplex, quæ eſt ſimpliciter; alia verò quædam cuiuſdam: Vt ea*
» *quæ ex non albo in album, generatio huius eſt. Ea verò, quæ ex*
» *eo quod ſimpliciter non eſt, in ſubſtantiam generatio ſimpliciter eſt, ſecundum quàm ſimpliciter fieri & non aliquid dicimus fieri. &c.* Vide ibi plura. Quod ſi Scotiſtica interpretatio vera eſt corruptio ſecundum quid, quæ eſt in non Ens ſecundum quid erit hominis in non Equum: & viciſſim generatio hominis ſecundum quid, erit ex non equo, cum tamen generatio ſit actus; omniſque actus antequam exiſtat potentiam antedentem habeat: vndè non equus erit potentia homo; ſicut non Muſicus eſt potentia Muſicus; non album potentia eſt album. Et ſic in bono; quib. exemplis vtebatur philoſophus; ad quæ procul dubio reſpexit Scotus, aut debuit reſpicere ſi philoſophi ſententiam interpretari voluit. Nec poteſt elabi etiamſi velit dicere, ſe eodem modo accepiſſe generationem ſecundum quid: Nã homo accidentis vox non eſt, cum generis ratione ſit ſymbolum Eſſentiæ. Nec ita iuuari; ſi Ariſtoteles talem ſecundum quid generationem, alioquin vocet alterationem, augmentũ, decrementũ &c? Nã quid refert generis nomen etiam his tribui? Diſcat idem

idem ex Tempello & Ramo: nihil absurdi audiet, dum GENERATIONIS vocem omni motui communem faciunt. At ausculta Tempelle, cum-que tu tantopere prædicasti, quàm dialecticè possit loqui: Idem putat esse, si dicas: *Homo est aliquod non Ens*. Et: *Homo non est aliquod Ens*. Quòd si tu non potes corrigere Errorem hunc; trāsmitte tam bœoticum ingenium ad Beurhusium aut piscatorem, vt discat Logicè disserere. In priori themate concedamus sane affirmari de homine, quod sit aliquod non Ens eo intellectu quem Scotus alit, quia non est equus: tametsi respicientes ad exactam rationē videamus, Hominem vocari non Ens aliquod, quem tamen non esse sub non Ente, sed sub Ente omnes scimus: Sed vt dixi, crasso huic Scoto id condonemus: Alterum thema, negato vinculo, reuera negat consequens competere antecedenti. An itaque illud affirmatum hoc negatum, idem denotant? Idem artificium est in hac enunciatione: *homo est non equus*; *pro, homo non est equus*, sicut dicimus, *lex est non scripta*. Sed tales Dialecticos optet suæ Scholæ Tempellus, nos pro rancidis sophistis eos habemus. Quam subtile autem hoc est; quòd homo sit res quædam per se subsistens; at cùm non est equus; dicatur non Ens secundum quid: quasi verò equus in ea collatione sit non Ens simpliciter. Scimus autem non Ens secundum quid non dici, nisi relatè ad non Ens simpliciter. Vndè sequi alterum necesse est, si positum sit prius. Et eueniret vt in collatione hominis cum equo, si homo esset non Ens secundum quid, equus esset non Ens simpliciter. Sed procedimus. Dum veterum paralogismum, seu, vt rectius dicamus, sophisma commemorat, ita illud enunciat, perinde ac ipse sic statueret? *Quod cum*

pugnet, inquit, *non modo cum ratione, verum etiam ſenſu & experientia & communi omnium philoſophorum, ſententia: fateamur neceſſe eſt, fieri non poſſe, vt ſit aliquis ſimplex & abſolutus rerum ortus*. Bene quidem vt expugnetur figmentum Scoti: Nam ita cenſet Ariſtoteles etiam. Et nos libenter concedemus in Taurienſis profeſſoris ſententiam, ſi non tranſiliat metas phyſiologiæ peripateticæ. porro mentionem facit etiam alterius argumenti, quo veteres generationem ſimplicem negarunt, quod quidem ſumptum ſit. Ex. 1. phyſ. 2. vbi tale nihil legitur. Capite. 4. quibuſdam aſſcribit Philoſophus hanc opinionem, quod omnia ſimul extiterint: & quod generatio nihil aliud ſit quàm alteratio: quibuſdam congregationem & ſegregationem, qui ita argumentati ſint: *Omne quod fit, aut ex Entibus, aut ex non Entibus fit: ſed ex non Entibus nihil poteſt fieri. Ex Entibus igitur, & his quæ inſunt, in ſenſibilibus rebus ob paruitatem. Vnde quoduis oritur ex quouis.* Sed neque hoc id plane eſt quod innuit Scotus. Capite 8. demum id eſt, quod diſputator noſter affert; ſed non ita vt allegat textum: Verba philoſophi ſunt: *primi philoſophi exorbitarunt ob imperitiam ad aliam viam depulſi. Aſſerunt enim neque fieri quicquam eorum quæ ſunt, neque corrumpi: propterea quod neceſſe ſit, Omne quod fit, aut ex Ente, aut ex non Ente fieri & generari. Neutrum autem eſſe poteſt. Neque enim fit, quod eſt. Iam enim eſt: & ex non Ente nihil fieri poteſt. Aliquid enim ſubijciatur oportet &c.* Reſpondet ita: *nos vno quidem modo nihil inter hæc dicimus intereſſe; Ex Ente*, inquam, *aut ex non Ente fieri*, Summa reſponſionis redit ad per ſe & ad accidens, vel potentiam & actum. In ea reſponſione notanda eſt Locutio, cum ait: *nos autem & ipſi dicimus fieri quidem nihil ex eo ſimpliciter, quod non eſt. ſed tamen fieri ex eo quod non eſt, vt ſecundum accidens &c.* Nam hîc

textu 75.

14. Metaph. cap. 4.

hîc aliter accipitur ſimpliciter fieri, quàm cum opponitur τῷ γινέσθαι κατά τι. Eſt aut idem ac ſi dixiſſet, ex omnino non Ente ſeu nihilo. Declarat id ſatis *Textu 76. quod, ſi canis fiat, is generetur non tantùm ex quodam animali, ſed & ex animali; at non quatenus animal, quia hoc iam ſit &c.* Vbi notat præexiſtere ſpeciem, in aliquibus indiuiduis. Singulare aut hoc vel illud naſci & interire &c. Scotus ita enunciat propoſitionem: *Nam ſi quid primò & ſimpliciter oriatur, Etſi aliquando inceperit generatio ſimplex, aliquid gignetur primo & abſolutè vel ex eo quod eſt, vel ex eo quod non eſt.* Verùm hîc fallit ille bonus interpres & calumnioſe textum Ariſtotelicum deprauat: nihil enim habet Ariſtoteles de generatione ea, quæ primum incipit: de his loquebantur veteres, quæ iam ſunt. Etſi Scoti paradoxum amplexi fuiſſent, cur non manibus pedibusque in Ariſtotelicam ſententiam de æternitate mundi iuiſſent? Nempe illa lux eſt qua Scotus Cantabrigienſem Scholam illuſtrauit, & quam adeo latuiſſe dolet TEMPELLVS. Facit & iniuriam veteribus, dum eos complexione ſua rerū actum primum ait negaſſe. Quorſum enim hoc, quod omnia extitiſſe aliquando ſimul crediderūt? Quorſum Empedoclea Elementa cum concordia & diſcordia? Quorſum πανσπερμία Anaxogorea; Leucippeaque infinitas; & Platonicum Chaos, quæ omnia exagitat falſique arguit Ariſtoteles? Sed dato vno abſurdo; ſequuntur infinita. Itaque cum ſemel ſomnia ſua obtruſit Ariſtoteli Scotus, pergit omnia eius conſentaneè fundamentis peripateticis dicta halitu ſuo peſtifero afflare & inficere. *Videtur* inquit, *Ariſtoteles affirmare, ſimplicem & abſolutam rerū generationem fieri ex eo, quod nihil eſt, ſi actum & exiſtentiam, ex quo aliquid primo fieri dicatur, ſpectemus: aliquid*

Vide & II. Metaph. I.3.4. Meta. c.3.II. Metaph. c.4.

tamẽ ſit, ſi potentiæ & facultatis ratiõne habeamus. Splendido hoc poterat prætextu roborari. Cur. n. ſi aliquid & nihil opponũtur ſibi, & res dicitur eſſe aliq̃d ob formam, non dicatur nihil eſſe ob formæ abſentiam? Ex nihilo igitur fiet aliquid, ſi ex non formato factum fuerit formatum. Sed facilè deprehenditur Sophiſma ab eo qui amplitudinem τοῦ τινὸς attendit. Nam aliquid res dicitur non tantum ob formã ſed & ob materiam. Si ergo ei opponitur nihil; Iam ex eo quod nihil tam materia, quàm forma eſſet, fieret: quod phyſici tamen præſente materiæ ſtatu pro viribus eius iudicant impoſſibile. Ita autem reſtringere illud nihil, vt facit Scotus, amplitudo nõ admittit, quæ in vſu ſermonis Latini omnia negat. Et licet ex non Ente, quantum ad formam futuram fiat, tamen illud non ens non eſt nihil, cum aliam habeat formam in materia inſeparabili. Sed etſi phraſis quoque poſſet concedi; in Ariſtotelicis tamen referendis locum nullum habet. Notamus autem quod philoſophus aliquando videatur ita loqui; vt cum in 1. De ortu textu. 16. dicit: *Non Ens nihil eſt*: Item in primo phyſicorũ capite octauo ἡμεῖς δὲ καὶ αὐτοί φαμεν, γίγνεσθαι μὲν οὐδὲν ἁπλῶς ἐκ μὴ ὄντος, πὼς μέντοι γίγνεσθαι ἐκ μὴ ὄντος, οἷον κατὰ συμβεβηκὸς verùm illud ex aliorum, vt veterum, ſententia pronunciat: hoc aduerſari videtur alteri loco, qui eſt in 5. phyſico. 1. Et 1. de ortu 3. vbi *generationem eſſe* ait *ex ſimpliciter non Ente.* Sed in priore ἁπλῶς μὴ ὄν, οὐδέν illud veterum ſignificat: in poſteriori opponitur μὴ ὄντι κατά τι, Et non ſignificat Nihil. Vnde apparet circumſpectè debuiſſe vti phraſi iſta Scotum. Sed hoc leuius eſt illud grauius, quod falſum aſſcribit philoſopho ſermonem, quaſi ita diceret. *ſit ſimplex rerum generatio & prima, ex materia prima, vt ex ſubiecto primo, cum in eam forma Eſſentialis*

à cauſa

à causa efficiente inducitur, qua quidem materia nihil est si actum & existentiam spectemus, omnia tamen dici posit si facultatis & potentia rationem habeamus. Ex his infert: *itaque ortum primum & simplicem esse, & ex eo quod omnino nihil actu sit, omnia tamen in potentia existat. fieri existimat; cum tamen fieri non posse putet, vt ex eo quod omnino nihil est, aut ex eo quod actu est, qua ex parte tale est, quippiam primò gignatur.* Adhuc Scotus. Ad victoriam videtis virum properare: itaque destitutus textu, fingit aliquid quod sub nomine Philosophi venditet. Age Scote, ostende locum, vbi ista, quæ scripsisti, ediderit philosophus. Margo vacat, alioquin sat numerosus. Quod si nequis indicare an nos putas dicturos, te viri boni officio functum esse? Contrarium dictis confessus est omnibus ferè pagellis philosophus. Etenim primam generationem is agnoscit nullam; Scimus quidem in collatione generationis cum motu circulari, cum non generationem primam asserere, sed ipsam lationem, cum abhac dependeat illa: *Et in quinto physicorum textu trigesimo tertio disputat, si generationis generatio atque adeo motus sit alterius motus, aut fieri in infinitum abitionem, aut id quod fit, tum cum fit, corrumpi; Necesse autē esse si posterior sit futura, vt prior sit. Vt si gener. simplex aliquādo fiebat; & ipsū fiens fiebat* quare, colligit; *nondū erat fiens simpliciter, sed aliquid fiens &c,* Vbi negat generationis generationem esse, nisi alicuius, id est, singularis; vt ita, si hoc gignitur & corrumpitur, necesse est vt prius sit aliquis genitus & corruptus; idque semper indiuiduo; per particulares mutationes, at generationem absolute primam esse, Aristoteles pernegat. Hoc si ex Aristotele non ita esse demonstrauerit Scotus, manum dabimus. Postea non sine sophismate vsurpat materiam primam &



ſubiectum primum. Quanquam enim ſubiectum primum primaque materia poſſit intelligi vniuerſale omnium exiſtentium generabilium ὑποκείμενον, quod ratione potius & Analogia eſt Ens prehenſibile quam ſenſu, Et quod Ariſtoteli æternum ſtatuitur: tamen Scotus non hanc ſed primùm genitam, cum antea nihil exiſteret, videtur intelligere; quod Sacris literis ſed non Ariſtoteli eſt conſentaneum. De ſingulari autem ſubiecto quod primum ſit, cum antea non quidem nihil, ſed non exiſteret, libenter concedimus. Verùm de tali nulla eſt controuerſia. Si itaque ſic, vt diximus, accipit, nempe ſecũdum generationis primæ, quàm fingit, modũ, eodem ipſum falſitatis ſtigmate, quo prius, notabimus. Tertio iterum confundit illud nihil eſſe actu, & non eſſe actu; de quo ſupra monuimus, quod ne per febrim quidem philoſopho dormienti occurrere potuit. Omnis enim materia ex quà fit aliquid, eſt non nihil actu, ſed aliquid, aliud tamen ab eó quod futurum eſt, ſiquidem inſeparabilis eſt à forma. Quarto materiam ex ratione potentiæ ſuæ poſſe dici omnia, quanquam indiſcretim dictum eſt, tamen amicè interpretabimur pro pro Scoto quod, ſi ſecundum eam potentiam omnia dici poſſit, quæ ipſi competit, quæ eſt habilitas quædam ad ſuſcipiendam formam non omnem ſed conſentaneam, Ariſtoteles de vniuerſali materia non de ſingulari iſta acceperit. Non enim ex quolibet ligno fit Mercurius. Tot modis falſo & fallaci antecedente, Ecquid veri potuit inferre Scotus? Imo ne gry quidem. Sicut enim fictum eſt antecedens, ita & complexio ignauo mendacio compilata. Videtur autem

con-

contradictionem quandam subiungere verbis vltimis, quasi sibi aduersaretur philosophus. Sed hoc quoq; candidè explicabimus, nimirum aliud esse actu nō Ens, quàm potentia Ens; aliud verò omnino nihil veruntamen priore locutione, qua actu nōEns, dicitur actu nihil, non vtitur philosophus. Sed quo modo explicat materiæ potentiā aduersarius? nempe quod eam vim & facultatem habeat, vt omnes omnium rerum formas in se admittere & suscipere possit, cum ipsa naturâ suâ omni formâ sit priuata. At inquam, id quod suscipiet, oportet non nihil esse actu, sed aliquid: Vbi enim subsistet? aut quomodo? Deinde an non sophisma latet, cum potentiam ad eo generaliter explicat, quasi facultate existere, sit id quod dicit? Etenim non omnis potentia talis est, nec omnis materia. Dicat ergo perspicuè, quod potentia, quæ communi omnium materiæ tribuitur, vt est communis, hîc sit descripta; alioquin negabunt physici materiam cæli esse capacem formæ terrestris; aut materiam hominis, lapidem esse posse. Porro autem ad distinctionem huius nuper ex cerebro Scoti natæ generationis, ab alijs motibus & mutationibus acceditur.

Hic nauseam mouet primū cum putida sua tautologia de materia prima quæ nihil existat actu. Postea è Leonina pelle auriculas asini promittit, deprehenditurque ἀυλοκατάκειτος, distingui vult generationem suam ab alijs motibus ratione subiecti; *quia aut omnino nihil sit actu prius, quam mutatio incipiat, sed materia prima, quæ est pura potentia; id quod de nulla alia quàm de prima generatione possit intelligi, quā nulla alia* " *antecessit: aut tale sit subiectum in generatione, simplici, vt* " *nihil maneat quod idem specie permanens, sensum mouere possit, vt obseruatur in singulis generationibus.* Bene se ha-

bent res:agnoſcimus Scotum. Margo autem teſtatur ſumta eſſe hæc verba. Ex 5.phyſ.1.ibi ſubiecti vocabulo omnib. motibus communi vtitur philoſophus, & alterationem à generatione non ſubiecto diſcernit ſed ratione ſimplicis & ſecundũ quid. Subiectum enim accipit pro eo quod affirmatione deſignatur. Itaq; non bene inſpexit aut intellexit locũ iſtum Cantabrigiæ lux illa Scotiſtica. Diſcrimen tamen verum eſt;ſed aliundè ſumptum & longè aliter explicatum, nempe ex 1.de gen.& corr.4.&c. Vnde autem hoc, ꝙ dupliciter in generatio. etiam accipit ſubiectũ, præſertim ſimplici? profectò prima ſignificatio vt ſępe diximus à tota ſchola Peripatetica exulat, eſtq́; futilis & cõficta; Et ne Theologi quidem eam poſſunt ferre, nedum Ariſtoteles. Secũda prodit conſcientiæ Scoticæ flagellum. Sentit enim ſe iniuriam facere Ariſto. Itaq; per diſiunctionem infert:aut tale ſubiectum in generatione eſſe,&c. Sed quid, ſi ne tale quidem eſſet Ariſtotelicum, quàm egregium haberemus interpretem? *Quicquid ſpecie eſt, id Ariſtoteli perpetuum & vniuerſale eſt. Vult autem Scotus in ſubiecto tranſmutato nihil ſpecie manere idem. Ergo in vniuerſum tolletur res, ex qua facta erit mutatio, etiam ſecundum ſpeciem.* Quo facto neceſſe eſt cadere ὁμογένειαν Ariſtot. confeſſam, nec à Rameis reprobatam. Sed fortè Scotus vocabulum ſpeciei accepit Logicè pro ſpecie indiuidua & vltima, quę alioquin Peripateticis eſt ſingulare ſenſibile, indiuiduum ad ſenſus: id enim ex adiecto patere videtur, quando dicit, idem ſpecie permanens ſenſum mouere. At, inquam, nõ Logicè ſed Phyſicè, nõ ex Rami prędcripto, ſed Ariſt. more inſtituerat loqui. Demus autem ſpeciem hîc eſſe idem quod ſingulare; an etiã verum eſt ꝙ dicit? Infra ſane videtur diſputare in tranſmutationib. Elemen-

1. Gener. & corr. tex. 40. quãtum vniuerſale non generatur vt nec animal quod nec homo eſt, nec aliquod ſingularium. Idem numero.

lementorum manere eandem numero qualitatem, si trãseant symbolica in se mutuo:vt cum ex aqua fit aer, humiditas manet, quæ, vt interpretatur, nihil passa est. Quid ꝙ & perspicuitas manet & forma corporis & alia plura, quæ sunt cõmunia vtriq;? Nõ ergo fortè in gener. simplici omnia sensibilia intereunt: id ꝙ & Peripateticus eruditus Cæsalpinus demonstrare conatus est; quanquam Arist. 1. De gen. & cor. tex. 23. Videatur omnino diuersum statuere, cum ex toto aere fieri aquam existimat, nulla remanente, ꝙ ad sensum sit idem, ad quam rationem accedunt etiam aliȩ: sed facilè soluuntur à Cęsalpino, qui inspiciendus est, tametsi nos non fugiat, quosdam putare, etiam si specie idem maneat ingenito ꝙ fuit in corrupto, tamẽ id secundum se aliud esse. Non enim eadem est perspicuitas aeris & aquæ, nec eadem humiditas vtriusq;. Verum de his alibi disputatur. Hactenus primũ discrimen generationis simplicis & aliorum motuum. Alterum à fine sumitur, in cuius explicatione dicit Scotus, *Essentialem & simplicem generat. inde dici, quia per eam simplex & Essentialis acquiratur forma: siquidem à termino ad quem tendit mutatio, seu fine & perfectione vltima nomen accipit.* Ferri hæc possent, nisi ad Aristotelicam sententiam crederentur dici, qui inde simplicem generationem non appellat, sed vt supra dictum est, quia simpliciter res fieri secundum eam dicit, non hoc aut illud fieri. Nec simplicis appellatio, sed ipsius mutationis vox ab isto extremo deducitur, nempe dum ad corruptionem aliquid tendit, tota illa motio seu actus dicitur corruptio, quanquam nondum corrupta res est, sed in via est: sic & generatio cum sit actus, dicitur motus ad essentiam quę post motum est generata demum: quæ ipsa satis apparent ex 5. physic. tex. 4.

4. lib. quæst. per 6.

Verba philosophi: quãdo totum transmutatur nõ manẽte aliquo sensibili vt subiecto eodem sed vt ex genitura tota sãguis, aut ex aqua aer, ex aere omni aqua, generatio iã hoc tale. Vide textũ sequentem.

1. phy. tex. 7.

téx.4. Debuerat itaq; interpres & professor ille Aristotelicus magis ad Aristotelicam quàm ad sua placita, in hac materia, vbi de veritate Aristotelica agitur, locutus esse. Sed quomodo explicat nobis definitionem generationis Aristoteleæ, quæ est mutatio ex eo quod non est, simpliciter in substantiam, secundum quam simpliciter fieri & non aliquid fieri dicimus? Primùm ita enunciat definitionem: *generatio simplex & absoluta à non esse simpliciter, ad esse simpliciter mutatio est.* Quæ verba potius videntur sumpta ex 1. de gen. & cor. tex. 11. & 18. quam ex 5. phys. 1. postea declarat eandem his verbis: *id est, à pura potentia aut priuatione, quæ potentiam puram indicat ad actum & formam substantialem, &c.* Perquàm mallemus hæc in optimam partem interpretari & verè Aristotelicè nisi autor ex professo impugnare sententiam Aristoteleam instituisset, cuius iam fundamenta iaciuntur. Quod de pura potentia dicit, eam esse idem, quod NON esse simpliciter, aut priuationẽ, id potest respectu formæ substantialis, cuius nihil, si numerum aut singularitatem accipias, & nõ speciem, antequam facta sit, nisi potentia præexistit, intelligi, vt sit idem ac si diceres forma gignenda in materia, quæ ad Essentiam tendit, tantum est potentiâ seu naturali habitudine & procliuitate, vt eam post absolutum motum natura inesse meritò possimus asserere. Si autem velis materiam esse puram potentiam, vt Scotisticam intelligas, antequam nihil extitit; non modo sophisticam esse explicationem sed & omnino falsam confitemur. Etenim illa pura potentia cum sit nihil, Aristotelis materia esse nequit. Sed & si non respicias ad formam successuram, sed ad materiam, vt est materia, neutiquam ea pura est potentia. Habet enim aliquem actum; & potius potentiâ

5. Phys. text. 7.

tentiâ eſſe, quàm quòd ſit pura potentia ſentiendũ, dicendumq́ue fuerat. Addimus quòd ne potentia quidem ſit, niſi ab aliquo quod actum iam habet. Si ergo ante materiam illam nihil fuit, vnde potentiam accepit? Sic itaq; ne materia quidem præexiſtet, prout naturâ ſe habet. Illud quoq; imperitè expoſitum eſt, dum ſimpliciter non Ens, per puram potentiam vel priuationem ſignificatricem puræ potentiæ interpretatur. Duplex enim non Entis eſt ratio; aut per ſe non Ens, vt priuatio, aut non Ens ex accidente, cum per ſe ſit Ens, Ariſtoteli ponitur. Si Scotus puram potentiam eandem cum priuatione eſſe ſentit, inſufficienter expoſuit non Ens ſimpliciter: nam & materia vnâ ſignificatur: ſin vtrunq; aut materiam tantum intellexit; iam pura potentia nõ poterit habere locum. Videat itaq; quàm firmũ & immotum ſit fundamẽtum cui ſequens diſputatio debet inniti. Laborat maximoperè vt Ariſtotelis generationẽ ſimplicem de ea interpretetur ante quam nulla alia anteceſſit: verum ex ſequẽte explicatione nihil tam cõtradicit. *Formam* ait *introduci in materiam ab efficiente, vnde res, quæ gignitur actu exiſtit talis qualis facta eſt ab efficiente; vt non immerito efficiens ipſum eſſe rei ſubiectæ, quæ mouetur, tribuiſſe videatur.* Et quæ plura his annectit. Quæro num hæc ſit Ariſtotelis ſententia, quę pro fundamento ſequentium ponitur? Imo eſt, inquiet. Nam ex definitione deduci videtur. Statuebatne ergo Ariſtoteles, mundum aliquando ortum eſſe, ita vt ante eum nihil eſſet, niſi pura potẽtia? Neutiquam inquiunt omnes Peripatetici. Ergo, inquam, de efficiente rationali & mente in hac doctrina non loquitur, ſed de naturali. At huius finis eſt ſimilitudo paſſi. Nonne? Imo eſt. Extabat ergo efficiens ante generationem primam & ſimplicem,

1. de gen. & corr. 1.

cem,idq; simile specie. Quod si est, cur tribuitur Aristoteli tam peruersa sententia, nihil extitisse ante primam generationem, cum extiterit generās, idq; simile; specie quidem æternum at singulari ratione & ipsum generabile & corruptibile; alioquin simile non esset. O stupidum Scoti ingenium & futilissimum consectarium vereque languidum & eneruatum Sophisma (vt loquitur Tempellus) quod subtexitur: *Materiam primam aliquando nudam & ab omni forma alienam fuisse & Essentialem formam ab efficiente accepisse, vt ita constitutum fuerit corpus naturale.* Ecquis vnquam ex Peripateticorum familia ne dicam ex Theologis, tam crasse philosophatus est? Si hæc Aristotelis est sententia, cur insectatur Platonicum chaos, & aliorum massam informem? cur materiam à forma inseparabilē toties clamat? Quid, quod vix Platoni eiusmodi monstrosa opinio possit tribui, vt pote cum ex inordinatis, nō ab omni forma alienis mundum hunc in ordinem per Deum redigat? Sed fortassis non bene cōtra tam insulsum philosophastrum tam multa proferimus, estq; consultius ridere potius, & miserabilem illum disputatorem ad Cynosarges ablegare, quam tantam insaniam verbis corrigere & inanissimas tautologias millies repetere. Atqui asserit hanc esse Germanam & veram Aristotelis sentētiam de ortu simplici? Asserit quidem & pro quæstione certaminis futuri proponit: sed in quo tantum aberrat à scopo, quantum verum à falso distat, sicut ex ante dictis demonstrari posse confidimus. Vtinam legisset Tempellus tam futile fundamentum, inspexissetq; vel vnicum Aristo. locum & qua est ingenij sagacitate, nugas fumosq; deprehendisset, nec suo Encomio καπνοπώλην καὶ σκιαμάχον istum ornatum voluisset. Sed hæc ex secundo

capi-

capite Scoti, de ſententia Ariſtotelea, quam turpiter deprauaſſe, eſt deprehenſus.

QVAESTIO II.

An Elementa oriantur ſimpliciter ſecundum Ariſtotelem, ita vt fiant ex materia prima & qualitate tactili.

HVivs quæſtionis me ferè pudet apud eruditas Peripateticæ diſciplinæ aures, quæ in tam puerilibus occupari ægrè ferunt. Quis enim ignorat, inquient philoſophi iſti, Ariſtotelem hoc pridem ſtatuiſſe itaq; reſpondere experientium? Satisfecerint hæc abũde rerum naturalium peritis: Scoto non arrident, qui ex hypotheſi conficta pergit pro ſua fide omnia quę ſcripſit Ariſtoteles de rerum natura, vno quaſi halitu proſternere & tot ſeculorum labores in Schola Peripatetica ſtoliditatis mendacijque arguere. Itaq; vt magnum quid polliceatur Lectori, titulum capiti tertio præfigit: *Quod generatio ſimplex & abſoluta ratione corporum ſimplicium non inceperit, quodq́; Elementa ex materia prima & qualitate tactili ortum non habuerunt, ex Ariſtotele contra eiuſdem decretum demonſtratur.*

Riſum vix teneo: quid ita? quia homo vanus cum aduerſario defuncto luctatur. Id oppugnat ꝙ nemo non damnauit ex Peripatetica familia. Atqui Ariſtotelem id ſtatuiſſe aſſerit? Nempe fide Scotiſtica, id eſt, friuola & mendaci, id ꝙ ex primo capite patuit. Mirum vero eſt quod policetur, Decretum ſc. Ariſtotelicum rationib. Ariſtotelicis euertere: Auſcultemus. *Sed nũc quàm vera* (inquit) *ſit Ariſt. ſentẽtia &*

quàm

» *quàm belle cum ipſius doctrina & diſciplina conueniat, non*
» *ex alienis & longè petitis argumentis, ſed ex ipſius Ariſtotelis*
» *fontibus inquiramus.* Arguit hoc generali libri ſui ſcopo mendacij Ariſtotelem & incōſtantiæ, vt qui adeo ſeu imperitus ſeu obliuioſus fuerit in rebus inueſtigandis, intelligendis & ſcribendis, vt ſe turpiſſima cōtradictione ipſum refutauerit ſolidè & neruosè. Et hæc eſt quæſtio Scoti: Sequitur thema: *primum igitur apertiſſimis Ariſtotelis rationibus teſtimonijs cōuincant, nullam eſſe generationem ſimplicem, qualem ille primam fingit: nec generationem aliquando incepiſſe, aut ſi principium habuerit, fieri non poſſe, vt eo modo inceperit, quo Ariſtoteles eam habuiſſe principiū putat,* VIVIS MINIMEQVE *fallentibus argumentis oſtendam.* Hoc, inquam, thema & cardo huius diſputationis noſtræ eſt; Iacobus Martinus Scotus negat incepiſſe generationem, ſicut eam Ariſtoteles incepiſſe dicit. At, inquam, Ariſtoteli non incepit: an ergo demonſtrabit quod inceperit, atq; ita Theologum aget? Minimè: ſed dum putat philoſophum aliquod initium primum ſtatuiſſe generationis, turpiſſimè & tanto Ariſtotelicæ diſciplinæ profeſſore indigniſſimà decipitur, tantumq; in ventos effundit inaniſſimas fabulas. Quin Ariſtoteles, eo teſte, fingit aliquam primam? imo ne ſomniat quidem vmbram eius; Alicuius quidem generatio, puta huius vel illius hominis, poſſit dici prima generat. ſi velimus ἀκυρολογεῖν aut potius Theologicè quàm phyſicè loqui; generatio autem ſimpliciter & vniuerſaliter Ariſtoteli nulla eſt prima. Eodem modo nec incepit iſta, quanquam huius vel illius ſingularis generatio initium habuerit. Hæc omnia etiam ſupra dicta ſunt & nos cogimur ταυτολογεῖν ſæpè; Deprecamur culpam apud Logicæ artis proceres Tautologiarum impatientes. Sed pergit

per

per quàm eleganter: Duo proponit; demonstraturus aut generationem talem, qualem fingit Aristot. non incepisse, aut si inceperit, non ita incepisse: Miror acumen. Accipiamus sanè hæc ita, quod propositum sit ipsi definitionem Aristoteleam euertere, & demonstrare, generationem nō incepisse: cur addit id, quod in fine huius commentationis omisit, aut eam non ita incepisse. An hoc quoq; Aristotelicis argumentis probabit? An ille alius modus erit physicus? Argumenta vult proferre *VIVA & minimè fallentia*: fecerit hoc, gratiam inierit magnam: philosophi iudicabunt. Multum autem sibi tribuit in hac disputatione. Nam ea dicturum promittit aduersus Aristotelem & eius disciplinæ sectatores, veritatis indagandæ studio, *Quæ à nemine adhuc, quātum audire & obseruare potuerit, aut dicta aut scripta, aut quauis alia ratione proposita fuere.* Si Tempellus hāc tam grandem pollicitationem legisset, cane peius & angue tam odiosum scriptorē fugisset. Est enim perquam similis isti scriptori Cyclico, qui plenis buccis sed longè verecundius quàm Scotus ita proponebat:

Fortunam priami cantabo & nobile bellum.

Sed quid iudicij de tantis ampullis & plaustralibus promissis? nempe quod ait poeta:

Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.

Cautè disputet Scotus: Si enim euentus promissis non responderit, ridendus omnibus propinabitur. Velim tamen ne iniuriam fecisset manibus Rameis: Apparebit enim, nō tantum talia multa, quin & ea ipsa in Aristotelem protulisse Ramum, sed & Scotum pleraq; ex eo transcripsisse, ne quid de Bernardino Telesio, Cæsalpino, Cureo, Fuchsio & alijs dicam, qui non pepercerunt philosopho, & ex quibus multas pennas petitas sibi aptauit. Verūtamen

 sit eius

ſit eius hæc laus propria: nullum vnquam ſcriptorem Scotiſtica argumenta obſeruaſſe, aut potius proferre voluiſſe. Sunt enim talia, vt plus pudoris quàm honoris authori ſuo concilient. Itaq; nõ immeritò à ſaniorib. ſunt ſpreta; ab inſaniente autem Scoto tanquam res immenſi precij collecta. Sed & vlterius promittit; nempè *quòd ratione & experientia velit demonſtrare*, imò *& authoritate Ariſtotelis* (quæ tamen non multum valitura eſt, cum tam turpiter in minutis deprehenſus fuerit error eius) ſua argumenta eſſeueriſſima. Meritò ſuſpecta omnibus fuerunt tam grandia & Agyrtarum vnguentariorumque more effuſa exordia. Homines enim vix credunt tantam eſſe vim in promiſſore, vt tam diuinum quid in tanta rerum ſententiarum& indagandi ob humanam tarditatem difficultate, præſtare poſſit. Quo autem fine iſta dicet? *Vt ſcilicet tollantur magnæ quæſtiones & controuerſiæ, de quibus doctiſſimi quique homines vſque in hodiernum diem acerbiſſimè & dictis & ſcriptis decertarunt.* Valdè doctum & vltra doctiſſimos eruditum ex proprio ore audio virum: ſed cum ſpe de Euentu minore. Nam ſi Doctiſſimi litem componere non potuerunt, cum vltra doctiſſimum nemo aſcendat niſi ſtultus, qui controuerſias tam graues altasque vix dirimit: quomodo Scotus illis finem imponet? Sed quinam illi doctiſſimi homines ſunt? Nempé qui ex Schola Ramea hactenus prodierunt, perquam acutuli & in phyſica Ariſtotelea fere Sophiſtæ inertiſſimi. Nam ex alijs nemo tam acriter & pertinaciter dimicat contra Ariſtoteleos. Verùm ex illis parum vtilitatis ſperandum eſt. Cum enim veluti Hannibal in Romanorum pernitiem: ita ipſi in interitum ſcriptotum Ariſtotelis iurarint, vix fit vt ſyncere & candidè

concer-

concertent, perinde vt futilissimus sophista Ramus in Naturalibus (Nam Dialecticen excipio) cum Aristotele defuncto egit. An autem sustulerit è medio controuersias Scotus, nos ipsi testes sumus, quibus ob indignitatem veritatis ab ipso patientis, calamum extorsit, sicut fortè pluribus alijs, simile quid conantibus, vt ita auxerit litem, non minuerit. Post hæc repetit thema suum, ne à consueta tautologia decedat: & addit nouum finem, nisi illa vetus cantio est, quòd velit efficere. *Vt inanis tota, aut certe parum frugifera, & Mathematicorum potius quam physicorum ea disputatio videri posßit, quæ de rerum caducarum generationis principijs & Elementis, deque ipsa generatione, ijsque omnibus quæ ad generationem referuntur ab Aristotele plerisque in locis proposita & ad nauseam vsque prope repetita est.* Parce iudicijs doctorum & experientiæ Scote: Nam multum vtilitatis hactenus in cognitione naturali attulerunt isti libri. Quid quod & falsorum quædam est commoditas? Faciunt enim ad verorum agnitionem. Quid ergo garrias perpende. Sed agnosco spiritum Rameum. Sic enim & ille alicubi in suis Scholis promittit, se effecturum vt in posterum Acroamata Aristotelis ex omnibus Scholis exturbentur: tentauitque quantum potuit in toto Organo; Acroasi, & philosophia: TEMPELLVS doctrinam moralem arrosit aliquantulum: Hic Scotus quod superest, de generatione simplicium & mistorum euertere satagit, nostrisque manibus extorquere libros de ortu & interitu in genere: in specie de ortu animalium & plantarum: item de vita & interitu & alios plures, quibus cadentibus tota doctrina de animalium partibus & historia erit destructa. Ex illis enim tanquam ex fonte deducta est; & quæ

in ſingulis hic dicuntur, ea ibi generaliter ſunt explicata. Ruentibus ſingularibus, quod poteſt eſſe vniuerſalium fundamentum? Verum ſicut Rami Scholæ friuolæ, nugaciſſimæ, ſtolidæque tantum non effecerunt, quod deſiderauit author, vt etiam magis magiſque excolantur iſta monumenta quæ impugnabant; ipſæ verò pro futilibus apud omnes ſincerè philoſophantes habentur; Eandem fortunam experietur & Scoti commentum. In hoc, quicquid rei ineſt, includitur Syllogiſmo.

Si generatio illa ſimplex & abſoluta aliquando incepiſſet; vel corpus aliquod ſimplex vel miſtum per eam ortus ſui principium habuiſſet.

At nec corpus ſimplex, nec compoſitum per generationem quam ſimplicem appellat, vnquam ortus ſui principium habere potuit. Ergo nulla ſimplex & abſoluta generatio aliquando incepit.

Propoſitionis particula, qua dicitur (*ortus principium habuiſſet*) declaratur per hæc verba: ***Cum prius nullo modo actu ſed tantum potentia extitiſſet.*** Declaratio hæc probatur definitione generationis ſimplicis: quæ eſt mutatio à non Ente ſimpliciter ad Ens ſimpliciter. Sed cur neceſſe eſt vt corpus ſit ortum, ſi incepit generatio? Nempe quia materia prima & forma non gignuntur: quia his nihil prius & antiquius eſt. Sed id ſolum quod ex vtroque principio eſt compoſitum, ſine quo nulla generatio extare poteſt. Hactenus propoſitionis proſyllogiſmi. Aſſumptum roboratur: Si corpus ſimplex eſſet ortum generatione ſimplici; aut corpus cæleſte, aut Elementa & ex his vel aliquod vel omnia eſſent genita, id eſt, orta ex materia & qualitate tactili. Pagina nona addit; *cum prius non fuiſſet.* Neutrum eſt. Cæleſtia enim Ariſtoteli ſunt ingenita & incorruptibilia

bilia. Elementa verò ita oriri non poſſunt, &c. Hoc poſtea demõſtrationis caput erit in hac prima parte: de miſtis agemus in ſecunda.

Verùm ne ſine aduerſario certet Scotus, id quod præcipuum in quæſtione erat, explicat: Vtrum nempe Ariſtoteles ſtatuat, Elementa eſſe orta ex materia prima & tactili qualitate. Fortè enim hoc non ita ſe habet. De hoc quidem paulo poſt: iam reuertamur ad ſyllogiſmũ. In toto dicimus Cothurnum eſſe: Aut enim ex Scoti ſententia falſa, res eſt interpretanda, aut ex Ariſtotelis vera: Si ex Scoti: admittimus totum, ſed ita ne opponatur Ariſtotelicæ veritati. Si ex Ariſtotelis: negatur aſſumptum. Contrarium enim verum eſt: Etenim ſecundum generationem ſimplicem Ariſtoteleam, non quidem olim orta ſunt ſimplicia & miſta, cum ante in rerum natura nec ſpecie nec ſingulariter eſſent, ſed orta ſunt & adhuc oriuntur corrumpunturque verè & naturaliter ſecundum ſingularia. Quod attinet ad appendicem propoſitionis primam; eam ſupra oſtendimus eſſe merum phantaſma Scoti & inertiſſimum ſophiſma, ab Ariſtotele alieniſſimum. Etſi enim ſingularia, quorũ eſt generatio & corruptio, antequam oriantur, non ſint niſi potẽtia, ſpecie tamen aliud ſingulare, ſimile illis quæ oriuntur, anteceſſit. Ideo vt tum genere corporis ſimplicis & miſti & generationis fallat Scotus, tum in vocib. Nullo modo magnum committat ψεῦσμα, cui probando non facit ſed aduerſatur definitio.

In altera appendice ita arguitur:

Si quid oritur, aut principium id eſt, aut ex principijs factum, hoc eſt, materia & forma, aut totum inde compoſitum, quod eſt vel ſimplex vel miſtum.

Sed non principium. Ergo factum ex principijs. Admitti-

mus hoc ita: Quatenus enim materia & forma sunt principia communia & vniuersalia, eatenus non oriuntur. Sunt autem tunc non physicæ res, sed Metaphysicæ, id est, Logicæ causæ; quæ cum etiam in mente diuina ab omni æternitate exemplariter insunt, oriri aut corrumpi nunquam possunt. Sin res sunt naturales cum considerẽtur, aut vt omnia materiata, vnum quid hoc ipso sunt, quia materiam habent communem: & formata forma naturali corporea: aut vt in singulis peculiariter etiam sensu percipiuntur: materiam communem quidem manere tam diu necesse est, quàm diu res omnes, quæ eam participant; sicut & formam: singularia verò si hac cõditione sunt, vt mutationem subeant, corrumpuntur gignunturq; vicissim. Itaque videre est hîc quoq; sophisma ambiguitatis grande committere Scotum: dum quod Aristoteles in singularibus esse contendit, ipse ad vniuersalia accommodat: qua ratione strenuè negamus assumptum. Nam & materia singularis & forma, & totum, quod inde est, generantur. Materia fit, etsi ratione subiecti iam sit, dum informatur esse enim à forma pendet. Forma autem generatur dum per efficientem causam in materia producitur: coniunctis vtrisque. Iam res est generata; vt ita perfectio generationis nihil aliud sit, quàm coniunctio & vnio formæ cum materia; cuius respectu Aristoteles neutram partium Essentialium gigni, sed totum scribit, cum tamen alio modo vtriq; generationem tribuat. Hoc probabimus, postquam absoluerimus hunc Syllogismum. Et sic iugulata est propositio huius paralogismi. De assumpto videbimus per totam hanc disputationem; in qua sæpè fit mẽtio materiæ, formæ, qualitatum, Elementorum, subiecti præter vocabula

bula generationis simplicis & corruptionis supra declarata. Putamus consultum & de istis, quid & quàm variè sint & accipiantur apud philosophum, præmittere. Materiæ vox Rameis potius Logica videtur, cum significet vt putant, causam ex qua res est. Vellemus ipsis hoc dare, si monstrassent commodam aliquam, qua res physica posset exprimi, Sed cum nec ipsi inter se cõsentiant, nec aliam substituant, videaturque à vulgo sumpta; è physicis exterminare, vbi est vsitatissima, eam non possumus. Apud veteres, si quid materiatum diceres, id profecto Logicum non erat, sicut nec Metaphysicum, nec Mathematicum. Est tamen apud Aristotelem, nisi fallimur, triplex vsus materiæ, primus Metaphysicus, qui etsi idem est, ac si principium & causam diceres, tamen Aristoteli vltra ea, quæ alioquin verè in materia existunt, non extenditur. Sunt enim ipsi ἄϋλα ista quæ sub scientiam cadunt, & quas in 12. Metaphys. sempiternas substantias, secundas & separatas formas appellauit. Ramei à materia Logica, quæ tale est principium, nihil excludunt, quod Essentiam habet aut habere fingitur. Dicunt enim ad omnia se extendere sensum Logicum. Et si ista sub genere aliquo sunt; genus autem Essentiæ totius, quę constat materia & forma, Symbolum est, sicut & species: non sane materiam suam adimi ipsis posse: contra quæ nos non pugnamus, admittimusq; libenter, istum vsum Metaphysicum prætèr Ideam seu genus & principium Logicum nihil habere.

Philosophus etiam appellat eam intelligibilem: tametsi intellectus sit alioquin formarum immateriatarum, quæ facilè conciliantur respectibus. Nam & materiæ aliquam formam, per quam intel-

7. Metaph. tex. 35. intelligibilis est quæ existit in sensibilib. non vt sensibilia sed vt Mathematica.

intelligatur & definiatur, esse necesse est, siue ea sit ex Analogia concepta, vt de communi dicit Aristo. siue propria Idea. Ad hunc materiæ significatum aggregare possemus totum illud quod de materia communi, quam primam vocat in generalibus naturalium, disputat, præsertim cum eam velit esse æternam, ingenitam, incorruptibilem, analogia tantum perceptibilem, & rerum omnium naturalium principium, & quæ plura attributa passim leguntur. Obstare autem videtur, quod non intellectu & logicè tantum, sed & verè existat, licet nunquam sit sola & in pura potentia, sed à forma inseparabilis, cuius interuentu fit sensibilis: similiter quod aliter intelligatur, quam illa Logica; nempe ita, vt si omnes formas substantiales & accidentarias subtrahas (quod fieri sensibiliter nequit, sed cogitatione tantum) id quod relinquitur, materia esse dicatur; Et licet sine forma existere ne momento quidem possit, tamen forma non est; Cumque sit rei existentis pars essentialis, ipsam sane necessē est existere; nisi velis confundere materiam cum forma & rebus existentibus, intelligibile subiectum, quod non est nisi ratione, attribuere. Videmus itaque ad Logicam materiam hanc quàm proximè accedere; neque tamen ita intelligibilem esse vt sunt Logica, si naturam existentiæ eius cōsideres, per quam ab illa discernitur. Ramus impatiens eiusmodi argutiarum ex physico Campo totam hanc exterminat, vt qui putet nihil nisi sensibile in subiecto physicæ contineri; Cui tamen asseclæ non assentiuntur omnes, vt qui quicquid naturam habet, id huic arti assignant, & neque Deum neque Angelos, animasq; humanas excludunt. Nos alioquin de ea re bellum ἄσπονδον non mouebimus. Scimus enim

7. Metaph. c. 1. & 8. Metaph. text. 3.

Logi-

Logicam quoque materiam eas differentias ſubire, quas patiuntur res in quibus eſt; vt ita ſi in corporeis monſtranda ſit, nullo alio modo poſſit quam dicto. vtetur tamen interim phyſicus hac ſua materia cum bona Logicorum venia, ſique iſta generalia ſuæ quoq; applicauerit, non iraſcantur. Hic materiæ vſus aliter. Tertius ad ſenſum pertinet: ſed is quoque non vnus. Aliter enim ineſt ęternis corporibus, aliter corruptibilibus, aliter in arte. Hanc etiam ſingularem vocat philoſophus; quia ſenſus ſingularium eſt; alibi ſenſibilem. Cælo eam primo tribuit atque adeo toti mundo vt in 1. cæli textu 92. & 94. Cælum ſenſibile eſt, igitur ſingularium. Mundus eſt ex tota materia: Cælum eſt quiddam eorum, quę ſingularia ſunt & ex materia. Alibi ſubſtantiam ſenſibilem, quandam ſempiternam, quandam corruptibilem facit. Sic in 2. de gen. & corru. principia generabilium æquat principijs ęternorum, vocatq; materiam & formam, quæ in æternis hoc eſt cæleſtibus inueniuntur. Eodem modo & Plato ex ſenſibili materia cælum & omnia creata fabricat. Materia corruptibilium, quæ ſenſibilis eſt, quæq; interit & oritur viciſſim, primum eſt in Elementis, poſtea in miſtis. Horum materia ſunt Elementa ipſa; at Elementorum ſua cuiusquè. Vnde quatuor erũt materiæ Elementares omnino pro numero Elementorum; præter communem illam, vt in 4. de cælo 5. ſcribit philoſophus. Hæc interdum propriè materia vocatur Ariſtoteli. Sic enim ait in 8. Meta. tex. 14. *Non omnium materia eſt, ſed quarumcunque generatio & tranſmutatio invicem ſunt: quæcunq; verò abſq; eo, quod tranſmutentur ſunt, aut non horum, materia non eſt.* Cælum ergo reſpectu huius eſſet immateriatum. Iuxta hanc ſignificationem ſimilaria dicuntur diſſimila-

1. de cælo text. 29. 7. Meta. tex. 35

12. Metaph. 2. textu 51.

In Timæo.

Quod oriatur & cor. teſtatur 7. Met. tex. 22.

Materia ſũt eſſe & non Eſſe.

item 2. de gen. & cor. tex, 5. 1. phyſ. Vltimo.

1. de omnia textu 82.

Materia ſimilia ſunt Elementa.

4.Meteoror. Vltimo. 1.Physf.7. milarium materiæ: Item semen materia plantarum & animalium. Vltima materia est artium, de qua in exemplis passim: Vt æs fit materia statuæ. Hæc sua in forma manet, etsi exteriorem dispositionem accipiat aliam: Physica autem materia sensibilis mutatur Essentiâ & interitus. Hæc significata etiam in species per diuisionem certas digeruntur; tametsi potius modi quidam sint, quam species veræ. Materia alia est intelligibilis & sensibilis: Intelligibilis vel ratione Logica, vel ad Analogiam hoc est vel in propria specie, vel ad aliud relatè per analogian: sensibilis aut artium quarundum est, aut corporum naturalium; Et hæc vel incorruptibilis, vt cælestium, vel corruptibilis vt Elementarium. Alioquin & has diuisiones reperias apud philosophum: Materia quintuplex est, quatuor Elementorum, quinta communis. Item alia æterna, alia corruptibilibis; alia sensibilis, alia intelligibilis; alia prima, alia vltima, de quibus appellationibus aliquid addendum est. Vltimam materiam appellat singularem, ex qua sunt singularia vt Socrates; & opponit eam vniuersali. primam definit in primo phys: vltimo, quòd sit *subiectum vnius cuiusq;, ex quo fit aliquid, cum insit non secundum accidens*, vt si corrumpitur, in hoc abibit vltimum. Nam si vltima est in corruptione, prima erit in generatione. prima autem vocatur non ob eandem rationem. Nam modo Platonicè pro communi subiecto, quod intelligitur, omnibus esse primum, accipitur: modo in artibus circa materiam occupatis opus dicitur ex materia esse prima aut secunda: vt statuæ materia vltima est lapis, lignum, vel æs; prima autem materia ipsa Elementa, quæ ad huc ex priore vt Essentiali subiecto, esse dicuntur. Hæc etiam sensibilis esse potest,

4.cæli 5. 1.phys. Vltro 7.Metaph. tex.35. 7.Metaph. 12.cap.

teſt , pro medio ſignificatu Elementa enim ſunt ſenſibilia.

De hac ipſe Ariſtoteles in 5. Metaphyſi.c.4. ſeu textu 5. *Natura dicitur etiam ex quo primo inordinato exiſtente & immobili ex ſua potentia aut eſt aut fit aliquid eorum, quæ natura ſunt, vt ſtatuæ & vaſorum æneorum æs dicitur Natura &c. Similiter de cæteris. Ex his enim vnumquodque eſt, prima materia ſalua. Et hoc modo etiam Elementa eorum, quæ naturâ ſunt dicunt eſſe naturam*, Et paulo poſt: *Natura quæ eſt prima materia dupliciter, aut quæ ad ipſum prima, aut ſimpliciter prima, vt operum æneorum ad ipſum quidem æs primum; ſimpliciter autem aqua fortaſſis &c.* paulo aliter videtur accipere materiã. 1.9.Metaph. textu 12. *quod ſi eſt aliquod primum, quod non ſecundum aliud dicitur illiuſmodi; hoc materia prima eſt tanquam quod quid, & ſubſtantia eſt. Hoc enim ſubiectum vniuerſale differt eo quod quid eſt, aut non eſt.* Ex his diſcemus differenter non tantum de materia ſimpliciter loqui, ſed & de materia prima; quæ vel in Mechanicis prima accipitur vel in naturæ operibus: ibi quidem ſi proxima materia eſt miſta, Elementa erunt materia prima; & vlterius vſque ad primum ſubiectum: Hic eodem modo. Nam animalis materia dicitur corpus, Corporis, ſi eſt organicum, partes ſimulares; horum Elementa; Elementorum Cal. frig. humid. ſiccum 2. de partibus animalium. 1. De long. & breu. vitæ cap. 3. & 4. Meteor. Licet hîc tantum humidum & ſiccum appellet materiam; alibi terram & aquam, materiam miſtorum. Hæc obſeruãda ducimus de materia, ſicut Ariſt. de ea diſputat. De forma ita loquitur; vt modò ſignificet Eſſen. principiũ, modo accidentale: illud vel vniuerſale Logicũ & intelligibile eſt, ꝙ quidē ſtatuit æternũ & incor. ſicut & plato de

Ideis suis disputat,& Elementis simpliciter, seu cælo absolutè; vel est singulare & sensibile per adiuncta sensibilia, quod quidem gignitur & occidit per se in corporibus corruptibilibus;at in æternis,sicut materia in cælo perpetuò manet. Quod principium secundum formam sit incorruptibile; habetur 1.phys.t.vlto & 12. 1.Metap.3.*Quòd quædam formæ corruptibiles quæ sunt physicæ.* similiter 1.phys: vltimo extat *quod in cælo sit forma æterna*;In lib.de cælo exprimit, & 2.Gen.& cor.tex.51 .Sed hîc scrupulus incidit non paruus: Supra distinximus vniuersalem materiam, quæ intelligibilis omnino est,& Logica, à communi physica: videtur hoc fieri debere etiam in forma; vt quædam sit vniuersalis & logica; quædam physica communis: sed parem rationem esse negamus. Subiectum enim, cum sit substantia ex accidente & mutabile;omnium fotmarum est capax diuersis sui partibus actu ; potentia verò etiam in eadem per successionem pro habilitate sua.Formæ, quæ per se est substantia,& vnum quid sua naturâ,& actus singularis, similis conditio non est. Itaque præter Logicum sensum,communẽ hîc explodimus & phantasiæ platonicæ telinquimus. Nos formas Essentiales rerum naturalium , quæ natæ sunt in materia existere, sua natura inseparabiles esse scimus & fatemur, quicquid alij obganniant de humanis formis, quas diuina potentia extra corpora sustentat, non propria natura. Porro singulares formæ hæ nõ tantum à materia sunt inseparabiles, sed & à proprijs qualitatibus , per quas incurrunt in sensus. Vnde fit vt sæpe commutentur nomina; Cumque sit aliud reuera rei essentia , aliud adiunctum proprium;tamen in physicis disputationibus sæpissimè forma per qualitates.differentias affectiones, dispositiones,

1. Gene. & cor.tex. materia manet eadem: Esse eius nõ manet.

1.cæli text. 92.

h. e. actus

ſitiones,contrarietates, & harum nomina deſignatur.Hoc ita patet. Qualitates nō eſſe formas Eſſentiales,ſed accidentarias,notiſſimum eſt. Forma enim per ſe Ariſtoteli categoria eſt, nempe affirmatio,qua dicitur res eſſe, & ſubſtātia quæ dat eſſe rei: ab hoc genere differt qualitas, quemadmodum etiam proprijs quibuſdam adiunctis diſcernuntur;Et Ramus ipſe in Logicis formam in cauſis ponit,qualitates inter adiuncta, præter comparatas, habet: Eſſe autem qualitates Elementorum calorem, frigus,humiditatem,ſiccitatem;pluribus demonſtratur:ſicut & de leuitate,grauitate, & alijs, quæ ad tactiles illas primas reducuntur. Etenim plures qualitates vni inſunt rei; at vna tantum forma Eſſentialis.In 1.de generat.& corrupt.tex.18. *Calorem vocat differentias:*At in 5.phyſ.tex. 18. *differentia eſt qualitas:* Contrarietatem tribuit calori & frigori;ſubſtantijs neutiquam, licet repugnet cum logica ſua Ramus irrumpens in phyſicen. In miſtione quoq; exuperantias contrarietatum corrumpi ait, id quod ſubſtantię conuenit.Non enim gradibus remittuntur & intenduntur eædem.Similiter,arma,quibus forma gignitur & corrumpitur, ſunt qualitates: vnde & Ariſtoteli potentiâ prius inſunt , quam forma. Sed differentia ita manifeſta eſt:Quòd autem commutet nomina, ex plurimis poteſt oſtendi. 2. de gen.& corr.tex. 6. *Materiam eſſe cum contrarietate, ait, id eſt, ſubiectam contrarijs Cal.frig. &c.* Et paulo poſt has ipſas *contrarietates* dicit *eſſe ſecundum principium*, quod alioquin forma eſt &c. Text.7.*contrarietates ait conſtituere Elementorum formas.*In 12. Metaph. text. 22. *Calidum formam* appellat:quod in 2. de part. anim. 1. *materiam:* item *frigus, priuationem.*tum in 12.Metaph. text.22.tum 1.de gener. & corr.textu 18. In 5,phyſ.

2.Gen. & cor.tex.51. Forma eſt ratio ſubſtātia cuiuſq;.

Item 2.gen. & cor.text. 24. Elementorum differentia sũt contraria: cal.fri. &c. Item tex.31. 34.36.1.de calo tex. 21. 4. Metap.1.

2.de gen.& corr.ca. 4. 4. de calo 3. motum in forma pro in quali vocat.

text.

text.12. *Aegritudinem & sanitatem vocat formas*: Eædem qualitates etiam *virtutes Elementorum* vocantur 2. de
capite 4. part.animal.1.& 4.meteororum. Vide 5. Metap. 14. *paßiones* vocat in 1. de gener. & corru. tex.23.& 24.8. Metaph.text.8. *Dispositiones* nominat.1.de cælo text. 107. *Mundum generare & corrumpere viciβim, nihil aliud est, quam dicere, sempiternum esse, sed mutantem formam &c.* & paulo post: *Non mundus fieret & corrumperetur,*
2. de Anima *sed dispositiones eius, quarum causa sunt contraria qualitates*
1. & 2. item *Actus dicuntur in libro de anima vocabulo* ἐντελεχείας,
8. phy. tex. 55 quæ alioquin etiam est μορφὴ, οὐσία, εἶδος, ἐνέργεια λόγος &c. In 11. Metaphysico. cap.8. motum per ἐνέργειαν & ἐντελέχειαν definit. Item Lumen de anima li. 2. capit.7. plura enunciare supersedemus. Ex dictis enim discrimen & vsus varius facilè apparet. Elementi nomen interdum pro principio & causa accipitur, potissimum materiali vt Elementa dictionum, demonstrationum corporum mistorum; vt sint ea, *ex quibus componitur primis inexistentibus, In-*
5. Metap. c. 3. seu tex. 4. *diuisibilib. specie in aliā speciē.* Sic vocat genus Elemētū, quod maximè est vniuersale per translationem &c. Sed hic vsus Logicus est, qua ratione videtur etiam de principijs, materia scil: & forma dici in 1. phys. text.57. seu cap:6. circa finem: item textu. 56. potest tamen hic vsus etiam physicus esse; si materia & forma de physicis sumuntur: alioquin vocat eadem principia text. 50. 2. de gener. & corrupt. textu 51. physicum Elementum definit in 3. de cœlo textu 31. *quod sit corpus, in quod alia diuiduntur quod inest potentia ipsum indiuisibile in corpora specie diuersa.* Numerus horum variat. Autor libri de mundo quinque ponit, annumerans reliquis cælum. Idem facit Seneca. Et Aristoteles in primo Meteo: secundo & tertio *cælum* vocatur *primum Elementum* vt & alibi; & Elementum

stella-

ſtellarum 2.de generat an.3. Alibi pro tribus mundi regionibus tria conſtituit Elementa: ſummum, imum, medium: Sic & *in vniuerſalibus tria habet Elementa, materiam, form. priuationem.* Cauſas quatuor addita efficiẽte illis. Corruptibilium omnino quatuor ponit, vt in 2.de gener.& corrupt. Aliquando reſpiciens ad materiam miſtorum, duo tantum: vt in 4.Meteo:&c.In 2.de gener.& corrupt.textu 6. & 7. componit ea ex materia & qualitatibus tactylibus.vt & in 2.de part.animal.1. Interdum nominat ea, aërem, aquam, ignem, terram: Interdum calidum, humidum, frigidum ſiccum; quod & Galenus facit ex Athenæo; Alioquin earum principia vocat calidum, humidum, frigidum, ſiccum.1. Meteor. 2. Et quę plura paſſim colligas ex quibus maximas cõtradictiones inferunt Ramei, quod nobis niſi magis, attamen æque facere liceret, niſi candidè interpretari pro ſubiecta re & præſente ſermone, quàm calumniatores agere mallemus. Si quis itaque diuiſione procedere velit; is dicet: Elemẽtum eſſe aliud intelligibile, aliud ſenſibile. hoc eſt aliter conſiderari Logicè, aliter phyſicè: non enim eſt vera diuiſio ἀντιδιῃρημένη. ſecundum formas oppoſitas. Intelligibile, quarumcunq; rerũ cauſas ſignificet ſiue ſigillatim ſumantur, ſiue vt in generibus & ſpeciebus, atque omnino partibus. Senſibile vel corruptibile eſt vel in corruptibile; hoc cælum vocatur. Corruptibile vel ad totam miſti conſtitutionem requiritur, pro virtute æquali omnium; Et tunc quatuor ſunt, quarum actio & paſſio principaliter à primo pendet; vt hæc diſtinctio non immerito etiam debeat complecti quintum Elementum, quod tamen licet nomine ignis ſimul comprehendere, ſed ita vt non ex ſe ſed alio

1.de cælo & 12. Metaph. 2.textu 23.

4.ph.tex.10

Loquor ex præſcripto Ariſtoteleo, quẽ contra Scotũ oſtendimus recitius ſentire in his in quibus accuſatur.

modo

modo corrumpi dicatur, quatenus ſcil: in miſto nō ſibi ſed huic perit, reſoluta harmonia ſubiecti &c. vel materiam præbent potiſſimum ſuntque duo, vt aqua, terra. His ex Ariſtotelis ſententia (nam Ariſtotelica eſſe, tum loca allegata indicant, tum quiuis modò legerit aut audierit aliquid de Ariſtotele, facile deprehendet.) præmiſſis, accedamus ad diſceptationem ipſam de Elementorum generatione ſimplici. Aduerſario opus eſt, Iacobo Martino, quē oppugnet. Itaque non ſolum pręcedente capite generationem ſimplicem ita deſcripſit, vt ſit, qua materia aliquando ſine forma exiſtens, per cauſam efficientem, acceperit formam: verùm etiam hîc idem in ſpecie de Elementis ex Ariſtotele probare nititur. Fit theſis: *Elementa orta ſunt Ariſtoteli cum ante non fuerint.* Arg. ex teſtimonio philoſophi: Fiat Syllogiſmus: *Qui dicit Elementa oriri ex materia corporum ſenſibilium inſeparabili, ſemperque coniuncta contrarietati: Item qui primum ſubſternit materiam inſeparabilem ſubiectam contrarijs, potentia ſenſibilem & primam ante reliqua; ſecundo verò loco contraria ipſa & tertio Elementa hinc facta; is apertiſſimè ſtatuit Elementa eſſe orta, cum ante non fuerint.*

At Ariſtoteles id dicit: ſtatuit ergo Elementa eſſe orta cum antea non fuerint. Propoſitio primum explicatur iiſdem quidem rebus ſed verbis, vt videri vult, magis perſpicuis. Nam aperte ordo ibi ſignificatur in generationis progreſſu. dum dicitur *materia prior fuiſſe, quàm contrarietates, & vtrūq; prius Elementis:* Secundo *quòd, qui id dicit, ſentiat hoc, quod in quæſtione eſt, ita confirmat: Aut aliter ſentit Ariſtoteles, aliter ſcribit; aut hæc eſt eius mens: Sed non aliter ſentit, aliter ſcribit: hæc ergo eius mēs eſt,* probatur aſſumptum: *Quia ſi hoc; neceſſe eſſet, vt totum eius conſilium de rerum principijs ſit inutile: Fruſtra enim cōſtituta*

stituta fuerint ea, ex quibus nihil vnquam gigni posſit. At hæc ab Ariſtotelis ingenio ſunt aliena: non igitur aliter ſentit aliter ſcribit. Roboratur & aſſumptio: *quia veritatis cauſam omnibus antepoſuit, vt cuius retinendæ gratia nihil non ſit faciendum. Hæc ergo fuit Ariſtotelis mens rebus apertiſsimis declarata.* Adhuc Scotus in formanda & robrãda quęſtione. Sed cur Ariſtotelem & nullum alium, ex quo fortaſſis iſta audierit, Antagoniſtam ſibi tantopere affectat? Cur non omiſſo eius nomine rem ipſam proponit, vt eſt, à quocunque ſanè ſit, prolata? An in Ariſtotele eſſet id portentum oppugnandum, in alio quouis philoſopho ferendum? An non veritas ex ſe ipſa ęſtimanda eſt, & non potius quid Plato aut Ariſtoteles cenſuerit? Vidit Nænias ſuas tàm abſurdas eſſe Scotus, vt non auderet eas promere citra patronum aliquem: Deinde vt grande quid ſecundum pollicitationes tàm fœcundas & aureas moliri videretur. In Magni nominis philoſopho periculũ erat faciendum vt eò illuſtrius eſſet factum; Sicut ille profanus non aliud quoddam templum, ſed ditiſſimum ſumptuoſiſſimumque incendere ad grandem nominis memoriam in re maxima quæſitam, voluit. Sed ignorauit Ariſtotelem in cornu fœnum habere Scotus, neque perpendit omen. Sicut enim ille, vt & Zoilus & alij ſummorum ingeniorum arroſores infamia nobilitatus eſt, ita fortaſſis ipſi poterat accidere. Sed ad rem, propoſitionem Scoto negamus: Quid ita? quia & falſa eſt & ſophiſtica. Falſa, quia mentitur, Ariſtotelem ſtatuere Elemẽta orta, cum ante non fuiſſent: & contrarium potius eſt verum, Sophiſtica, quia quod maximè repugnabat Scoto, id indeclaratum prætcrijt; Et; illud (*cum ante non fuiſſent*) cum ferri poterat de ſingularibus, ipſe accipit de Elementis ſimpliciter. prius ita

2. de gen. & corr. 3. tex. probamus: Aristoteli res est cum illis, qui faciebant vnam materiam præter Elementa, eamque separabilem & corpoream: Et quod volebant se tueri autoritate Timæi Platonici, id reijcit: quia Etsi plato fingit quãdam materiam primam quę sit πανδεχὴς: tamen tam non apertè separat ab Elementis; nec vtitur: sed dicit tantum esse subiectum prius Elementis; sicut esset aurum prius aureis operibus; licet non bene sic dicat, alterationem cum generatione confundens. Sicut & in planis errat. Quòd autem non possit esse materia vna separata ab Elementis, probat: *Quia si esset sensibile* (id quod supponitur) *fieri non posset, vt esset sine contrarietate seu qualitatibus sensibilibus.* Si vero hoc; *iam non amplius materia sed Elementa esset ipsa.* Opponit suam postea sententiam: *quod sit quidem aliqua Sensibilium corporum materia, sed nõ separabilis, verum semper cum qualitatibus, ex qua* GENERANTVR *vocata Elementa.* Animaduertis Scote; Aristotelem nunquam separare materiam ab Elementis? Ergo semper est cum Elementis: Iam materia est æterna: ergo & Elementa: Quod æternum est, id nullum habet tempus quo non fuit: Fallis ergo dum concludis hînc Aristotelem dicere orta esse Elementa, cum aliquando non fuissent. Contrarium enim omnino statuit. Atqui poterat aliquis iam, tunc cum ista meditaretur philosophus, non cum vixit aut ortus est Scotus primum, opponere philosopho: *Si materia est inseparabilis ab Elementis, ergo nunquam ex ea sunt Elementa facta*: Negat sequi philosophus. Cum enim materia & forma sint Elementorum principia Essentialia, quorum vnione fiunt; necesse est vt intelligatur (subijciatur) principium primum esse materia, inseparabilis quidem, at subjecta contrarijs. Probat ita: *si necesse est rerum sensibi-*

ſtibilium materiam aliquam eſſe ; ea aut ſubiectum erit , aut forma ſeu contrarietatas. Et ſi hæ ; ipſæ ſibi mutuis, aut ſubiecto : ſed formæ non ſunt materia ſubiecto; neque etiam calor frigori, Ergò ſubiectum eſt materia rerum naturalium, quæ ſuſtinet contrarietates. Sequitur idem etiam contra. *Nam cum Eſſentia in duobus conſiſtat; aut forma ſubiecta erit contrarijs, aut materia, hoc eſt aut contraria contrarijs ſubiecta erunt aut materiæ: Nam per contraria deſignatur forma. Non illud: ergo hoc &c. Vnde conficitur, in vnione Eſſentiali ſubijciendam eſſe materiam inſeparabilem: proximum locum nihil aliud obtinebit, quàm forma; Huic enim ſubijcitur: ex vnione autem horum fit Elementum. At non tempus deſignatur, ita vt alterum altero ſit tempore prius. Nam cum materia inſeparabilis ſit, ſimul eam cum forma eſſe neceſſe eſt. Item: ſi non deſignatur tempus per tertium, nempe per Elementa; nec deſignabitur per ſecundum: ſed illud non: ergo nec hoc: patet id. Nam ſtatim at forma materiæ vnita eſt, res eſt, ſine vllo temporis interventu.* Et hæc ita vera ſunt, vt tota Dialecticorum Schola nihil poſſit nec velit reclamare. Quid ergo tibi iam videtur Scote? An non perbellus & Elegans es Ariſtoteleæ diſciplinæ interpres? Ad dolet TEMPELLVS tanta luce tam diu caruiſſe Cantabrigiam.

Et hoc ψεῦσμα: quòd tam craſſum ſcil: vt cum contrarium prorſus ſit verum ; ipſe contrarium & putidiſſimum mendacium arripuerit. An in Sophiſmate ingenioſior? Non videtur. Aut non intellexit vocem INSEPARABILIS, aut malitioſe ſuppreſſit ; quæ tamen in textu. 6. bis expreſſe ponitur ; & tertio declarata per æquipollentes particulas: vrgetur autem valde contra ſeparationem aliorum , vt tota res in vi huius ſolius vocis meritò vertatur. Inania ergo λεξιδίσματα

ſunt cum blaterat, apertiſſimis verbis philoſophum Scoti ſomnium expreſſiſſe: Apertiſſima quidem verba ſunt; ſed Scotiſticæ tenebræ eorum minimè fuerunt capacia; ſicut nec ſolaris lucis profundiſſimæ voragines, hiatvſque terræ. probatio propoſitionis ex vero ſenſu è directo aduerſatur Scoto: explicatio mera corruptela eſt ſententiæ veræ. Non enim ordo temporis & ſucceſſio ponitur ibi, ſed ratio qua alterum ad alterum ſe habet. Hactenus ad Scotum nos accommodauimus, oſtendimusque contrarium ſentire philoſophum, etiamſi de omnium prima generatione locutus fuiſſet. Verùm adhuc aliud ſubeſt, in quo ſimiliter Sophiſma Scotiſticum deliteſcit. putat Iacobus Martinus Ariſtotelem ita dixiſſe: *Sed hanc inſeparabilem, ſed ſemper cum contrarietate ex qua generantur vocata Elementa.* Qualē hîc nobis deſcribit materiam philoſophus? an nudam, quæque ſit pura potentia? Minime: Nam eam ſemper coniungit formæ. Itaque ex materia informata fient Elementa? Ita puto: poſtea: *Oriuntur* dicit non deſignans actum ante aliquot annorum millia factum; ſed generationem quæ etiam iam eſt, ſicut & in reliquis, quæ poſtea dicuntur, ad præſentem ſemper generationem & corruptionem reſpicit. At inquis, *in his Elementa Elementis facit materiam, ex quibus generentur tanquam mutuis?* Quid tum inquam: non id vt Elementum eſt, ſed vt materia eſt facit. Alia enim ratio Elementi eſt, alia materiæ; tametſi alio modo ſit quiddam aliud. Quod autem neceſſe ſit, vt ex materia & forma omne fiat Elementum, quodcunque tranſmutatur ex alio; manifeſtiſſimum eſt.

Fit enim vnio materiæ & formæ; poſtquam prioris forma eſt corrupta. Non ergo extendendæ cogita-

gitationes ſunt ad aliquod falſum mundi Elementorum omnino initium, quando de generatione Ariſtotelea ex materia & forma eſt ſermo. Hoc ipſum ſciunt etiam Logici; quo facilius putamus hæc intelligi poſſe, & contraria Scoti Ramique ſomnia reijci. Quod inter probandum dicit, niſi ita ſentiat Ariſtoteles, totum eius conſilium fore inutile; quia fruſtra ſtatuantur principia ea, ex quibus nihil fieri poſſit. ex hoc ſic conijcimus; *Si inane eſſet & inutile conſilium Ariſtotelis, niſi ita, vt vult Scotus, ſtatuiſſet, vtile & laudabile erit, ſi ita ſtatuiſſet. Sed prius, teſte Scoto; ergo & poſterius; quia contraria contrariorum conſectaria.* At quid ſupra audiebamus promittere nobis Antagoniſtā? nempe conficere demonſtrando volebat, omnia inania & infrugifera eſſe, quæcunqe de ortu rerum vnquam ſcripſiſſet Ariſtoteles. poteſtne idem, inutile omnino eſſe, & eadem ratione vtile? De expoſitione autem Ariſtotelicæ ſententiæ agitur. Solet Ramus, ſi quid huic in ſpeciem ſimile deprehendit in ſuo cerebro, vehementer debachari in Ariſtotelem & in crucem adigere neſcio quę ſophiſmata ineptiſſima, nugas, quas exhorreſcat miſerabilem ambitionem, horrendæ impietatis ſophiſmata, fatua, inertia, putidam ſophiſticam, & plura vocabulorum portenta accumulata atrociſſimè, tanquam capitale eſſet & inexpiandum omnique ſcelere ſceleratiſſimo ſceleratus nefas. Atqui tam fœde ſibi nunquā contradixit philoſophus: quibus ergo titulis exciperet hunc Scotum? Veniamus ad præclaram illam demonſtrationem poſt Theſin tam laborioſè inquiſitam & conteſtatam litem. proculdubio magnum quid parturit. Repetitur quæſtio: quod videndum ſit, an aliquod Elementum ex materia prima, vt ſubiecto, & qualitate tactili, vt for-

forma,cum ante non fuisset sit factum: Fit thema: *nullum Elementum aut ortum esse aut ex talibus principijs oriri potuisse.* Informatur Syllogismus:

Quorum ortui tum natura vniuersi. tum principiorum, ex quibus fieri dicuntur, nempe materiæ & formæ repugnant; ea non possunt ex his ipsis oriri.

Elementorum ortui natura vniuersi & principiorum conditio repugnat,

Non ergo possunt oriri Elementa ex materia & forma, quæ est qualitas tactilis. Enim verò assentiendum est, si verum est id quod assumitur. Quæ enim statuuntur oriri contra vniuersalem naturam & propriorum principiorum rationem; ea profecto necesse est, & ficta & fallacia esse. Nam natura singularium ab vniuersali dependet; Et tale est quodvis, quales sunt causæ & principia. Monemus autem hîc de duplici sensu assumpti. Vt enim supra dictum est, Scotus vult, Elementa aliquando omnino non fuisse, nisi tantum potentia; idque sentire Aristotelem: quòd si verum esset, faterentur philosophum secum pugnare: sed cum falsum & fictum sit, & nihilominus contra decreta Aristotelea, omnes machinæ impellantur: defendere innocentem à calumnijs, viri candidi esse existimamus. Dicimus itaque assumptum contra mentem Aristotelis detortum, ne micam quidem veritatis habere. Atqui firmatur? Quomodo? primum ex natura vniuersi:

Velita: Quod ortū est ex materia formaq; seu qualitate tactili: nō debet habere repugnantē Vniuersi naturam et ipsorū principiorum conditionē.

Elementa habent repugnantem Vniuersi naturam et principiorū conditionem.

Ergo & materia & forma nō sunt Elementa.

Si totum est æternum, Elementa, quæ sunt partes τῦ ὅλυ *non possunt orta esse: verum autem antecedens; Ergo & consequens:* Scotus ita: *Quæ æterna sunt, ea fuerunt semper, nec ortum acceperunt ex materia per causam efficientem: Elementa sunt æterna Aristoteli: Ergo semper fuerunt, nec orta sunt ex materia & qualitate tacti-*

li,

ſi. Aſſumptum non poteſt manifeſto textu probare: Nam nuſquam, niſi fallimur, hoc apertè dixit philoſophus: Ad totum ergo accurrit: *Totum æternum eſt: ergo & partes: Elementa autem ſunt totius præcipua partes: cum corpore cæleſti.* Ad propoſitionem connexi dicimus, eam inerti Sopiſmate implicari. Aliter enim apud philoſophum accipitur ipſum oriri & ortum eſſe, aliter in hoc connexo. Non itaque ipſa baliſta complexionis decretum Ariſtotelis euertet. Alterius Syllogiſmi morbum agnoſcimus; In aſſumpto eundem. Elementa philoſopho ſpecie quidem æterna ſunt, at ſingulariter non tantum orta ſunt olim ſed & hodie oriuntur & occidunt. Teſtatur id philoſophus cum re ipſa in 3. de cælo textu 2. *Generatio aut omnino non eſt, aut ſolum in Elementis eſt, & quæ ex his fiunt*: & textu 52. *Sempiterna eſſe Elementa impoſsibile eſt.* Videmus enim ignem & aquam & vnumquodque ſimplicium corporum diſſolui; ſpecie autem æterna facit, dum tantum diſpoſitionem mutari partium mundi aſſerit.

Sed hic præter rem prolixus eſt Scotus & nos diu hæremus. Probat idem contra ſeipſum Ariſtotelis ſententiam de Elementorum ortu eſſe veriſſimam & immeritò à Sophiſta arroſam; Sicut enim ait. *Ariſtoteli omnia Elementa ſecundum ſe tota, ſunt æterna, quamuis ſecundum quaſdam ſui partes viciſsitudine quadam ex ſe mutuo fiant.* Similiter verſu 21. pagin. 10. *Qui igitur fieri poteſt; vt cum Elementa omnia æterna ſint philoſopho; is ex prima materia & qualitate tactili gigni & procreari aliquando putauerit?*

Ex his paucis vocabulis quantum emineat φαυλασιῶδες Scoti videte: Fatetur Ariſtote. ſtatuere æterna Elementa; & accuſat eum contrariæ

ſententię : Negat fieri poſſe, vt putauerit Ele-Elementa oriri ex materia prima & qualitate tacti-li:at propter hoc ipſum aſſertum à philoſopho, ſupra dixit, totum eius diſputationem de generatione inanem & inutilem eſſe. O Helleboro dignum caput. Quæ dementia eſt. Si impoſſibile eſt; vt aliter ſenſerit, philoſophus, eum nihilominus contrariæ opinionis damnare? Quid aliter hîc facias, quàm dolere tam miſerabilem hunc diſputatorem̃ tantos fumos obieciſſe Tempello, ſummo Cantabrigiæ philoſopho? Sed per quam bellum Logicum audi-tis; verſu 13. diſputat : Totum æternum ſine partibus conſtare qua ratione poteſt? Ex hóc quid colligitur? Nempe futili contradictione ſeipſum implicare authorem: Accipe exemplum: *Totum non poteſt eſſe æternum, niſi æternis partibus: Elementa ſunt tota: ergo æterna eſſe nequeunt niſi partibus æternis*: & ex conſequente, egregie mentitur Iacobus dum dicit Elementa ſecundum ſe quidem tota eſſe æterna, licet partibus mutentur: Aut ſi hoc verum dixit: nonne mundus quoque poteſt eſſe æternus, licet Elementa tranſmutentur, oriantur, occidantque? At de principalibus partibus loquitur? Imo tota Elementa vndiqnaque licet non ſimul ſemelque fiant tota & intereant ſunt generabilia & corruptibilia. Neutiquam enim eadem eſt ratio in Elementis, quæ in mundo. Itaque ſiue partes principales ſiue minus principales intelligas, conſequentia ex principijs Scotiſticis erit immobilis: atque ita vel ipſe ſe ipſum mendacij arguit vel Ariſtotelem à ſuis calumnijs optimè vindicat idque vel Ramo acerbiſſimo ſtaliũ ſtropharũ exagitatore, iudice & teſte. In altero paradoxo abſurditatũ horrenda portenta mirificio artificio accumalat. Negat philoſophũ poſſe putauiſſe

Elementa aliquando oriri & corrumpi: at inquam paulo ante dicebas, eius sententiam esse, *quod secundum partes oriantur & corrumpantur*: An totum potest esse æternum, cuius partes sunt generabiles & corruptibiles? Qui fieri potest, vt ita senserit Aristoteles, nisi tui simillimus fuit? Deindè mutat Linguę sonum valdè sophisticè: Dixerat ante *orta aliquando, cum antea non essent, non potuisse*: hîc conuictus textus veritate, *Oriri ait: quasi ne nunc quidem, postquam extiterunt, possint gigni & corrumpi.* Additur, *Aliquando*; vt eo facilius omne tempus exclusum cognoscat. At inferius ipse fatebitur, aerem & aquam gigni & corrumpi in se inuicem: Atqui hæc correctio est philosophiæ Aristotelicę; atq; id quod à nullo vnquam nec scriptum nec fictum nec pictum nec sculptum est; imò quod viuis minimeq; fallentibus argumentis volebat demonstrare. Quàm eleganter autem etiam hæc connectit Logicus Rameus: *Totum nō potest æternum esse sine partibus æternis: Elementa cum corpore cælesti, sunt primæ, & præcipuæ partes vniuersi, ex quib. magnum corpus vniuersi constat:* Hęc tolerabiliter: Illa molestè: *corpus cæleste est ab omni ortu interituq; liberum*: Quorsum hæc Scote? Perge ad Elementa: Num sicut cælum est incorruptibile, ita etiam Elementa? An nobis hic instantiam peperisti; quod cum de omnibus partibus per inductionem debebas colligere æternitatem, tam turpiter in altera parte veritatem deseris & fatiscis? Sed volumus παράδοξα omnia persequi, præsertim pulchram illam ταυτολογίαν καὶ ἀντιλογίαν, quę Ramo in Aristotele tantopere placuit, vt si vixisset, Alexandrea talenta illi duplicasset, figuram: vt & illud quòd generalis sui Syllogismi assumtum egregiè ad inferos vsq; præcipitat, dum Elementis concedit generationem & corruptionem,

quas mutationes ibi negauerat, licet alio μορμολυκείῳ munitus. Concludimus iam ex primo hoc munimento de natura vniuersi ex Scoto contra Scotum: *quorum ortus & interitus tātum non impeditur per naturam vniuersi, vt etiam inde causas generandi & intereundi habeant, ijs ortus & interitus est tribuendus, Elementorum ortus, &c. Ergo*: relinquimus.n. Scoto pro ratione legitimæ cōsecutionis complexionem attexendi facultatem: probatur assumptum testimonio Scoti, qui *Elementa oriri & occidere affirmat non obstante natura cæli*. Sic etiam contra primam probationis assumpti partem; qua dicebatur. *Naturā vniuersi nō ferre: Quæ consentaneè fiunt naturæ vniuersi, ea benè fert vniuersum: Elementorum ortus & interitus fit consentaneè naturæ vniuersi: Ergo, &c. Id quod ex Scoto demonstrandum erat.*

Adhuc prima probationis elaboratio: sequitur secunda: Hęc duplici constat principio nempe materia & forma: duplex ergo eius erit mēbrum ne perturbemur copia πίστων. Prima congressio acerrima est, de materia prima. Nam Scotus Clypeo Rameo tectus, quàm pertinacissimè repugnat. Et hoc ipso magnam gloriæ suæ pristinæ partem detrahit; dum ignauo mēdacio voluerat nobis persuadere, se ea allaturū, quæ à nullo hactenus essent edita scriptave. Atq; hæc de materia prima pridē exagitauit Petrus Ramus, vt testatur totū illud opprobriorū chaos, q̄ in Arist. Acroasin est effusum. Cuius argumenta si quid peculiare habuerūt, videbimus sub finem. Attendamus magnum Syllogismum:

Schol. in 8. Metaph. ca. 4. & 7. Metaph. ca. 3. 1. phys. 9. Metaph. 6. & in 12. Meta. 2. 1. phys. 7.

Quod sine forma est, sine specie, sine quantitate, qualitateque insensibile, vix proportione & similitudine comprehensibile, propè nihil, imo nihil omnino, si actum & existentiam spectemus: id non potest dici Elementorum principium.

Materia prima est sine forma, &c. Ergo non potest dici Elementorum principium.

Propositio firmatur: *Quæ sensibilia corporeaq́; sunt, item generabilia & corruptibilia: eorum principia sunt eiusdem generis, teste Aristotele.*

Assumptum conuincitur ex Aristotelis decretis, quæ passim extãt pręsertim 1.phys.7.&9.& alibi,&c. Nimis multa coaceruat author, quæ tamen videntur eiusdẽ esse farinæ. Sed vt distinctè procedamus; hunc prius bolum deuoremus. Repudiamus propositionem omnino; idque ob multiplicem, qua saginata est probè, sophisticam. Aristoteles describit principij materialis naturam, vt per se est nude & in se considerata:& de hac agit potissimum 1.physic. At inde neutiquam sequitur materiam non posse esse Elementi causam: Quid ita? Quia eodem modo noster Scotus cum suo patrono Ramo formas omnium corporum faceret corporeas, sensibiles, & si quæ sunt alia adiuncta. Concludimus itaq; primo loco; nihil absurdi statuisse philosophum. *Quæ enim est ratio vnius principij eiusque primarij, eam esse & alterius nihil prohibet; Et cum forma possit esse principium incorporea existens; aliquod ergo principium proculdubio erit incorporeum:* Secundo *quàm belle nobis principiorum principia constituit cum Ramo Scotus? Si semper id quod informè est, non potest esse principium formati; attamen aliud est materia aliud forma; debentque principia esse simplicissima & prima: quando ad hoc primum peruenietur? Nam quod sine forma est, id negatur esse Elementi formati causa.* Tertiò, Quid respondebunt mihi Ramei de sua confessione *cum vnione materiæ & formæ Essentiam constituunt? Anne tunc quidem informe est principium formati?* Quartò; *Si nisi formatum, nihil potest esse formati principium, An non formæ forma erit.*

Quin-

Quintò,*quia Ramum de materia cogit philosophari,eam nihil ab Aristotele statui? An similiter & forma nihil est, quia non est sensibilis,incorporea, &c.* Egregiè verò Scotus; *Materia nihil est, si actu respicias*: quasi vero si ex natura nuda in se considerata abstrahatur ab omni forma nihil sit; aut si ad futuram formam, dicatur in potentia esse, omni forma sit destituta & separabilis: aut Aristoteles eam vnquam re separabilem fecerit. Non ergo tantum paralogismum cum Scoto parturit Ramus, sed & sophisticas calumnias philosophis indignas. At opponitur firmamentum propositionis, quod Aristoteles alibi statuat *sensibilium principia sensibilia; corporeorum corporea*: At inquam fallitur cum Ramo Scotus in ipso loquendi modo,& ex Æquiuocationis Elencho turpis committitur fallacia. Quis enim illis dixit, actu ne sensibilia intellexerit an potentia? Item singularem ne materiam & formam an principia vniuersaliter considerata? Num per se accepta, an vt sunt coniuncta? Auscultа verò: Dic, Rame, corpus esse, sensibile esse, formam habere, quantum esse, graue, leue, & quæ sunt similia; suntne Essentiæ perfectæ, an tantum alterius partis Essentiæ adhuc disiunctæ nomina? hoc est, sunt ne affectiones materiæ per se, & formæ absolutæ & per se existentis; an totius ex his constituti? Quid taces? Dic apertè? Si materiæ in se consideratę, sunt, simplex ne ea est, an non simplex? Si nō simplex, Eccui iungitur alteri ad cōstituendum Essentiam, quàm formæ? Imo formæ. Itaq; iam Essentia illa est, non pars Essentiæ; porro formæ asscribitur quòd sit id principium, per quam res est id quod est: Atqui si materia est sensibilis, corporea & sic in alijs; eam esse necesse est: Nam si non sit, adiuncta eam habere impossibile est. An non ergo te Iudice inte-

Tales distinctiones cum audit Ramus, tàtum non rumpitur præ indignatione.

græ

græ eſſentiæ attributa materiæ aſſcribis ſimplici? Tertio,ingredere quæſo Logicen tuam; Ecquid de adiunctis ſtatuis? An non quòd ſequantur Eſſentiam,iam materia& forma perfectam?At ſenſibile eſt adiunctum, vt & reliqua:Quin ergo negas ſenſibile nec materiæ nec formæ per ſe competere ſed toti compoſito?His ita ſe habentibus, quid vellicas philoſophum? quid eum tot probris inceſſis? Perge ſimiliter de forma; & reperies multò iuſtitius te iſta tribuere debuiſſe huic quàm materiæ. At formæ non ſunt tribuenda; quantò minus ergo materiæ? Relinquitur ergo iterum, iſta omnia eſſe compoſitæ iam Eſſentiæ affectiones;Et rectè Ariſtotelem de materia ſcripſiſſe. Sume iam hinc conciliationem tot locorum quæ fruſtra coaceruaſti: Et vtrum velis ex ante dictis tribus modis elige. Adde & hoc; quod philoſophus in tertio de cælo dubitandi particulam adiecerit, dixeritque FORTE: alioquin apertè dixiſſet Elementa æterna eſſe debere,cum in Metaphyſicis materiam & formam æterna eſſe aſſerat.Accipimus autem iſtam dubitandi vocem, non quatenus dubitationem infert, ſed vt certum quẽdam modum nondum explicatum deſignat, ſecundum quem ſint iſta accipienda. Sed niſi fallimur Scotus cum Ramo etiam admiſit Elenchum compoſitionis & diuiſionis: Nam philoſophus non dicit ſingula principia aut principiũ vnum, ſed principia vt coniuncta ſignificaret.Sed hoc ſupra attigimus.Nobis hinc hoc ſuccurrit, quòd alias non potuerit omnino principia ſimilia facere ijs, quorum ſunt principia. Alioquin ſemen eſſet animatum & informatum,& omnino iam animal perfectum:Materia eſſet quid compoſitum, vt & forma & ſimilia multa.Coniuncta autem id efficiunt, quod ſeparatim

tim nec sunt nec faciunt. Et quomodo principium dixisset solum corruptibile? An non corruptio est in Essentiæ solutione & discessu partium? At alibi ὁμογενῆ & ὁμοειδῆ vocat? Quid tum? Elementorum enim principia nō oportet ex alio esse genere, quàm Elementa: hominis semen ex homine esse oportet: hæc verò explicabuntur suis in locis. Non enim videntur vno vbiq; modo accipienda esse. Quod dum dicimus; ita Stomachatur Ramus, vt parum absit, quin rumpatur. Magno enim hoc redemptum vellet, vt diuersi respectus ex tota rerum natura essent sublati, quo vnico tantum sensu, & eo Ramistico omnia acciperentur; quod vtinam præstaret Ramus. Nos eo authore & duce libenter vteremur. En tibi Scote cum Adamantino tuo telo & clypeo Rameo. Tot enim vitijs, cum ægrotet antecedens; moritur totum consequens, & in puluerē redigitur alta tellure sepultum. Sequitur balista alia, sed ex eodem armamentario:

Vide 7. Metaph. tex. 28 & sequenti additur ne quid præter Naturā fiat vt ex equo mulus.

Physici corporis physica sunt principa.
Materia non est physicum principium
Ergo non est physici corporis, & sic nec Elementi.

Patet assumptum ex quam plurimis. Nam *quod physicum est, id sensibile est: materia non est sensibilis: ergo non est physica.* Propositio Aristoteli asscribitur ex 7. Metaph. 10. probatur etiam per distinctionem Mathematici à physico, quæ extat in 2. phys. 2. nempe quod physicus materiā accidentiaq; eius consideret; Mathematicus abstrahat: Eodem modo in 7. Metaph. text. 35. cap. 10. differit; singularem circulum physicum faciens; intelligibilem verò Mathematicum. Materiam vero non sensibilem esse, ex 1. phys. patuit; sicut & loquitur 7. Metaphys. quod materia ex se sit incognita. Et sic prosyllogismus assumpti firmatus.

tus eſt. Conſectarium autem nempe, materiam non non poſſe eſſe principium Elementi, ita deducitur: *Corporis ſenſibilis & phyſici, principium non eſt inſenſibile & non phyſicum: Elemētum corpus phyſicum & ſenſibile eſt: Eius igitur principiū non eſt inſenſibile & nō phyſicum vt materia.* Adijciuntur his etiam alia vt eſſe obnoxiū interitui & ortui, &c. probatur aſſumptum ꝙ ſc. Elementum ſit ſenſibile, quia qualitatibus ſenſibilib. ſit præditū poterat autem, niſi implicare ſe voluiſſet, facilè cōſectarium deducere ex genere: Nā ſi nullius phyſici corporis, ꝙ eſt ſenſibile, principiū ſit materia; Nec Elementi erit; Nec ſuperſtitioſa requirebatur ꝓbatio, Elementa eſſe ſenſibilia, eſſe generabilia & corruptibilia; ita tñ vt non corrūpantur omnes partes ſimul & ſemel, quia ſecutura eſſet inde imperfectio totius: in quib. valde eſt ꝑplixus, præter rationē. Sed nos reſpōſionem ſumimus ex ſuperiorib. Negamus aſſumptū; Omnino.n. principium phyſicū eſt materia: At, inquis, nō eſt ſenſibilis? Quid tum inquā? Etſi enim ex ſe ſit incognita ſuaq; natura vt nuda cōſideretur attamen per ſenſibiles formas; ſine quibus nunquā eſt, incurrit in ſenſus: vnde ſupra ex 7. Metaph. duplicem materiæ rationem expoſuimus; alteram ꝙ ſit ſenſibilis, alterā quod intelligibilis; tametſi hîc quoq; quid annotandum ſit, ibidem diximus. Quin & eodem argumento negabitur forma eſſe principium naturale. Non enim per ſe ſed in materia ſenſibilis exiſtit, idq; per ſenſibilia adiūcta. Hæc ſumma reſponſionis eſt. Sed age perpendamus, quæ vna immiſcuit Scotus. Dicit Ariſtot. voluiſſe id tantum eſſe phyſicæ diſciplinæ proprium, quod ſenſu perciperetur: Nō quidem contradicimus huic: ſed tamen ignoſcat nobis Scotus, ſi nō ſtatim, vt ipſe videtur velle, actu ſenſibile ſed & ꝙ ſentiri pōt, intel-

lexeri-

lexerimus. Sic enim tam materiam quam formam, etiam ſeorſim conſiderata, cum coniungi poſſint, imo ſemper re ipſa ſint coniuncta, ſenſibilia procul dubio efficiemus. Deinde valde ſuperciliosè & audacter pronunciatũ eſt, quòd philoſopho ſenſibile proprium ſit phyſicæ ſcientiæ. Adiunctum hoc eſto perpetuum toti compoſito phyſico: at, vt poſtea fatetur & Scotus, Ariſtoteles id naturale potiſſimum vocat, ꝙ cum in materia ſit, motui eſt ſubiectum & quieti. Eſt enim natura ipſi motus ſtatuſque eius in quo eſt per ſe principium. In 2. phyſ. 2. formas inſeparabiles, ſemperque in materia exiſtentes phyſico ſubijcit: ſeparabiles Metaphyſico, Cap. 7. eiuſdem cõtemplationi aſſignat eas cauſas quæ motum ſubeundo mouent, & quæ tales non ſunt, eas excludit ex phyſico agro: vt primum principium immobile, &c. ſimilia plura poſſemus coaceruare, niſi ſuperuacuũ id eſſet. Infra hoc ipſum repetetur ita, quaſi phyſica ſcientia verſetur circa ſenſibilia tantum, de quo ibidem ſatisfecimus cap. nempe, 8. Iuuare hoc Scotum poterat quod philoſophus in 1. de part. ani. 1. *formam potius quàm materiam vocet principium rerum.* Sed explicatio ibidem additur; nempe quod de vtraque naturalis dicere debeat; licet forma ſit præſtantior. Naturalius itaq; dixiſſet Scotus, ſi ad motum intrinſecum reſpexiſſet, quàm ad ſenſum. Alioquin nulla erit differentia inter alias artes, quę ſimiliter circa ſenſibilia occupantur; tolleturq; diſcrimen naturæ & artis pridẽ ab Ariſtotele inſtitutum & hactenus à Scoto non impugnatum. Ad Mathematicum quod attinet, abſtrahit is quidem intellectu, ad id re ipſa ſine materia non eſt. Ita enim tolleretur diſcrimen inter ipſum & Metaphyſicum. Phyſicum nihil à motu, imo ne à definitione quidem

2. phyſ. 8. de part animalium c. 1.

Hoc Ramo non placet.

dem abstrahere, mirificum est commentum, si Aristotelica decreta respicere velimus. Nam in 7. Metaph. textu 53. ita ait philosophus: *Substantiarum sensibilium singularium neq; definitio neq; demonstratio est; eo quod habet materiam, cuius natura talis est, vt esse eam & non esse cõtingat*, Quare corruptibilia sunt omnia singularia eorum, &c. Sic in 2. Analy. post 8. cap. *omnem definitionem dicit esse vniuersalem*: licet ibi singulare Logicum facilius, definiri posse asserat: Eiusdem sententiæ est & Plato; qui negat nos dicere posse aut debere hoc esse Elementum ignis. Si iam physicus circa sensibilia occupatur, vt supra voluit Scotus, & eius contemplatio tota est circa singularia; quomodo à definitione nihil abstrahit? Imo quatenus definit, non facit opus physici, si illa vera sunt, quæ præmisimus. Fortassis æquius interpretanda est mens Scoti, verbis neglectis, quod tamen ipsum in tanto philosopho vitiosum erat. Voluit enim fortè idem dicere, quod Arist. in 1. de Anina text. 16. quod *physicus definiat per materiam, Logicus per formam & rationem*; ita vt physicus etiam motum in definitione debeat ponere, modo nihil naturale est, quod motu omnino naturali est priuatum. Voluerit itaq; hoc dicere; Sitq; typographi inertia hîc accusanda. Sed interim nobis conciliet ista duo loca, quorum alter negat substantiam sensibilem definiri posse, alter physico tribuit definitionem.

Pergit probare quod Elementa sint sensibilia & corruptibilia: nempe id quod nemo negat. Quòd autẽ hic enunciat ita: *Elementa Aristotelis etiam sententia ortui & interitui sunt obnoxia, quamuis secundum omnes partes simul & semel interire nequeant*: id supra his verbis tulit: *Omnia Elementa secundum se tota æterna sunt, quamuis secundum quasdam sui partes vicissitudine quadam ex se*

mutuo fiant: vtrobiq; in genere dicit; *Elementa æterna sunt, Elementa sunt obnoxia ortui & interitui : tota æterna sunt: partibus generantur & corrumpuntur: Non possunt secundum omnes partes semel & simul interire; quædam partes mutantur:* Vtrum hæc æquipolleant, & vtrum alterius sit declaratiuum, videre non possum: In posteriore supra contradictionem ostendimus, & imperitiam Scoti: de reliquis iudicent qui legunt. Sed cur negat Arist. Elementa simul & semel oriri & occidere secundum omnes partes? Nempe vetitus est ne minus perfectum foret vniuersum; idque multis probat; vt sit facũdus & egregiè philosophus vbi non est opus. Vide autem Scote, quid Arist. tribuas. Qui enim nõ putat absurdum esse, etiamsi vniuersus mũdus statuatur oriri & occidere vicissim; quomodo in Elemento vno atq; altero tantopere hęre-
1. *de cælo textu* 107. *seu cap.* 70. re potest? *Vicissim constituere & dissoluere mundũ*, inquit, *nihil aliud facere est, quàm extruere ipsum sempiternũ quidẽ, sed mutãtem formam; quemadmodum si quis ex puero virum factũ & ex viro puerum, quandoq; quidem corrumpi, quãdoq; autem esse, putet. palam enim est, quod & inter se inuicẽ conuenientib. Elementis non quiuis ordo fit, & constitutio, sed idẽ &c.* Et paulo post: *quare si totum corpus continuũ existens quandoq; quidem sic, quandoq; autem alio modo disponitur & perornatur: vniuersi autem constitutio mundus est & cælum: non vtiq; mundus fiet & corrumpetur, sed dispositiones ipsius.* Quid si iam Arist. idem fieri statueret circa aliquod Elementũ? Quanquã enim hoc nũquam contingit stante natura, attamen si supponatur fieri, nihil accidit impossibile. Quin & si secũdum omnes partes sit mutabile Elementum, cur non totum possit aliquãdo mutari etiãsi nõ mutetur vnico momẽto si-
1. *de gen. & corr. tex.* 23. mul? Id supponit indistinctione alterationis à generatione philosophus, qđ sit generatio, quãdo ex toto
acre

aere fit aqua, toto nempe vbi nihil sensibile, quod possit dici istius remanet, Quod si de parte verũ est, cur non possit dici de toto, cum homogenea sint omnia? Sed hæc mitto. Perquam autem elegantulam nobis parturit contradictionẽ noster Scotus. Supra omnib. velis remisq; conatus est ostendere Aristot. tribuisse Elemẽtis generat. primam ante quam non fuerint: Hic negat idem. At quomodo istud? Negat, inquã. Arist. statuisse Elementa omnino secundum omnes partes simul & semel interire posse. Quia tũc species aliqua cessatura esset; quo facto futurus esset mundus imperfectior. Quæro ergo statuebatne Aristot. hunc mundum perfectum, cum nõdum essent facta ex materia & forma Elementa? Imo perfectus ipsi est ab omni æternitate. Quomodo ergo aliquid de mundo esse, aliquid nõ esse potuit, ita vt eodem modo perfectus esset? An non si aliquid addi potuit mundo, perfectior is euasit? Elementa verò addita necesse fuit, siquidem facta sunt ante non existentia. Sed & hoc consideremus, mundum perfectum vocat eum, cui nihil possit addi nihil demi; nempe secundum species. Atqui, inquam, fuisse olim dicuntur multa, quæ hodie nusquam gentium reperiuntur. Quàm multa Vermium genera putas post lapsum irrepsisse in mũdum, cum initio neutiq̃ fuissẽt? An futurus orbis ideo erit imperfectior, q̃a fortassis totũ ranarũ genus nõ habebit? Quis mures fore in altero mũdo crediderit? Credit nostris temporib. natiuũ electrũ desijsse: nõ verisimile est, Africã q̃d noui gignere cessasse, aut mulos, Leopard. &c. initio statim fuisse cõditos. Sed nolim de his texere catalogũ: Relinquimus aũt hoc quoq; autori suo pfectius & enucleatius explicandũ. Nobis persuasum est, quadãtenus sese extendere perfectionẽ, nempè

quo ad vsum & finem satis sit. Vt homini ministraret, multipliciter conditum mundum scimus. Itaq; id quàm optimè initio præstitit; non autem ita post supplicij iudicium. Nihil fert natura inutile & temerarium. Sed ad alia properemus. Argumentatur aduersarius hoc modo:

Quod incorporeum est, non potest esse principium Elementi corporei: Materia est incorporea: ergo non potest esse principium, &c. Propositio munitur testimonio philosophi, qui dicit *corporeorũ principia esse corporea: in 4. phys. 1. corporum sensibilium Elementa sunt corpora: & ex intelligibilibus Elementis nulla fit magnitudo.* Assumtum eiusdem assensu comprobatur. Nam ipsi materia est vix analogia perceptibilis. Sed bene speramus: metu suo aperit Scotus causam suam admodum vacillare. Obijcere poteramus, philosophum in 4. physicorum de Elementis tantum loqui non de materia (quod tamen nunquam obiecissemus, sed tantum hic est panicus timor sauciatam conscientiam Scoti prodens) Scotus anteuertit & probat per petitionem principij philosophum loqui etiam de materia; quia subiungat: *Ex intelligibilibus Elementis nulla est magnitudo.* Nullam audio materiam; adhuc de Elemento est sermo. Sed quàm bene licet nobis ex eodem textu contrarium demonstrare: Sic ait Aristoteles: *Quid igitur tandem locum esse ponemus? Neque enim Elementum; neque ex Elementis aut corporeis aut incorporeis esse potest, talem habens naturam, &c.* Vides ne Scote philosophum de Elementis loqui; & contra tuam sententiam quædam Elementa facere incorporea? Tu asseris Elementa esse corporea sensum mouentia: philosophus contra, quædam esse incorporea; de quibus etiam nos supra? Sed vanitas propositionis etiam ex superioribus patescit. Possunt enim principia

cipia per ſe ſeparatim cogitata eſſe incorporea, quæ ſuo congreſſu corpus efficiunt. Cogitata autē dico; quia per naturam nunquam ſeparantur re ipſa; aut ſeorſim fuerunt: Et corpus vel corporeum eſſe non competit principijs primis, ſed totis Eſſentijs. Itaq; quando philoſophus principium alterius eſſe corporeum dicit, non prima reſpicit, ſed ea quę ſunt actu alia corpora ſingularia, quæq; fiūt materia, cum ipſa ſine forma non ſint; licet materię ratio propria nihil externi admittat. Hæc explicatio prodit tum inconſequētiam ſyllogiſmi, tum homonymiam in vocabulo corpus & corporeum. Sed adhuc ſibi metuit, ne dicamus, Ariſt. non loqui de omnium corporum naturalium principijs: ſed tantum de principijs miſtorum. Vah odioſum diſputatorem. En concedimus Ariſtotelem de omnibus principijs loqui. Nam Elementi vox pro principio ponitur; & diuiditur in corporeum & incorporeum. Sed inde nihil accedit cauſæ Scotiſticæ. Probat autem id per leuitatem & raritatem miro artificio. Profert nobis locum ex 3. De cælo 1. Vbi contra Platonis placita diſputat, quod nō poſſint eſſe principia corporum generabilium: Quorſum eum? Vt oſtendat philoſophum de materia loqui in 1. phyſ. 7. & phyſ. 1. &c. Sed probet ſane vel ex Vtopia quod Ariſtoteles olim in Græcia hæc ſcripſerit: nos non moramur: Ramum caſtigatorem huius mirificæ diſputationis optare licet: Quæcunq; autem de graui & leui garrit, ea nihil aliud habēt, quam eandem Cantilenam ſæpe repetitam. Cum enim eidē rei varia adhęreant adiuncta ex ſingulis producit ſingula ſophiſmata atq; ita verbis fucum facit, Perpendamus autem & iſta.

Quicquid grauitate aut leuitate & magnitudine conſtat, ex eo quod hiis ipſis: caret, factum eſſe nequit:

Elementa cõstant grauitate, aut leuitate & magnitudine. Ergo Elementa constant ex eo quod caret ijs, facta esse nequeunt. Et per consequens, nec ex materia. Propositio comparato simili illustratur : *Sicut linea & superficies ex punctis non constant; quia illæ sunt magnitudines, hæc non: Ita Elementa non ex materia: quia non possunt constare sensibilia ex non sensili, grauia ex non graui, leuia ex non leui.* Amplius: *grauitas, leuitas, &c. non possunt esse nisi ex principijs grauibus & leuibus.* Amplius: *sicut mista non sunt nisi ex grauibus, ita & Elementa.* Assumptum patet, *quia Elementa à natura istas qualitates sibi ingeneratas habent: Indicio, quod omnia aut capessant superiora loca, aut ferantur ad inferiora suapte natura.* Consectarium ita complexioni subnectitur.

Elementa non possunt fieri ex carente leuitate grauitate & alijs, &c, Materia prima caret illis: Ergo ex ea non possunt fieri Elementa. Probaturq́, assumptum; quia nihil omnino eorum est, quæ actu sunt, quia non cadit sub sensum: omni forma & qualitate est priuata: & sic nec grauitatẽ nec leuitatẽ habet. Recitantur philosophi verba: Repetitur Syllogismus ad nauseam vsq;: *Nullum graue ex nõ graui, &c. constare vllo modo potest, &c. Item materiam nec grauẽ nec leuẽ esse, docent eadem argumenta quæ punctis adimunt istas affectiones nempe densum & rarum, &c.* Hæc vsq; ad occupationẽ pag.13. linea penul. Exultat autem duab. pagellis nõ immerito Iac. Mart. Nã hic copiosè triumphandi nactus erat occasionẽ, in quo triumpho nobilẽ illam ταυτολογίαν pro victoriæ potissima causa ostentat. Ferè.n. occîdit aduersarium eadẽ sæpe dicendo. Omisit aũt id quod maxime ad victoriam facere potuerat, nempe manifestũ illud Axioma quod eodem capite legitur: *Impoßibile si est,* inquit, philosophus, *parte vtraq, nihil ponderis habente, totum habere põdus: patet puncto nihil habẽte, neq, lineã habere: Si neq, linea; ergo neq, plana*

plana. Et si ex planis sit factum corpus naturale, nullum erit ponderosum;cum cōtra se habeat. Nam sensibilia corpora aut omnia aut aliqua pondus habebunt. His armis contra nos vti ita potuisset:*Si vtraq; pars compositi expers est pōderis: totum cōpositum ponderosum esse nequit : Materia & forma nihil habent pōderis:itaq; neq; quod ex ipsis est cōpositum:Sed cū hoc falsum sit: necesse est vt Elementa nō sint ex illis facta.* Quid nos cōtra? Nihil quidem aliud quam futilem Elenchum à diuisis ad coniuncta.Plato ex diuersis ipsa re,sua plana & inde corpora cōponit. Nos non item, nisi ꝙ discernamus ratione. Nā cum philosophus dicit,cōstare materia & formaElementa:neutram partem separatim ponit, vt aliquando altera fuerit sine altera. At inquis postea in ortu pertransmutationem mutuam necesse & materię iungi eam formam,quę antea non inerat nisi potentia:ergo separata cōiunguntur: Et sic cōpositiōnem describit philosophus. Hęc diluere poteramus ita;vt generationes singularū diceremus. Necesse est itaq; etiam in ortu tali nouū fieri materiam & formā singulariter. Materia sustinet actionē;qua inducitur vi agētis forma quo motu fieri vtrunq; dr̄. Quod si iam fiunt primùm, quomodo separata fuisse dicēda sint cum ita generētur, vt alterū sine altero non sit? At anima sensitiua & rationalis nō statim est in semine? credo, neque prius fit animal quin sentiat simul, nec prius homo, quin rationē habeat hominis. Necesse itaq; est vtrunq; simul fieri : & alterū separatim ab altero non esse. Sed ne longius progrediamur Scotistica percurramus. Concedimus Syllogismum de diuisis seorsim existentibus, queq; actus suos habent. Nam de talibus philosophū loqui exempla lineę, puncti, planorū indicant. Sunt.n.hæc formarum certarum nomina;Si physica, erunt in materia;si Mathemati-

ca,nos nihil mouent. Consectarium etiam concedimus similiter intellectum. Alioquin si Aristotelicæ sententiæ de materia & forma opponuntur, respondemus vt supra, Scotum fallere à diuisis. Vnde neutiquam conficitur; Materia & forma non sunt principia grauia & leuia: ergo nō constant ex eis Elementa. Cū enim graue & leue sint essentię quæ constat ex materia & forma iam vnitis: materię & formę in se consideratis competere nequeunt. At in transmutationib. res alia est: ibi enim actu materia quid aliud iam existit. Comparata similia fallunt omnia ex diuisione. Materiam nihil esse eorum, quæ actu sunt, id est, non Essentiam perfectam si ratio eius, vt in se consideratur, non vt existere perperam per se solam à quibusdam creditur, spectetur: lubentes concedimus. Est enim pars Essentiæ non Essentia ipsa: imo ne per se quidem sed per formam. Idem licet nobis dicere de forma separata, ea sc. quæ nata est inesse materiæ. Actu enim nihil est. At vtrumq; vnitum est tum actu, tum alterum per alterum. Meminimus supra aliquoties Scotum ita loqui; quod materia nihil esset actu, si existentiam spectemus. Hęc verba ita simpliciter accepta ex parte Aristotelis explosimus. Nunquam enim nihil est omnino, siue spectes existētiam siue formam, siue ipsam: Etsi enim ex se esse non dicitur, non tamen ideo nihil est, cum sit aliquid. Quod si Scotus interpretari velit ipsa verba, sicut hic videtur innuere, quasi cum in se consideratur non sit essentia perfecta, quę actu est, obtineto sane istud. Attamen sciat valde sophisticam esse phrasim. *Nihil esse eorum quæ actu sunt.* Esto enim domus; hęc materiam habet & formam; quod nullus ne ex plebe quidem audet negare. Si iam domus ipsius, quæ actu est, nihil sit materia, qualem

quæso

quæso nobis Essentiam depinxeris? An non si nihil sit subiectum, formam subsistere & aliquid esse impossibile est? Sin putes hæc vera esse, at Aristotelem de alia quadam re loqui, turpissimè te falli, supra ostensum est. Ecce autem mirabilium problematum architectum (Sic Ramus nominat Aristotelem) Scotum: Infra magna cum contentione demonstrare enititur, Elementa ideo nec grauia nec leuia vocari quia deorsum sursumue ferantur: hic contrarium fatetur nēpe sua natura ferri quædam deorsum, vnde dicantur grauia. O Ramo censore dignum scriptorem, tantopere commendatum tempello. Atqui, inquis, Aristotelica commemorat? Quid tum, inquam? Num ego curo, si quid verè dicas, quis prior id protulerit? Contra Aristotelem ita disserit; vt ex eius veris decretis falsa pronunciata euertere studeat. Sentit igitur proculdubio id se ita habere. Sed & hîc admodum acuti ingenij partus est; quod ait: *Quodvis Elementorum grauitatem aut leuitatem aut vtramque sibi à Natura insitam & ingeneratam habet.* Ehem Logice eximie & virgula Ramea notande, num tu id à natura ingeneratum rei dicis, quod ex arbitrio humano ita æstimatur? Quis naturam docuit res inter se comparare? an non hoc ęstimantis alterum ex altero est? Quod si naturâ vtrique inest; cur non simul & semel sursum deorsumque fertur idem? Siccine reprehendes hoc infra in philosopho, cui tamen falsissimè assignatur, quod tu hîc fœdissime effutis? At, inquis, ratio ex natura iudidicium sumit. Imo verò, inquam, quod ratio in talibus diuersum sumit, id in natura vna eademq; res est. Iam tu ipse iudica, sit ne grauitas & leuitas in natura eadem res. Vide, nunc, cum naturalia sint perpetua, is ipse respectus semper maneat, eodemque

contradictio Scoti.

se habeat modo. An ideo qualitas & quantitas Logica quæ est in comparatione, physica est, quia in subiectis physicis accipitur interdum? Quàm bene profeceris in Logicis contemplare; Et audes tantũ philosophum allatrare? Similis ἀνλοκαλαχριτία est in his, cũ fateris corpora mista ex sensibilibus principijs constare: Quid, inquies; an tu hoc negas? Imo non nego, sed verissimum esse contra tua inferius in altera parte discutienda portenta affirmo. Interim in hoc quoque speculo tuam contemplare certitudinem. Nos quidem de hoc iam nihil. Illud ex te quærimus corpora mista constantne materia & forma, an non? Imo constant inquies. Quæso te philosophe, quia liberaliter & ingenuè hoc professus es; adde etiam hoc: estne materia sicut & forma vtraq; in se & sua ratione considerata, tanquam seiunctæ essent, sensibilis, corporea, grauis, leuis, & quæ alia coaceruas? Totum mistum ita esse non diffiteris; sed quæro de singulis Essentiæ partibus; quid hîc responsurus sis expecto. Nam si materiam grauem leuem &c. fassus fueris; fieri non potest quin eã seorsim subsistere posse affirmes: Et formam dices vel nihil eiusmodi habere; vel idẽ. Si nihil: vide quid reliqueris, cum substãtiam per se subtraxeris. Si idẽ; quomodo non materiatam facias etiam nudam & in se consideratam eandem; siquidem nihil tale nisi in materia habet perpende. Sunt enim actus secundi in materia per formam producti. Sin autem nec materiam, vt materia, nec formam, vt talis, grauem & leuem esse sentis; quid in Elementis dubitas? At inquies, Elementa, quæ sunt materia mistorum, contulerunt misto facultatem istam; vnde & philosophus *variare eas affectiones* asserit *pro modo præcellentis in misto.*

Recte

Rectè inquam. Sed num inde contulerunt eas, quia materia ſunt, an quia ipſa grauia, leuia &c. Aliud autem materiæ rationem eſſe, aliud leuitatis, grauitatis &c. cuiuis patet. Sed fortaſſis malc tecum ago, qui infra miſtorum ex Elementis compoſitionem omnino negabis. Vrgenda autem hæc non intempeſtiuà videbantur, cum tanquam vera Ariſtotelica falſis eiuſdem opponas; Sicut inquis, nullius opinionem plus apud te valere debere, quàm Atiſtotelis. Quid autem ille tuus, qui tibi ignoto in foro philoſophorum commẽdatitias ad populum dedit, dicet, cum perpendet proportionem tã bellę comparationis? Miſta conſtãt ex ſenſibilibus: Ergo & Elementa: Cur non & eodem modo: totus homo eſt ſenſibilis: ergo & anima. Et porro: Elementa cõſtituta sũt ex materia & forma; ſenſibilibus: Ergo & ipſa materia & forma: Atq; ita cõtinuo progreſſu vſq; in infinitum. Egregia profectò pariũ & imparium confuſio. Valeret ratio, niſi deeſſet ratio: Et Elemẽta ſimiliter miſta eſſent ex ſeparatis, integriſq; Eſſentijs, quod quandiu nõ demonſtrabis, tam diu te ſophiſtam inertiſſimũ in ipſo Elencho agnoſcemus. Materiam primam nec grauem nec leuem eſſe operoſè probas per denſum & rarũ: ſed temerè. Nã in ſe conſiderata, vt materia eſt, nihil tale habet. Sed denſitas, raritaſq; materiæ formatæ affectiones sũt; Et philoſophus toto iſto in loco de ſeparabilib, ſermonẽ inſtituit, Teſtaris hoc verbis allegatis: *corpora quæ natura efficit, grauitatem aut leuitatem habere* ais: at quod natura effectum eſt, tum forma ſua perfectũ eſt, tum à forma eſt. Potiſſima enim natura eſt forma. Quod ſi materia in ſe cogitata, qua eſt materia, neutiquam perfecta eſt Eſſentia; quid tribuamus ei perfectæ rei adiuncta?

Hoc poſtea pa. 15. circa finem Scotus ex Ariſtotele probat: Se enim corpus primus ęſſe graue aut leue, jam Elementum eſſe.

Num

Num tibi cum adhuc disceres, tribuebatur perfectę scientiæ dignitas: Sed iterum metuis, ne tibi quis cũ partibus quantitatiuis occurrat, & te cum ignauo tuo commento humi prosternat & in luto peruoluat. Ideo non tibi placere figmentum asseris, quod prætendere velit, philosophum loqui de illis principijs, quæ ipsa quanta cum sint, & partem extra partem habeant ad constitutionem alicuius corporis concurrant, quia hoc ipsum argumentum accommodet punctis, quæ cum indiuidua sint, nullam habent quantitatem aut partem. Imo verò Scote tuum nobis portentum æque nauseam mouet propter fœtidum corruptionis halitum, quem emittit. Ostendimus de separabilibus loqui philosophum; tu ad inseparabilia arguis, atque ita turpissimo sophismate offendis. Visne ad oculum tibi ista monstrari? Lege tex. 5. Vbi loquitur de solidorum compositione ex superficiebus, & harum ex lineis & linearum ex punctis; Hęc vt ante compositionem erant seorsim; an non etiam possunt esse post resolutionem? Estne eadem ratio materiæ & formæ? Neutiquam verò. Deinde non obseruas ex Mathematicis fundamentis, quibus vtebantur Platonici, ad naturalia disputari, idque ex hypothesi vt tex. 4. & 6. apparet. Non autem sequi eadem vtrobique ibidem etiam indicat. Etsi enim videatur quid commune naturalibus ex Mathematicis sequi, tamen multa sunt quæ dissentiunt text. 6. Exempli gratia: Si, vt ex puncto linea, ex hac planum & inde corpus Mathematicè extruitur; ita quoque in physicis se res haberet; corpus sanè nullum esset graue & leue &c. Quid tu inde per similitudinem fingis? Nempe similiter ex materia non graui, non fieri graue Elementum: perquam àcutè sane: punctum siue physicum

cum siue Mathematicum accipias, sua Essentia vtique perfectum sumitur: Respondet ne huic materia? Minimè. Est enim ea altera tantum pars Essentiæ. Coniunge materiam & formam, vt sit perfectũ quid: Ecquid erit? nempe pro vt sunt. Si primò Elementum, si generabiles, generabile Elementum; si secundò, aliquod mistum &c. Qua ratione fiet id ꝙ vis, nempe si ex Elemento supposito fierent reliqua, quia hoc graue aut leue esset &c. ideo illa quoq; grauia aut leuia fore. Quod autem ad istos attinet qui quantitatiuas partes hîc acceptas esse à philosopho autumant; Illi nõ omnino, vt tuo limatulo iudicio videtur, delirarunt. Cum de puncto loqueretur philosophus, sciebant de experte quantitatis eum sermonem habere. Alioquin non potuisset obtinere quod volebat. Argumentabatur autem ex hypothesi, Quod autem ad axioma attinet: Si partes non habent quantitatem, grauitatem, leuitatẽ, &c. Impossibibile est totum esse tale &c. Videbant multò acutius, quam Scotus, respicere philosophũ ad eas partes, quæ ipsæ suam formam per se habent: vt partes similares in corpore animalis; Et sicut illi punctum & lineam sumebant. Vnde mollissime sequitur: partes quanti sunt quantæ: at linea, punctũ &c. non sunt quantæ: ergo non sunt partes quanti; & sic nihil ex ipsis potest corporeum constitui. Quo ergo iure à te sunt arrosi? An tu negas axioma illud? Quid autem, si dicerem, esse multas in corpore & quanto res, quæ tamen nec corpora sunt nec quanta? Nempe philosophus similiter de ponderoso loquitur sicut ego de quanti partibus: Materia & forma Essentiam non constituunt, ni sint Essentiæ: interim adhærent adiuncta: Vides itaque ista principia non quantitatis aut corporis gratia adesse, sed essen-

essentiæ. Quàm bonus ergo nobis es Logicus dum extrinsecis principijs separatim cogitatis satagis quantitatem qualitatemque per se inferre. I nunc & triplici repulsus muro, dic Aristotelea decreta, esse figmenta. Non felicius pugnas, cum in aciem educis Numeros. Aristoteles ex hypothesi aliorum, stoliditatem eorum iudicat: Tu verò physicam veritatem euertere moliris; quid externa præsidia quæris. Sed hoc quoque retuso telo; ad aliud valde robustum, vt videtur, confugis. *Hoc eorum commentum*, inquis, *etiam Aristoteles ex instituto mendacij conuincet, atque primæ materiæ, quæ omnino incorporea est, quæque omni quantitate priuata existit, accommodandum esse decebit.* Attentius igitur Aristotelem audiamus. Rectè mones Scote; attendamus: Nam tibi iam condonamus iniuriam, qua affecisti defunctos, forsan. Lis est, vtrum id quod Arist. disputat contra Platonicos in 3. de cælo 1. sit applicandum ad materiam nec ne: Disputat autem ibi ex punctis, lineis & planis non quantis, non posse fieri corpus quantum: nec ex nō grauibus & leuibus graue & leue. Nam si puncta nō sint grauia; ergo nec lineæ, nec plana nec solida id est corpora: Vtrum iam possum eodē modo dicere: materia prima non est grauis, (Nam de singulari materia non agitur sed de prima) ergo nec Elementa nec mistum: conferuntur hîc punctus, materia: Elementum, linea, planum: Mistum & solidum: Negarunt hoc interpretes: quia est imparitas: Elementum enim non fit ex materijs, sicut linea ex punctis: item materia informis est, puncta formata &c. Scotus dicit eos mentiri: Quia sit par ratio. Probare nititur ex 3. de cælo 2. argumento hoc; *quia admitteretur vacuum, si materia sit incorporea, & causa Elementorum: & ex non magnitudine orietur magnitu-*

gnitudo. Videtur autem ita ratiocinari: *Vbi eſt par conſecutio, in illis par eſt conſecutionis ratio: In puncto & materia par eſt conſecutio. Ergo & par conſecutionis ratio:* Patet aſſumptum. *Non enim minus* (verba ſunt Scoti pagina 15. linea 14.) *putat vacuum inducendum ſi Elementa omnia ex non corpore gignantur quàm ſi omnia corpora ex eo, quod corporis & magnitudinis eſt expers fierent*: & quæ plurima de iſto vacuo commemorat tres paginas integras 14.15.& 16. in hoc ipſo conſumens: ſed de iſto paulo poſt: iam conſecutionem intueamur. Negamus aſſumptũ penitus. Quod enim negabant illi, hoc Scotus pro certo aſſumit; Firmamentum eius omnino eſt ſtipulaceum, imo floccis plumarum leuius. Quid ita? an non ſi ex punctis, quia ſunt incorporea, ſequitur vacuum, eodem modo ex materia incorporea idem ſequeretur? Nõ inquam: Quamobrem? Si enim ad omne in corporeum exiſtens, ex quo gigni diceretur cὸrporeũ, ſequitur vacuum: Et materia eſt incorporea, cur nõ ad hanc quoq; ſequeretur vacuum? Nihil, inquam, ſequitur; Sed, etſi donemus hoc, quomodo conuiciſſet Scotus, non in capite primo. 3. de cælo partes quantitatiuas? aut quomodo, ſi ibi ſunt partes quantæ, materia verò non eſt quanta, ad vtrumque idem ſequeretur? Adde hoc, Ariſtoteles in 3. de cęlo capite ſecundo circa ita finem loquitur: *ex nulla alia antecedente magnitudine omnino, impoſſibile eſt fieri &c.* Sic & in 6. cap. *Si ex corpore, fiunt Elementa, erit aliquod prius*; item *duo erunt in vno loco, id ſcilicet quod fit & id vnde fit*: Et concludit, *cum nec ex corpore nec ex incorporeo fiant, quòd ex ſe mutuò generentur.* Sic in ſecundo de generatione & corruptione quinto. *Si nullum ſenſibile corpus Elementis eſt prius, hæc ipſa erunt prima.*

His

His ipsis textibus hoc conuincit Aristoteles: Elementa non esse facta ex corpore aliquo priore ipsis Quòd si iam hi ipsi textus conueniant cum eo qui est.3.de cælo.c.1. An non pulchre Scotus contra se ipsum ostenderit, Aristotelem per puncta intellexisse aliquid corporeum? Quomodo ergo materiæ par erit ratio? Sed respectu incorporei congruunt: Esto hoc: at inquam id incorporeum esset præsupponendum ex sententia philosophi iam ter repetita? Nam cum duæ sint partes diuisionis: de vtraque illud præexistere & prius esse, accipiendum est: Ita enim informatur Syllogismus: *Si facta sunt Elementa ex aliquo priore ipsis; aut ex corporeo aut ex incorporeo sunt facta: Sed ex neutro: Ergo ex nullo priore ipsis.* Consequens est, cum generentur nihilominus, ea ex se ipsis fieri. An non imparitas manifestè hinc p ..? præsupponitur incorporeum. siue punctum sit, siue aliud quid: at materia inseparabilis est, & non nisi ratione prior? Simul enim materia, formaque & Elementa sunt: id quod supra satis ostendimus contra somnia Scoti. Ecce verò, illa est tam elegans proportio materiæ & puncti. Iussit nos attendere Scotus; Itaque non tàm facilè est dimittendus. Dicit philosophus omnino nullum corpus esse prius; nēpe nec potentia nec actu: si itaque de corpore pariter & incorporeo disputatur; cur nobis subinde aggannit Scotus illud incorporeum & punctum? Cur non cum corpore proportionem etiam instituit? Aut si ipsi omnino est corporea materia, cur omittit demonstrare, quòd ne tunc quidem potuisset ex ea fieri Elementum? Multa sunt incorporea in naturalibus, eaque itidem generata; cur de illis similiter non concludit? Hoc est artificium quo Scotus conuicit, eandem esse rationem puncti & materiæ

primę

primæ; nempe inane somnium & LVCE cantabrigiensium indignissimæ tenebræ? at mirificè exultat tantis cum inuentis. Non enim satis est bis figmentum & mendacium obiecisse Interpretibus Aristoteleis, repetit idem tertio: Valeat, igitur, inquit, hoc eorum commentum, euanescat figmentum: Eone insolens es Scote, quia tibi imperium est in demortuos? At tu ipse turpiter & flagitiosè mentitus esse deprehensus es, tanquam ἐπ' αὐτῷ φώρῳ. En ergo tibi pro maledicentia parem gratiam. Sed examinemus iam ipsam tam præclaram demonstrationem; quam ne parum peritus esse in Aristotelis lectione videretur, aut ne nimis tenuem ederet libellum, Sextuplici & amplius tautologia benè signauit; pagina scil: 14. versibus 19. & seq. Et iterum versu 24. & seq. pagina 16. versu 8. quin toto tractatu antecedente. Procedit autem ita: *Aut vacuum admittatur necesse est, aut ex materia prima. non sunt facta Elementa: Sed non admittitur vacuum: ergò Elementa non sunt facta ex materia prima.* Propositio probatur: *Si ex incorporeo fieri corporeum dicitur; necesse est vt vacuum admittatur. Corporeum enim in loco est, incorporeum in nullo loco: ergo antequam fieret corpus, necesse est separatum vacuum fuisse, in quod succederet; Materia autem incorporea est: Ergo si ex ea generarentur Elementa; Vacuum admitteretur.*

Quæ omnia per Aristotelem probantur. Quàm acutum est hoc telum? Vereor autem ne nimirum creduli Theologi vel Moysē in luto prouoluant, vel Scoto Colaphum infligant pro Aristotele, ex quo istud argumentum produxit. Nam ego eodem argumento possem negare mundum esse factum: Aut si esset factus, præexistente vacuo, conuincerem non potuisse ipsum nulla re condita præexistente

H fieri.

fieri. Nam si vacuum potest definiri; teste Ramo, formam habet; si hoc; erit res existens: Sed ista mittamus. Si defendendus est Aristoteles contra Scotum, negabimus propositionem. Nulla enim est disiunctionis probabilitas. Nam ex materia prima secundum sensum Aristotelis, constant Elementa, nec necesse est concedere vacuum. Nam simul & semel Elementum fuit & materia Elementi Aristoteli ab omni æternitate: platoni præexistente loco; Essentia, & materia; seu generatione quæ in materia est: Inter Theologos de vacuo non constat. Locus enim fuisset: qui siue terminus ambientis siue spacium contenti corporis definiatur; (Nam relatè, respectu locati semper dicitur) non potuit esse ante mundum. Probatio propositionis Sophistica & falsa est proficiscitur enim ex Scotica persuasione de præexistente materia, quam Aristoteles ne somniauit quidem; sicut perspicuè id refellunt adducta testimonia.

Alia resp. Sed alium sensum accipe: Negare poteramus assumptum: At quî ita? Nempe quia vacuum concedere nihil est absurdi. At Aristoteles huic repugnat? Scio, sed non omne vacuum negat. Id negat, quod actu sit & separatim à corporibus existens; quale esse non potest. Interim potest esse vacuum potentiâ; aliud respectiuè. Nam cum dicitur vacuum, relatè ad locũ in corpore plenũ; omnino necesse est ante mundum fuisse vacuum; respectu nimirum eius

Alia. spacij, quod postea occupauit mundus. Nascitur nobis etiam instantia. Nam Aristotelea generatio non alia ante aliquot millia annorum fuit, quam est hodie. Quin ergo dicamus ne hodie quidem ex materia incorporea aliquid fieri, nisi sit vacuum. Muniat hanc rationem argutissimus ille censor

Tempel-

Tempellus; qui definit *generationem* in sua Dialectica pagina 16. quòd sit *coniunctio materiæ cum forma ab efficiente ad finem instituta.* Si omnis generatio hoc est: liberati suspicione vacuimus; etiamsi Elementa aliquando ex materia & forma, cum non essent, prius orta statuamus. Vtinam Tempelli definitio Aristotelis tempore extitisset; & declaratio vacui per relationem; fortassis persuaderi ipsi potuisset mundi ortus. Nam id eò facilius factū fuisset, quia ferè hoc credidit. In 1. enim de animal. partibus c. 1. hæc habet verba: *Quamobrem veri similius dixerim cælum & factum esse ab eiusmodi causa (quæ sit principium aliud, vt pote natura, & talis causa, quàm ex vniuerso habemus) si factum est, & magis ob eam causam quàm animalia caduca. Ordo enim ratus, certusque status longè magis in rebus patet cælestibus, quam in nobis. Incerta autem, incōstans & fortuita conditio in genere mortali potius est. At illi genus animaliū quoq; naturâ constare & extitisse censent, cælum autem forte sponteq; tale constitisse, in quo nihil fortunæ, nihil temeritatis deprehendi potest:* Adhuc Aristoteles; Cui non tā hostiliter opponere se debuisset Ramus; sequax fuit ingenium. Sed hæc de Syllogismo Scotistico. pag. 15. prolepsin genuit; quasi obicij posset, dictum Aristotelis ex hypothesi prodire: Ait enim, *si id quod potentia est corpus, nullum est aliud corpus actu prius vacuum separatum erit:* Ostendit autem ibi philosophus; nō quod ex omnino nullo corpore possit fieri Elementum; sed quod ex alio non; Hoc accipit Scotus in eā partem quasi possit opponi; philosophū velle, si corpus omne sit genitum: sed maceratur frustra, & tantum quærit occasionem plures asscribendi textus. Nam apertus est sensus Arist. nec quisquā peritus naturaliū tam subtile sophisma præter Scotum parturiret. Soluit autē ipse dicens; *Arist. id aduersari, dicenti cælum*

3. cæl. tex. 29.

Hoc ipsum apertè ex paulo ante allegato textu refutatur. Dicit. n. nō posse omnis corporis esse actum.

æternum esse; quo cadit vniuersalitas. Notabitur autem solutio hæc contra excusationem, quã temerarius disputator cap.14. affert. Vbi ipse excusat Aristotelem per hypothesin; atque ita inane facit totum huius libri cacoëthes, & se ipsum fœda repugnãtia inuoluit: de quo suo loco volente DEO. Allegatis textibus Aristoteleis quid aliud conficit Scotus, quàm quòd iugulum sui ipsius sophismatis petit? Ex omnibus enim apparet; philosophum non gignere Elementa ex materia, cum ante non fuissent. Pag. 15. ex Aristotele benè ponit: Si id, ex quo priore facta fuissent Elementa, graue, leue &c. esset; iam id esset Elementum. Eodem modo possemus contra Scotistica & Ramea somnia arguere: si materia ex qua fiunt Elementa, esset grauis leuis &c. iam esset Elementum nec fieret: Itaque aut Elemẽta, dum gignuntur, nullam habent materiam, & altera Essentiæ causa subiectoque sunt distincta, aut materia debet accipi sensu Aristotelico, non Rameo: id quod validius longè Aristotelis castrum est, quàm inania κρυσφύγετα Rami Scotiue. Adiuuat ipsi hoc munimentum, si quid animi habet vel tota Ramensium colluuies. Scotus mirificus est in ornando per tautologiam. Itaque pagina 16. idem repetitur. Apparet etiam ipsum præteruolasse potius scripta Aristotelica, quam attentis cogitationibus in ea penetrasse, cum magnum, & parum abest quin inuictum argumentum rediturasque in iugulum voces non viderit: Nam dum 3. Cæli. 6. *ex mutuis generat Elementa, ex vi disparatorum videtur consequens esse quòd ex prima materia non gignantur.*

Non enim idem sunt ex hac, & ex mutuis fieri, id quod testantur definitiones adeo dissentaneæ, vt non possint esse ex prima materia, si alterum alteri

fit

ſit materia. Eſt autem & hic nodus Solutu facilis, præſertim Alexãdreo gladio, qui impulſus etiam in ipſum Scotum penetrat. Quid enim manifeſtius eodem Syllogiſmo reijcitur, quàm falſo de Ariſtotele concepta Scoti opinio? Si ex mutuis, nec aliter fieri poſſunt Elementa; neceſſe eſt vt in omni generatione Ariſtotelica, quæ ipſis aſſcribitur, anteceſſerit Elementum. Quomodo ergo tam veſanus fuiſſet Ariſtoteles, vt ſtatuiſſet Elementa ex materia genita eſſe, cum ante nullum fuiſſet? Hoc potius indagãdum erat, quomodo alterum ſine euerſo altero eſſet intelligendum. Fit autem vtrumque ſimul. Nam & Elementum ex Elemento, ſed non qua Elementum gignitur, & ex materia formaque id, quod fit, conſtituitur. Forma eius quod corrumpitur, aboleſcit, quia ſingularis eſt, & naturæ huius: mutatur ſingularis materia ad nouam formam, vbi certè vnionem fieri neceſſe eſt formæ & materiæ: Iam ſi diſcrimen quæris inter id quod ſubſtantiam confert, & id, quod accipit eam, prout in propria ratione accipitur; etiamſi nunquam ſeparari poſſunt forma omnis & materia, cum alterum ſine altero eſſe nequeat, quod aliud invenias, quàm quod Ariſtoteles per priuationes deſcripſit? Si enim materia non eſt forma; & formæ ſunt, quæ notantur per adiuncta, leue, graue, calidum frigidum &c. oportet eam eſſe id, quod, cum ſubijcitur, nec leue eſt, nec graue, nec cal. nec frig. &c. attamen non nihil eſt, ſed aliquid. At inquies, *qui fieri tunc poteſt vt ex corpore dicatur factum Elementum?* Bene, inquam, poteſt. Id enim quod in via eſt ad corruptionem; Eſſentia corporea eſt (ſicut naturaliter de corruptibilibus corporibus loquimur) Ergo præceſſit corpus Si futurum eſt corpus alterum. Et ſic ex corpore

merito existit corpus aliud; sed non qua corpus, sed quâ materia est. Differunt enim ratione, etiamsi sint simul re ipsa. Et in generatione spectatur Essentia, non adiunctum. Corpus autem esse, nonne adhæret Essentiæ? Non ergo quâ corpus, ex corpore generatio est, sed quâ Essentia; etiamsi huic adhęreat σωμάτωσις. Apparet ergo vel malitia Scoti in Aristotelem & inuidia, in quam iurarunt omnes Ramej, qui Rameos mores in precio habent & exosculantur; vel crassus error cum stolida arrogantia, quin miserabili conatu coniunctus, dum tam magna policitus contra physicen Aristotelis, ne hilum quidem præstare potest. Adhuc de principio materiali quod dicebatur repugnare generationi Aristoteleæ; sed deprehensum est adeo non obsistere, vt citra id nulla fieri possit generatio. Dum concludit hanc partem disputator mirè insolens est, & in suũ somnium stomachabundus. Ex 3. cæli 6. infert, apertissimè *materiam primam ἀμιγεθῆ, ἄποιον, ἀσώματον nullo modo posse esse principium Elementorum*: quod nos sæpè dictum noluimus repetere, nisi cum Scotum suis decretis conuincemus. Infert & conclusionem alteram, *parem* scil: *rationem esse materiæ primæ & punctorũ de quibus supra*; sed quàm verè, ibi dictum est. Sequũtur conuicia, quibus doctrinam istam commẽtum & figmentum vocat; quæ sunt voces iugulantes ipsius Scoti phantasmata. Inde post euictam, vt credit, thesin; subijcit antithesin; Erat Thesis: *Ex praexistente materia prima non fit Elementum.* Antithesis fit. *Omne corpus generabile, ex alio, quod actu quidem est, sed in potestate tale, quale futurum est id, quod ex eo gigni potest, producitur.* Hæc Antithesis firmatur 3. cæli 2. tex. 29. Vbi dicit philosophus, *maxime ex corpore, potentiâ existente, actu fieri corpus; ita tamen vt illud prius sit aliud corpus actu*

pus actu Sic ex primo Generat.& corrupt.3 *quod vnius generatio sit corruptio alterius* ; quo patet, quod ex eo quod prius formam corruptibilem habuit, necessario omnia generabilia fiant. Sequitur interpretatio mentis Aristotelicæ, quid sit id quod dicit ex materia fieri Elementum ; nempè Elementum quod sit materia alterius. Debachatur vltimo in totum primum physicorum, quod quæstio de principijs aut platonicas Ideas sapiat, aut Mathematum figmenta in rerum natura non existentia : Vnde concludit, quod ista disputatio tota sit inanis & vana. Hæc dū valdè ambitiosè effundit Scotus, nos etiam inuitos retinet & ad examen instituendum properantes auocat: De thesi ante dictum est, quod falsa quidem sit & neutiquam Aristotelica; attamen quia per eam Aristotelis dogmata petuntur, necesse est, vt ita rem totam accipiamus, quasi ex antesignani Rami sententia, Materia prima Aristoteli introducta oppugnetur, præsertim cum pag. 17. Materia prima Aristotelca bis nominetur, vnde intelligimus sensum Aristotelis, non somnium Scoti, ad iugulandum quæri. Statuit ergo Scotus id quod in Antithesi est? Imo statuit. Aduersatur ne Thesi Aristotelicæ? videri ita vult, sed re eam confirmat. Quid ita? quia Aristotele autore vtitur, quo facto necesse est, cum materiam primam non abijcere. Hoc vt probemus, sic accipe. Constanter pronunciat Iacobus Martinus, generationem esse ex corpore, quod sit potestate tale quale id quod futurum est, actu erit. Hoc ita paulo post enunciat : *ex corpore quod actu quidem tale est, quale esse à sua forma habet, quod ex materia constat, qua potestate & facultate prædita est. vt formam gignendi corporis suscipiat. omne corpus fiet & gignetur.* Ex primo axiomate hæc extruimus. *i gener. est ex corpore potesta-*

te tali , quale actu futurum est genitum: necesse est, vt actu iam tale non sit. Nam quod non est, sed futurum est, iam simpliciter non est: Sic etiam quia actus opponitur potentiæ, vt habitus priuationi; necesse est vt priuatiuè consideretur respectu habitus, seu actus qui futurus est. *Sed corpus futurum actu erit graue, leue, calidum, frig. humid. siccum magnitudine aliqua formatum, corporeum; & quæ alia plura commemorantur adiuncta, quibus actus designatur, & quibus existentibus, res ipsa actu existere dicitur*. (Designamus autem substantialem actum per hæc, quia sunt inseparabilia; Et vbicunque ille est, hæc sunt, & contra) Conclude iam: *corpus ergo ex quo corrupto debet gigni aliud; iam neq; graue est neq; leue, nec calidum nec frigidum. Et omnino omni actu est destitutum, eatenus nempe, quatenus materia eius est, & in potentia, seu iam non actu* TALE, QVALE *erit genitum*.

Cedo iam, vter insanit magis? Scotus an Aristoteles? Scotus nempe, qui cum Ramo id oppugnat, quod postea constanter affirmando pronunciat: Aristoteles autem perpetuo sui est similis? Esto quidem per me, Sanus Iacobus Martinus: dum hoc facit; quatenus facit nunquam à me Sanus, sed delirus & iners dicetur. Amplius fatetur, *corpus, ex quo gignendum est aliud, formam quidem habere suam ; sed constare ex materia , quæ potestate prædita est, vt formam gignendi corporis accipiat* : Sunto hæc ita: sed quæro id corpus dum eius materia accipit formam aliam, manet ne in sua forma an non? Non manet, inquis ; Nam corrumpitur ; nec duæ sunt rei vnius formæ substantiales primæ. Bene in quam est. Materia itaq; tantum cum sua potentia reliqua post corruptionem intelligitur, etsi ne momento quidem forma carere possit. Imo est ita : Vtram verò mate-

materiam intelligis, primamne an vltimam, hoc est, singularemne, an id cõmune subiectum omnium? Nõ vltimam & singularem: Hæc enim vnâ corrumpitur, vt cum euanescit ignis, materia eius vltima simul perit; Nã esse suum amittit. Intelligis ergo primã? Nẽpe ita: Socratis fuit aliqua materia sensibilis singularis vltima, quę cum is viueret, actu erat: nonne? Sic enim materiam hominis vocant copus eius: Post mortem, hoc est, post Socratis corruptionem, quæ tunc facta est, quando forma soluta est à materia, anima à corpore, non ea iam actu est, nisi forte homonymως, sicut mortua manus. Socratis ergo vltima materia, quia non est, interijt. At manet materia prima, nempe corpus: Hoc autem, quia rursus constat formis suis, quæ viuente Socrate erant sub forma principali, ideo ratione istarum formarum esse dicitur: primùm nempe, quia dissimilares partes habet. Esto itaq; hęc forma proxima; & iam vltima singularis, nõ quidem Socratis sed corporis dissimilaris. Soluatur hæc forma, si fieri posset manentibus tantum similaribus, sed separatis. Ergo iterum iam vltima materia interisset. Si enim non interisset; maneret corporis dissimilaris materia quod impossibile est, cũ interierit dissimilare totum. Adhuc autem extãt similaria: Horum forma manente, manet materia sensibilis, ita vt sensus testentur hoc esse similare. Corrumpatur. An manebit materia vltima? Neutiquam; vtpote quæ & rationem & nomen amisit. At non nihil est. Erit ergo materia prima, quæ iam amplius resolui nequit in corpora formata priora. Nam vsq; ad Elementa peruentum est. At gigni ex ea materia possunt vermes? possunt? sed per compositionem mistionemue, non per resolutionem: Et hæc est generatio simplex, qua pro-

ceditur ad esse ex potentia. Percepistine iam Scote. Et quid Aristoteli vocetur materia prima, & quo modo hæc ipsa ad istud, cuius dicitur materia prima, semper in potentia sit etiamsi vlterius progrediendo nomen mutet, & aliquid aliud actu sit? Quòd si tibi hoc ipsum quoq; arridet; quid obloqueris philosopho? Platonica materia prima inordinata, quàm improbetur Aristoteli, testatur. 1. de cæli tex. 106. & 8. phys. 1. & c. & alibi; vbi disputat cõtra motum inordinatum Platonis, &c. Eadem sententia ex Aristotelico Axiomate, quod vnius corruptio sit ortus alterius, deducitur. Nam etiamsi res existens non ita corrũpatur, vt nihil fiat, desinit tamen id esse quod antea existebat, idq; tota. Si enim Essentia eius constat materia & forma; & RES existens nõ dicitur, nisi quæ habet has partes vnitas: Si interit, secundum vtramq; eam interire necesse est, ita vt ante dictum est. Pereunte enim Socrate, materia quoq; Socratis perijt, vltima nempe, remanẽte prima, Et sic ex corrupto hoc, generatᷓ alterũ, vnde bene dicit philosophus, *Generationem esse singularium & sensibilium*, nempe naturalem intelligens, eamq́ue quæ est Elementorum & ex his factorum. Malè igitur & fœda cum contradictione ad potentiam materiæ, concludis ita, vt pro materia Elementi non materiam primam ἄμορφον, sed Elementum accipias. Nam re hæc consentanea sunt; ratione dissentiunt: nulloq; modo potest Elementum, qua est Elementum, alterius fieri materia. Necesse enim est, vt corrumpatur: Si hoc: iam non est Elementum, sed aliud, nempe subiectum & materia. Quodsi corrumpitur; non poterit esse graue, leue, &c. Nam si hæc insunt, Elementum iam est. Hæc ipsa pluribus persequitur philosophus 2. de Gen. & corr. textu 31. & sequent.

ſequent. Porro ſi ſubiectum & materia eſt; aut prima aut vltima erit; Non vltima, quia hæc eſt Elementi ſua forma conſtantis, Et corrumpitur ſimul cum forma: prima igitur: Qua itaq; frõte reijcis ea, quæ diſputantur in 1. phyſ. cur Platonica vocas ſiue Ideas intelligas, ſiue chaos antiquum? Num inane & vanum id tibi videtur, cuius veritatem ignorare turpiter potes; & arrodere inſaniſſimè, inuertere non potes? O miſeram Oxoniæ iuuentutem, quæ tam flagitiosè ab homine ignorantiſſimo corrumpitur. Hæc ad concluſionem de materia ſufficiant. De forma, quod eſt alterum principium rei genitæ; Ecquid affert repugnans generationi? Ludit, vt tyrones Scholarum, qui primum diſcunt agnoſcere fallacias, in quibus modificatum ponitur pro proprio, eam ob cauſam, quia deſtituimur vocabulis proprijs in rebus nominandis; id quod phyſicis de formis & ſubſtantijs ſingularium locuturis accidit. Non enim poſſunt aliter exprimere eas, quàm per formas ſecundarias, ſeu adiuncta, & effecta. Sic fecerat Ariſtoteles in qualitatibus Elementorum in locum formæ certa loquendi figura ſubſtituendis: Contra hoc ita arguitur:

Quod non modo ab Ariſtotele ſibi conſtante, ſed ne ab vllo quidem philoſophorum pro cauſa Elementorum & principio haberi potuit; id non eſt cauſa & principium Elementorum.

Qualitas tactilis nec ab Ariſtotele, nec ab vllo philoſopho pro cauſa & principio haberi potuit: Ergo qualitas tactilis non eſt cauſa & principium Elementorum.

Probatur aſſumptum de Ariſtotele, primo *Subſtantia non niſi ex ſubſtantijs poteſt conſtare: Qualitas tactilis non eſt ſubſtantia: ergo ex ea non conſtat ſubſtantia.* Propoſitio munitur: quia principia ſunt eiuſdem

gene-

generis cum ijs quorum sunt principia: *Qualitates nō sunt eiusdem generis cum substantia : Ergo substantia ex eis non potest constare:sed substantia est ex substantijs.*

Item 2. *principia sunt priora & antiquiora ijs, quorum sunt principia.*

Qualitates non sunt priores Elementis: Ergo principia non possunt esse Elementorum; quæ est secunda probatio assumpti illius. Probatur assumptum huius: quia non sunt sine substantia: probatur & altera assumpti pars de alijs philosophis; sed Aristotelicis tantum; idq; de iure: 1. per generationem figuratam interrogatione: q. nemo vnquam qualitatem tactilem agendi aut patiendi vi præditam formam Elementorum, quæ substantiæ sunt, vt loquitur, iure ac merito vocauerit. Quod autem nō potuerint id quoq;: 2. probat ratione, nempe quod vim agendi aut patiendi non potuerint tribuisse qualitatibus (vt nimirum inde sequatur, eos non potuisse qualitates pro forma venditare.)

Quæ agunt patiunturque mutuò, ea omnia constant materia & forma; Ergo non formæ est agere aut pati sed compositi.

Antecedens patet: quia agentia & patientia mutuo partim similia sunt, partim dissimilia, vt testatur philosophus. Similia scilicet genere, subiecto, materia: dissimilia forma. Necesse est ergo vt vtrunque habeat materiam & formam. Rursus probatur idem de singulis:

Quæ per se non sunt, ea non possunt agere aut pati: Materia & forma per se non sunt: ergo non possunt agere & pati. Assumptum firmatur: Quia materia si sola & per se spectatur, in potentia & facultate est: forma naturalis sine materia esse nequit, etsi substantia sit.

Itaq; res naturalis per materiam, quam habet patitur

titur formæ beneficio, & actu existit & omnes functiones exercet. Conclusio: Nullum plane Elementum ex materia prima & qualitate tactili, vim agendi aut patiendi habente, tanquam ex principijs sui constituentibus ortum habuit, &c. Repetuntur tonitura de vanitate, & inanitate Aristoteleæ disputationis. Respondemus ad Syllogismum, quod assumptum eius sit sophisticum. Primum enim quod Aristotelem attinet, ex superioribus patet, quod permutet qualitatum & formarum nomen. Vocauit is qualitates istas quidem principium & formam, sed & materiam appellauit; vt diximus in vestibulo huius disputationis. Ad alios philosophos si nos conuertimus, apparet ἀμάθεια Scoti: Ignorat enim Alexandrum, Galenum & alios plurimos nō aliter sentire, quam Elementorum formas esse istas qualitates: suntq; etiam ex nostris quidam, qui putāt id defendi posse. Si enim ignem intuentur, calorem in sua materia conspiciunt. Adime calorem, ademeris Essentiam. Et sic in alijs. Falsum ergo est nullum philosophū accepisse qualitates pro formis, etiamsi non ad nominum permutationē respiciamus. Probatio eius mirabilem elenchum architectatur. Assumptum negabat, potuisse haberi qualitates pro formis: firmamentum de iure & merito disputat: idque non ex aliorum philosophorum sententia, sed ex dictis Aristotelis: Quid si non in omnibus assentiretur Aristoteli? Aut si eum aliter ac tu interpretarentur? Sed & tertium Sophisma hic est. Assumptio de omnibus philosophis erit; probatio de seruis Aristotelicæ literæ, qui vix mediocriter sunt instituti philosophia Aristotelica, Adeo subtilem habemus Rameæ Logicæ asseclam; vt nobis triplicem Elenchum in vna Syllogismi parte magno cū sapi-

pientiæ ſupercilio gignat. Quin igitur dicimus cō-plexionem fraudulentam falſamq́; eſſe totam? Sed non acquieſcimus his tantum. Iuſſit nos attentos eſſe Scotus. Iniuriam ergo ei faceremus, niſi ſingula diligenter examinaremus.

Ante res ipſas ſciendum eſt, nullā omnino conſequētiam eſſe in tota dianœa Sillogiſtica poſterioris partis. Quam.n. quæſtionē aut Theſin vult arguere Scotus? an nō hanc? *Nullus philoſophorū potuit ſtatuere, qualitates tactiles tanquā formas eſſe Elementorū principia?* Quid autem hoc cōficit? Hoc ſc. *actionem & paſsionem eſſe totius cōpoſiti, nō materiæ nec formæ:* Sed rimemur an aliquid probabile ſaltem dicat, idq; æquiſſima cenſura: Oſtendere vult qualitates tactiles non eſſe Elementorū formas. Et ſic nō principia. Argumentum affert: quia qualitates non habent facultatē agendi aut patiendi: Inde forte fieret talis Syllogiſmus,

Quod agendi patiendiq́ vim non habet, id non poteſt eſſe cauſa ſubſtātiæ ſeu principium: Qualitates tactiles non habent vim agendi patiendiq́; ergo non ſunt cauſa ſubſtantiæ: Imo nec formæ quidem & materia habent, te aiente. An igitur nec hę quidē ſunt partes, cauſæ, aut principia ſubſtantię cōpoſitę? cōnectat hæc Chryſippus; ego nō poſſum. Video autem ideo hæc afferri, non Theſin arguant, ſed vt aliquid peculiaris ſcientiæ in Scoto contra omnium ſententiam oſtentent: Quod ſi eſt, miſceat ſane cælum terræ, atq; ob id Lux cātabrigiæ à Tempello vocetur: mihi ꝑfecto nihil niſi Scotus eſt. Sed ad veritatem rerum. Aſſerit Scotus *principia eſſe debere priora & antiquiora:* forte de Ideis Platonicis loquitur, ſeu Logico genere. Omnino enim neceſſe eſt ſpecies exiſtere, ſi quid naturaliter gignitur ex conſtantibus. At inquam, de naturali generatione qua ſibi ſomniat ex materia præexiſtentę aliquid fieri

ſermo

ſermo neceſſe eſt. Eſto hoc: Verum in generationibus ſingularium ſimul fit & materia & forma. Non enim Socratis materia prior eſt Socrate; ſicut nec forma: niſi Platonicum & Pythagoræum commentum placeat. Fortaſſis naturâ vel ratione priora accipit, & non tempore? Hoc ipſe viderit; Ariſtoteli ſupra tribuerat, quaſi tempore priorem faceret materiam, quam ipſa Elementa: Si hoc velit hic quoque contra eum dictum, nos id non laturos ſciat. Inſeparabilis enim eſt à materia forma; Itaque vno exiſtente & alterum exiſtit; Eſtque tunc ſimul totum, cum citra vnionem eſſe non poſſint. Notandum hic, quod Ariſtoteles dicat *qualitates priores eſſe in materia quam forma*: Eo itaque teſte, ſi hoc verum eſt, quod ait Scotus, ea fuerint principia. Hoc prius ventilare voluimus. In probatione aſſumti dicitur, ſubſtantiam non fieri niſi ex ſubſtantia. In hoc axiomate magna eſt ambiguitas. Non enim vno modo Syncategorema, Ex, accipitur. Statuit philoſophus generationis & corruptionis cauſas efficientes, qualitates agentes & patientes in 4. Meteor. non vt ſubſtantiæ ſunt, ſed vt virtutes ſubſtantiarum. Ratione ergo efficientis inſtrumentariæ cauſæ prima eſt homonymia; cum hic videatur accipi pars Eſſentialis. Deinde vox ſubſtantiæ aliquando tribuitur materiæ nō per ſe; aliquando formæ per ſe; aliquando toti; vt ex illis facto; imo & qualitatib. aſſignatur, dū calor magis ſubſtātiam ſignificare dicitur, quam frigus. Tertio ipſum fieri valde ambiguū eſt, ex hoc ipſo quia Syncategorema eſt ſubſtantiæ. Videamus iam quid veri ſubſit: Id ꝙ alterius ſubſtantiæ cauſa eſt, debet eſſe ſubſtantia: hæc niſi de vnione, aut efficiente remoto, nō poſſe accipi dico: Nam forma, quæ nondum eſt, nō efficit; materia quoq; quia per

ſe ſub-

se substantia non est; causa substantiæ esse nequit: Efficiens proximè substantia non est; Nam virtutum opus est effectio substantię per generationem. Relinquitur ergo vnio partium Essentialium: alioquin frustra nobis opposuerit hoc axioma Scotus. Nam etiam ex non substantia oriri poterit substantia, siue materiam siue formam spectes. Qualitates non esse eiusdem generis cum substantia, si vere sunt qualitates, admittimus. Sed hoc axiomate nõdum nec Aristotelis nec Alexandri repulsa est sententia, dum calorem, frigus, siccitatem, humiditatem, appellant Elementorum formas & principia. Quid enim si hæc ipsa vocabula apud ipsos essent substantiarum nomina, etiamsi in compositis, aut alio modo interdum tribuuntur verè qualitatibus? Euince primùm Scote, quòd illæ qualitates tactiles, vt vocas, seu principia & contrarietates (quas ob vim contrariam vocat) vt Aristoteles, sint qualitates ijs in locis vulgares & non potius substantiæ; & tunc validius argumentaberis. Nos quidem tuo ipsius testimonio conuincere poteramus, calorem istum qualitatem minime esse. Sic enim statuis quod toto genere distent calor cælestis, animalium & Elemẽtaris: cum vniusquisq; sit sui generis. Si itaque calor animalium est qualitas, quod negare non potes; quia nõ est substantia animalis & anima ipsa, quod plurib. firmare possemus; an non ex tuo fundamento calor Elementaris qualitas nõ erit? Quantum sanè esse nequit, nisi ratione comparata: Quid relinquitur præter substantiam? Sed de hoc in altera parte. Iam ad miram istam technologian accedimus, de vi agendi patiendq́; cuius nam ea sit, materię formę, totius aut cuiusdam alterius. Quæso, quis in Aristotelis disciplina vel mediocriter institutus

4. Meteor. 1.

quali

qualitatem illam agendi aut patiendi, facultatem habere dixerit. Quęrimus nos viciſſim, per calorem, frigus, ſiccitatem, humiditatem; Ecquid intellexit Ariſtoteles, ſubſtantiamne an qualitates? Si illam, cadit argumentum Scoti contta qualitates tactiles: ſi has, oportet eum ignariſſimum eſſe Ariſtotelis ſcriptorum, tum interpretum eius. Nam manifeſtè omnis vis in generatione & alteratione qualitatib. vltimo attribuitur in 4. Meteor. 1. in lib. phyſ. & de Gen. & corr. ſimiliter de gen. animal. & partibus. Sic in illis quæ formam in materia non habent: vt ſol agit in inferiora per qualitatem mediante aere, cum ſubſtantia eius peruenire huc non poſſit. Piget addere de actione per ignem, de odoratis, de lumine & infinitis, quæ, quòd qualitatibus actiuis paſſiuiſque aſſcribantur, nullus ignorat, ne is quidem, qui vt canis Nilum ita ipſe Ariſtotelis ſcripta in margine libauit. Quàm peritum ergo ſe Scotus oſtendit in Oceano, imo in vnico capite Ariſtoteleo? Quid dicam Hippocratem, Galenũ, Philoponum, Auerrhoen, Simplicium, Alexandrũ, & in numeros alios? At probat hoc paradoxon Scotus. Agentia, inquit, & patientia, genere & materia ſunt idẽ; forma ſunt diuerſa: Ergo ea habẽt materiam & formam, ſeu, vt ipſe loquitur, materia & forma conſtant. Et ex conſequẽte nec materia nec forma patitur, ſed totum. Mira vertigo in Scoto. De qualitatibus concludere debebat; & infert de forma. Eſt autem id Ariſtotelicum in 1. de gener. & corr. tex. 50. & ſeq. item 77. & ſeq. ſeu cap. 7. *Cum non quoduis*, inquit philoſophus, *agere & pati natum ſit, ſed quæ aut contraria ſunt, aut contrarietatem habent: tam agens quam patiens genere quidem ſimile ac idem; ſed ſpecie diſſimile ac contrarium eſſe neceſſe eſt. Nam corpus à corpore, ſapor à ſapore, color à calore, &*

1. de gener. & corr. textu. 8.

omnino, quod eiusdem est generis, ab eo quod est eiusdem generis pati aptum est; Cuius causa est, quod contraria in eodem genere sunt omnia: Et cōtraria inter se vicissim agunt, patiunturq́; itē agens & patiens cōtraria sunt: & patiens necesse est vt mutetur in id quod agendi vim habet. Item partim materia ipsa patitur, partim contrarium. Addit autem aliam rationem esse in ijs, quæ mouēt immobilia ipsa. Tunc enim primum nihil patitur, sed vltimum, &c. Hoc ipso sermone philosophus nec materiæ passionem adimit, nec formis contrarietati seu contrarijs qualitatibus tribuit vt se expellant mutuo, alterentque subiectum, manente eius forma: Atqui subiectum non expellit subiectū; nec substantialis forma formā: qualitates autem, seu formę quales id manifestè operantur; vt in frigida aqua calefacienda videmus. Quomodo ergo toti cōposito actio & passio asscribitur? Color agit in colorē, inquit philosophus; at color non est cōpositum totū? atqui agit manifestò. Toti cōposito tribuenda est actio? quomodo verò? nempe vt patiatur per materiā, agat per formā: Esto hoc: sed non totum cōpositum, vt est compositum agit & patitur: si ergo nō hoc sed penes materiā patitur, an non materiæ assignatur passio? Si agit penes formā; an nō huic actio asscribitur? At inquis, per se & sola agere & pati nō possunt; quasi verò vnquam separatim existerent. Omnino.n. necesse est, naturaliter actiones & passiones in materia fieri, siue aliâ tangēte siue propria. Quod si est quis qui aliter statuerit, eū nos ipsi oppugnabimus, & ex physico cāpo ad Theologos ablegabimus: Verùm is nullus est nisi in cerebro Scoti. De qualitatibus autē quæ sunt instrumēta agentium & patientium, & virtutes, scimus, omnes, excepto Scoto, sensisse, quod earum sit actio passioq; vltima; quanquā primus motus esset à forma

forma in aliquo subiecto existente. Faciat periculũ, qui volet, in feruente aqua in glacie, in candẽte ferro; actionem opinor sentiet, quæ nec materiæ nec formæ ferri, aquę aut glaciei erit asscribẽda: Cui autem? nempe qualitati per vim impressæ, quæ vtitur alieno subiecto, per se alterato, & ex illo agit nihil cõferente nisi hospitiũ subiecto. Nam quod aiunt, materiæ communicari actum, id falsum est. Hoc præstat, quo densior est, eo maiorem vim qualitatis suscipit, vt ideo maior sit actio. Fortassis etiam positus partium materiæ & dispositio iuuerit actionem, vt cum acutum ferrum candens facilius perforat, quàm latum. Sed tunc miscentur per se effecta, & accidẽtaria. Nos de his quę per se insunt loquimur. Et disputator noster hic nobis non aduersatur: largitur enim plus minus, quòd omnes functiones actionesque per formam exerceat res tota; quibus dictis materiæ nihil relinquitur præter merum pati. Hæc attulit de secundo principio, demonstraturus, illud repugnare generationi Elementorũ, quia non sit substantia, non agat aut patiatur: Quorum vtrumque falsum & sophisticum est vt patuit. Mirum autem est cur non superiora argumenta de incorporeo, de vacuo & alijs repetiuerit. Omnia enim quæ de materia disputat, formæ quoq; cõueniunt: & ꝙ de qualitatibus, nugatus est, id potius erat formæ tribuendũ, cuius essentiam in materia proximè sequuntur. Sed concludit per vsitatam cantilenam, Elementũ non potuisse oriri ex matetia & qualitate tactili, ea quę agit & patitur, q̃a fiat ex alio Elemẽto: in quo ipso generalitate peccat: De Elemẽto.n. simpliciter disputatio est, nõ de hoc aut illo: De Elemẽto ergo simpliciter id esset accipiendũ. At si Elementũ ex alio Elemento oriretũ, in infinitũ esset abitus, ꝙ

Aristotelicæ philosophiæ non est consentaneum. Deinde pro dissentaneis & se mutuo euertentibus accipit ea, quæ sunt consentanea & cōiuncta. Nam etsi Elementū pro hoc seu aliquo ex Elementis sumas, vtrunq; tamen verum est, quod tum hoc ex illo fiat, tum ex materia & forma constet: sicut cum animal ex semine gignitur, & nihilominus coalescit ex corpore & anima sensitiua. O falsarum igitur Thesium & absurdarum opinionum architectum. Finis capitis criminum congeriem facit, nempe vanam, inanem, inutilem esse disputationem de materia & forma Aristotelea: Imo inquam, vera necessaria, & vtilis, cum contra Scoti portenta sint, odiosissima, futilissima & ne flocci quidem æstimanda. Videtur autem multum remisisse de sua constantia, & ferè desperare de præmio tanti certaminis

2. Versu à fine. Nam cum pagina 17. dixisset ἐπιςημόνως, *inanis est disputatio de materia; vana est : sic ait; inanis videri potest*, quo pacto & initio 3. Capitis loquebatur. Isti, videri, opponimus nostrum non videri; Et putamus Scotum gloriam quæsitam omnino perditurum, & magno cum suæ arrogantiæ damno naufragium facturum. Adhuc de quæstione illa: An Elementa ex materia & forma oriantur contra Iacobi Martini Scoti paradoxa.

8. Metaph. 4. alias tex. 11. Addamus pauca quæ Pet. Ramus contra materiam olim declamauit. Ridet Aristotelem homo facetus & ad sannas natus, quod cuique rei attribuat propriam materiam, dicatq; diuersarum esse diuersam, cum tamen faciat communem omnibus primam. Apparet artificium Rameum, qui ex vtopia sua omnia argumenta depromit. Non intelligit discrimen inter materiam vltimam & primam de quo nos supra. Ridet iterum cum vult philosophus,

phus, formam potius esse naturam & substantiam quam materiam. Quia enim materia maneat post corruptam formam, ideo vult eam esse essentiam potiorem. Sed ineptit Ramus: forma vniuersalis æquè est æterna ac materia. Singularis & sensibilis perit vtraque Materia physica communis non manet per se, sed per formas alias sibi mutuò succedentes; à quibus omne habet esse. Non itaque Aristotelis philosophemata, sed Rami sophismata ineptissima indigna sunt legi.

Illudit rursus philosopho, quasi dum formas gigni negat, illas ex nihilo faciat; id quod de materia similiter sit asseuerandum. Formas vniuersales seu species Aristoteles facit æternas, sicut Plato Ideas: Hoc oppugnare Theologus posset: si intelligeretur vt in singularibus est species: concedendum autem platonicè est. Quæ verò consequentiæ necessitas? Negat formas gigni: ergo ex nihilo eas facit; Ideo enim non gignuntur, quia æternæ sunt specie. At in sensibilibus negat gigni philosophus formam, quia generatio est totius, non formæ tantum: Et forma cum sit perfectio & finis motus; generatio autem actus imperfectus: forma sanè propriè non gignitur, etiamsi singularis accipiatur. Nam actus ille vltimus finis est, & statim vt est, perfectus est. Scommatis & ludibrio hæc non refutantur. Firmioribus solidioribusque est opus, quæ à Rameis expectamus, cum Ramus ne Gry quidem de vera physica intellexerit, atque ita nihil dignum physico attulerit. Exagitat etiam Aristotelem, quod in duodecimo Metaphys. cap. 2. textu 10. & 11. scripsit de materia, quod non sit omnium vna: Si enim vna esset, omnia essent vnum. Reprobat autem Anaxagoræ vnum, quod poten-

tia vna fuerint omnia; Verba eius sunt: *Si quid est potentia; non tamen ex quocunque sed cum alterum ex altero. Cur enim infinita facta fuissent, & non vnum, cum intellectus vnus sit? Quare si materia vna, istud actu fuisset factum, cuius materia potentia erat.* Horum verborum sensus hic est: Non potuit fieri vt vnâ potentiâ omnia fuerint. Cum enim vnum quodque ita moueatur, vt natum est moueri, quam aptitudinem vocamus certi actus potentiam; quot fuerunt actus. tot etiam potentiæ. Esto dum vnus intellectus, seu causa mouens & vna tantum potentia, necesse est, vt ex eo, cuius fuit potentia, nihil amplius præter vnum emerserit; id quod res ipsa falsum testatur. Ecquid absurdi hic habet Aristoteles? Apparet imperitia Rami, qui ne intellexit quidem sententiam philosophi: vnde tanquam simpliciter arguisset Aristoteles ex vno intellectu ad vnam formam, Exemplum Pausonis affert, q possit ex vno lapide fingere Apollinem & Mercurium. Imò nugator si vna tantũ potentia, quam materiam vocares, esset; non posset aliud facere, quam vnum. Ecquid enim aliud est vna potentia, quam vna ad vnum habilitas? Sed pergit: *Non si materia est vna, & artifex vnus, necesse est vt idem sit vnum.* Recte quidem si materia vna quidẽ sit, at pluribus potentijs instructa. Sin autem materia idem sit quod potentia, vtrum vnum dicatur, sequitur nihil fieri posse præter vnũ etiamsi mille sint artifices. Inania sunt ista quæ dicis de Aristotelis obliuione; quod non attenderit, res discerni non materia sed forma: Non oblitus est, obtrectator; sed sciebat, si potentia sint plures formæ, etiam potentias plures fore. Vnius enim vna potentia. Non itaque debebat statuisse Anaxagoras, potentiam esse idem ac materiam & vnam tantum. De mente quod addi-

Tales sunt omnes isti asini Ramei in interpretatione scriptorum Aristotelis.

additur; si Anaxagoras intelligebat liberam & sine natura agentem, fecerit ei iniuriam Aristoteles: sed quid si ita statuisset vt Galenus, Plinius & alij, qui negant. *Deum aliter agere posse, quàm vt inclinat natura?* An non de natura præcipuè disputantem meritò insectatus esset Aristoteles? Discessit à principijs suis ad aliena, secundum quæ eà, quæ dicebat, fieri non poterant. Sed de his non plura. Contra æternitatem materiæ & formę ex 3. de cælo c. 7. disputat: *si principia sunt æterna, omnia erunt æterna*: sed hoc falsum: Nam physicæ res sunt corruptibiles. Ergo & illud falsum est. Sed hic respondeat Ramo TEMPELLVS: Nam non si partes sunt æternæ, tota erunt æterna, nisi etiam vnio sit æterna. Est autem generatio partium essentialium vnio, corruptio earundem dissolutio. Quid ergo obstaret partes æternas esse, etiamsi totum non sit æternum? Sed hac excusatione nõ vtetur philosophus. Discreuimus supra inter vniuersales causas & singulares sensibilesq́; inde petatur solutio. Rursus, *Aristoteles non dubitauit de formis quin generarentur & corrumperentur: ergo neque de materia debuerat dubitasse.* Rectè inquam: Vtrumque enim sensibile existens generatur & corrumpitur. Reliqua vide supra. Iterum *disputat Arist. materiam primam non esse æternam, imò nullam in physicis*: affert, sensum ex 3. de cælo 7. & discrimẽ Physici & Mathematici, &c. quæ supra Scotus proponebat. Respõdimus per actũ & potentiam; per καθ' αὐτὸ & συμβεβηκὸς. De ęternitate autem dicimus similiter potẽtia eã fuisse; etiamsi non actu. Et hæc Theologicè non Aristotelicè. Contra Arist. autem afferat Ramus argumenta firmiora; hæc nihil proficiunt. De reliquis adiunctis materiæ per priuationem signatis etiam supra diximus. Aliud additur: *In nulla parte totius mundi*

In 1. de part. an. 1. dicit philosophus illos voluisse natura res exitisse.

Hic Ramus à Rameis dissentit in rebus physicis.

deprehenditur ista materia: ergo nulla est in physica. Negatur antecedens, etsi enim non deprehenditur sensu per se, at ex accidente; intellectu autem etiam per priuationes. Rationes quibus concluditur, alibi enumerantur plures. Hîc autem nactus est Ramus Campum. Vtitur ergo linguæ suæ peruicacia pro libitu, dicitque materiam nihil esse, de quo nos supra Scoto satisfecimus. Rursus C.7. lib. 1. phys. & Platonem & Aristotelem arrodit, de ista materia, quod sit analogia & inficiatione comprehensibilis. Opponit: *Si materia est principium ex quo res est; erit comprehensibilis principium enim est compreheñsibile.* Probatur hoc: *quia licet ei nulla sit forma physica, tamen est ea per quã est id quod est:* item *est alijs argumentis declarabilis: materia promptior cognitio est, quàm forma: exemplo veterũ, qui materiam potius cognouerunt, quàm formam:* item 1. phys. 7. *numerabilis vocatur, quasi digito monstrabilis.* In omnibus ferè Elenchus est homonymiæ: Cõprehensibile est, quod vel sensu vel intellectu capitur, idq; vel propria forma, vel per alienam comparatione. Materia propria forma in se destituta est: omnino. n. à forma differt. Itaq; comparatione ad alienam formã iudicatur: & hac ratione est cõprehensibilis vt testatur philosophus. Materiam habere formam per quam est id quod est; nempe substantia dicimus. Nã inseparabilis est à forma: Interim alio dr̃ materia, alio forma. Et definitio materiæ ex forma vera nõ constat: sed tantũ descriptio est. Et hic Ramus Sophistã agit cõtra Logicam cõscientiam. Materiæ promptiorẽ esse cognitionẽ, per se falsum est. Nã adiuncta & effecta ad formam potius pertinent eamq; indicant. Ex accidente verò, cum dicitur quid non sit, esto sane promptior: Nos hoc offendit. Veteres singularem potius, quam primam respexisse videntur. Itaque nihil

Sic nec forma deprehenduntur per se, & alia plura vt temperamenta.

nihil proficit eorum authoritas. Materiam in 1. phy. 7. dicit esse *numero vnum* quid, *ratione duo*: est enim ipsa vna per se, *at* priuatio accidens est: Quod autem numerus ipsi conueniat, ostendit: Homo est numerabilis, aurum similiter; at hæc possunt esse subiecta: numerabilia igitur seu numerus ipsis conuenit quo ipso quid iuuetur Ramus non video. Neutiquã enim vult philosophus, eam esse hoc aliquid, vt sit digito demonstrabilis: sed vnam numero rem esse vult. Materiam negat esse potentia, cum potentia sit qualitas quædam efficientis. Sed hoc falsum esse cum bona Rami venia dicimus. Est enim & materiæ habitudo ad recipiendam vim efficientis. Quod Aristoteles dicebat; si materia esset actu, tunc eam esse formam (quanquam hæc non ita extulit Aristoteles) id quomodo oppugnet, Ramus, non video. Nam hîc corrector Rami cum eo non consentit. Falsum esse dicit, *quòd forma Leonis sit Leonina materia, sed in composito tum formam esse Leonis, tum materiam eiusdem.* Materia quidem per se omni forma est destituta: quomodo ergo eius forma sit actus? Quis ex Aristotelicis hoc dixit? Materiam autem cum proprium esse non habeat, per formam esse, à qua nunquam separatur; Et inde dici substantiam, hoc argumentis dignis negetRamus. Leonina materia profectò per formam est. Nam per eam subsistit, & nisi Leoninæ materiæ, forma Leonis esse nequit. Non enim quæuis est cuiusuis. Occide Leonem: *corpus*, *Leonis materia*, nisi homonymos, *esse nequit*; vt supra diximus. Negat distinctionem in potentiam & actum bene esse accõmodata ad physicen. Cur quæso? quia materia & forma sunt genera causarum, non sunt subiectum & adiunctum. O mirabilium paralogismorum con-

Potentia duplex alia efficiendi alia patiendi.

Hic desideramus Iudicium in Ramo. Nihil affert necessarij oblitus scientificarũ capellarũ.

cinnatorem Ramum. Hinc illæ lachrymæ, quod in suam vtopiam vocabula transferre nititur, & physicis nihil relinquere de materia & forma. Hæc est illa tantarum inimicitiarum inter Aristoteleos & Rameos causa. Sed nō est quod moremur illos; nos diuersimodè vtimur vocabulis. plura blaterat de Ente & non Ente, quæ prætermittimus. Hæc contra materiam Aristoteleam effudit temerario conatu & stolidissima inuidia Ramus Logicus. Nos paucis tantum vanissimi hominis impudentem arrogantiam indicare voluimus; Cætera non vsq; adeo sunt difficilia iudicatu. Hactenus de quæstione secunda, iam ad Tertiam.

QVAESTIO III.

De definitione Elementi; Ex capite IIII. Iacobi Martini Scoti Dûnckeldensis.

PHysicen scripturus Aristoteles, quæ vniuersalia in omnibus naturalibus inueniũtur, sibi censuit pręmittenda, tum ad Methodum obseruandam, tum ad vitãdas tautologias. Vniuersalib. postea subiecit ea, quę specialia de quibusdam naturæ vniuersæ partib. erant dicenda. Itaque Acroamaticis libris summittit eos quos de cęlo Elementis, & mistis composuit. In natura enim quę motui sensibusq; subiecta est, aut simplicia sunt aut mista: illa cælestia, Elementaria, hæc mista imperfectè, perfectè. Absoluerat cælestem doctrinam: ad Elementa seu generabilia & corruptibilia erat transeundum. Hic quærit primum subiectum generationis & corruptionis; nempe corpus; postea an omnis corporis sit generatio & corruptio: negat;
3.cel.29.tex. quòd omnis; quia si omne esset ortum, vacuũ fuisset separatum. Quædam igitur orta sunt, sed ita vt

hæc quoq; ex alio actu præexistente corpore. Vnde conficitur quod orta omnia sint æterna specie, cum non possit dari primum corpus ortum naturaliter. Cælestia etiam numero æterna sunt. Generatio propriè est compositorũ : at cuius causa sit in principijs: sine quibus cognosci illa non possunt: Quærenda itaque principia. Hæc autem sunt Elementa: Vnde primum de Elementis inuestigandum, quænam illa sint. Fieri id nequit, nisi constet, quænam sit natura seu ratio definitioue Elementi: Ratio illa petitur ex communi loquentium consensu, præsertim physicorum in re physica. Itaque vt quænam sint vocanda Elementa, cõstet, Elementi ratio supponenda est tanquam certa & immota. Sequetur enim, vt cui competit definitio, ei assignandum sit definitum.

Datur definitio ex consensu veterum per descripta quædam propria, adiuncta & differentias: *Elementum* esto illud corporeum, *in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potentia: ipsum autem est indiuisibile in diuersa specie corpora.* Probatur hæc definitio per consensum omnium: Tale quid enim Elementum omnes & in omnibus volunt dicere. Fortassis autem quidam malunt Græca verba; ea sic habent: ἔστω δὴ τὸ στοιχεῖον τῶν σωμάτων εἰς ὃ τὰ ἄλλα σώματα διαιρεῖται, ἐνυπάρχον δυνάμει (ἢ ἐνεργείᾳ· τοῦτο, γὰρ ποτέρως, ἔτι ἀμφισβητήσιμον) αὐτὸ δ' ἐστιν ἀδιαίρετον εἰς ἕτερα τῷ εἴδει. Hãc definitionem per concessionem omnium philosophorum factam, tum expugnare enititur Scotus, tum ostendere, quod cuius gratia ponatur, id inde non rectè demonstretur. Ecquid inde? nempe vt temerè ingeniũ suum in inuestigatione Elementorum fatigauerit philosophus, frustraque contra veteres hoc stadium decurrerit; nec pateat sintne Ele-

3.cæli. te.13.

primum cuique ineſt. Amplectitur hæc Galenus qui dicit: τὸ φαινόμενον ἁπλούστατόν τε καὶ πρῶτον μόριον, ἀλλὰ τὸ πρὸς τὴν φύσιν ὑπάρχον τοιοῦτον στοιχεῖον ὄντως ἐστιν. Item: τὰ πρῶτα καὶ ἁπλούστατα τῇ φύσει καὶ μηκέτ᾽ εἰς ἄλληλα διαλυθῆναι δυνάμενα. Item: στοιχεῖόν ἐστιν ἐλάχιστον φύσει μόριον οὗ πέρ ἐστι στοιχεῖον. Quid opus multis? Ita Elementum deſcribitur Hippocrati, Platoni & quibuscunq; phyſicis, Medicis, veteribus, recentibus, quorum infinitus eſt numerus. Athamas pythagoricus vocauit ἀρχὰς καὶ ῥιζώματα καὶ γενέσεις τῶν γινομένων. ἐκ γὰρ τῶν πάντα ὕδατα γ᾽ ἦν ὕδατα γ᾽ ἔσται ὕδατα τέσσαρα. Sic Lucretius, Empedocles, Anaxagoras, Democritus, &c. vocem Elementi acceperunt, quanquam quæ ſint Elementa, diſſenſerunt. 1. Metaph. Ariſt. textu ait: Veteribus videri maximè Elementum ex quo primum aliquid congregatione fit, quale eſt μικρομερέστατον καὶ λεπτότατον. plura nos ſupra in quæſtionis ſecundæ veſtibulo diximus. Principij nomen πολύσημον eſt. ſignificat enim terminum primum motus vel à quo inexiſtente fit initium, vt fundamentum &c. vide 5. Metaph. 1. Eſt enim principium ferè idem ac cauſa ſiue interna ſiue externa: Vnde & natura & Elementum vocatur principium. Et forma potius rerum principium quàm materia. vide 12. Metaph. tex. 19.

1. de Element.

Clem. Alex. in 6. Stromaton.

In phyſicis tũ principia tũ Elementa vocat materiam, formam priuationem. Aliquando diſciplinã, conſuetudinem, Deum &c. quæ reuocantur ad cauſam. Item alibi actum & potentiam. Diſcrimen autem inter principium & Elementum eſt ferè generis & ſpeciei. tametſi ſæpe confundantur vtræq; voces: Cum non tantum ea quæ inſunt (inquit in 12. Metahph) cauſæ ſint, ſed etiam ex his quæ extrinſecus ſint, id quod monet ſit cauſa; patet aliud principium

1. de part. animal. 1.

1. Eudemi. 1.

pium esse aliud Elemẽtum. Ambo verò causæ sunt, & principium in hæc diuiditur: Elementa tria sunt, materia, forma priuatió per Analogian; Causæ quatuor sunt, Efficiens, materia, forma, finis &c. Vbi paulo angustius capit Elementum, nempe pro eo principio quod est intrinsecum, vt ita sit principiũ duplex intrinsecum & extrinsecum. Ait etiã quòd singulare principium sit singularium, vbi sanè nihil aliud intelligit, quàm proprijssimè Elementum, sicut in definitione describitur; modo singulare sit ἀισθητόν. Alij ita disterminant principium propriè & Elementum in physicis: quod illud sit omnium corporum naturalium, hoc tantum mistorum primum. principia non fiunt ex alijs omnino: Elementa ex alijs prioribus corporibus non fiunt, attamen componuntur ex materia & forma. Elementa fiunt ex se mutuò; principia non. Vnio eorum facit corpus naturale; vnio Elementorum facit mistum tantum. Galenus in 1. de Elementis per homogenian & heterogenian discernit. Principia nõ sunt homogenea jis, quorum sunt: Elementa omnino sunt homogenea. In historia philosophi ait Ionicos philosophos non discreuisse inter ea, Platonem distinxisse; quod nempe principijs nihil sit prius vnde fiant: at Elementis prior sit ἀειδὸς καὶ ἄμορφος οὐσία, quam quidam volunt esse ὕλην ἄποιον, quidam ἐντελέχειαν καὶ στέρησιν. Item στοιχεῖα σύνθετα καὶ ἀποτελέσματα· ἡ δὲ ἀρχὴ οὐδέτερον τούτων ὑπάρχει. Sed nos alienas sententias parũ moramur; quandoquidẽ quid
3.phy.tex.43 Aristoteles statuerit, disceptatur. Corporis ratio fa-
1.cœli.tex.2. cilè intelligitur; describitur dimensionibus vndi-
& 5. & 56. quaque. Naturalia corpora vocantur magnitudi-
3.de anima. nes secundum se mobiles secundum locum. Diui-
te.62. & 63. ditur corpus variè in æthereũm, elementare; simi-

lare,

lare, dissimilare, simplex, mistum. Attributa, quod sit naturale, tangibile, mobile, potentiam habens vel actiuam vel passiuam vel vtramque. Numero primum quintuplex, cœlum & quatuor Elementa ex quibus reliqua &c. potentia principium vocatur, maxime materia: Aliâs habilitas quædam est & naturalis procliuitas seu inclinatio ad actum aliquē certum: Ea interdnm à consuetudine est 9. phys. 6. 2. Eadem: 4. Aliâs significat principatum, vt in rebus de Republ. Aliâs ad similitudinem materiæ. Scientias etiam factiuas appellat potentias. 9. Metap. 3. Diuisio sumitur ex natura agētis & patientis: vnde alia est agentis, quam Ramus vocat, qualitatem efficientis; alia subiecti patientis: alia subiecti patientis: vtramque philosophus ait, quodammodo vnam esse; siquidem idem potest pati ab alio & in aliud agere. Videtur & bene efficiendi potentiam ab illis distinguere; sed εὐπραξία finis, quædam qualitas est & ad efficientem reduci potest. Alibi diuiditur in primam & secundam prima designatur per rudem, qui scientiam acquirere potest: talis est in omni generatione naturali. Secunda notatur per scientem, qui non contemplatur actu: Et hæc diuiditur rursus in propinquam & remotam. Hæc si dormit illa si vigilat artifex: quod tamen discrimen videtur magis de omni esse. Nam in omnibus generandis propius ad actum perfectum accedit, quod tàm est in via ad eum, & in motu, quam quod nondum incepit moueri, potest autem: vt, remotius est semen à perfectione plantæ quod nondum vegetatur, quam quod vegetatur. Porro potentia hæc æternis adimitur, cum omnis Simul contradictionis sit, & possibile esse & non esse, id quod dicitur potentiâ. Hęc autem de simplici potentia accipiantur:

1. cæl. te. 68.
12. Me. te. 22.
9. Met. te. 2.
5. Met. te. 12.
8 phys. te. 32.
9. Met. te. 12.
4. Metap. 4.

1. cal. te. 132.

tur: Nam secundum quid, nihil prohibet, quin sint: quo argumento philosophus cælum æternum esse probat cum suo motu. Tribuitur ei & hoc quòd semper prior sit actu (scilicet non nisi in materia generabili & corruptibili, ratione generationis eius & corruptionis) quòd sit in solis mobilibus; quia materiæ respondeat; Item axioma hoc: *cum actiuum & passiuum simul sint, semper sit aliquando actu, quod est potentia* quod naturaliter, & remotis obstaculis accipiatur. propter subiectum potentiam habens, etiã affectio eius potentiâ dicitur, vt si contemplator in potentia est, facultas quoque eius, nempe contemplatio ita esse asseritur. Non addimus plura. Sufficiunt ad institutum ista. De actu determinat philosophus ex contrario potentiæ. *Actus* enim *est*, inquit, *rem existere, non ita vt est potestate.* Diuiditur in primũ, quæ est potentia secunda; & secundũ qui est motus. Sed vlterius in actum perfectum, estque forma & substantia; & imperfectum, qui est motus ad substantiam vt generatio. Eodem modo ferè anima dicitur actus primus, operationes eius actus secundi vt veluti causa & effectum, inter se distent. Distinguitur & actus in subiecto ad finem aliquem mouendo, ab eo, in quibus ipsa actio est finis. Vt visio ab ædificatione: Hîc actus est in ædificando, illic ipsa visio est actus. Sed hoc discrimen est exile, neq; adeo vrgendum. Hęc discrimina alioquin ita enuntiat, quòd ad proportionẽ dicantur nõ similiter omnia. Vt hoc in hæc aut ad illud, veluti vt motus ad potẽtiam, vel vt substantia ad materiam. Porro tribuitur actui quòd sit prius potentia; quod declarat eo in loco philophus ita: *Dico non solum illa potentiâ definitâ, quæ dicitur principium transmutans in alio pro vt aliud est: sed prorsus omni quod mouet & stare facit, principio* prius

Vide 1. cæli tex. 133. Vbi dicit philos. quod impossibile est corruptibile non aliquãdo certum &c. Esset enim simul corruptibile & incorruptibile.

9. Met. te. 10

Sic finis dicitur actus tex. 13. & 17

In lib. de anima & 9. Met. tex. 20. Intellectio actus est.

9. Metap. tex. 10. et 16.

8. Met. te. 13.

prius autem generatione, tempore, substantia. Ratione, quia potest primo mouere: Tempore quodammodo est, quodãmodo non: Est quia idem specie prius; non est, nempe numero idẽ. (& huc videtur referendum esse id quod in 1. cæli supra dixerat; potentiam esse prius actu.) *Tempore antem priora sunt his alia quo existunt actu, & ex quibus hæc sunt facta; cum semper ex eo quod potentia est fiat actu Ens ab existente actu. Substantia prius, quia quæ sunt generatione posteriora, ea sunt priora Substantia: vt homo prior est semine hominis: homo autẽ habet substantiam & formam hominis, semen non.* Vide ibi plura. Non autem est actus diuersarum specierum, licet alterius actus possit esse in altero, at non vt idem, sed vt est potentiâ Ens ad Ens actu. Hæc de actu. De genere & specie differentibus vsitatum est respondere; Genere differre, quæ vel genera diuersa sunt, vel in diuersis ponũntur, vt bestia homo, Bucephalus Socrates; Sic species. At non eodem modo accipiunt hæc omnes: Genera causæ sunt specierum: & vtraque vox Logica Symbolicè Essentiam ex materia & forma constantem repręsentat; In genere, vt totum commune, in specie vt pars: Suntque ordines generum & specierum pro summo, medio, imo: Ima species alijs dicitur singulare ipsum, alijs ea quę proximè antecedit singulare Et videtur vtrumque apud philosophum in vsu esse In 1. part. an. 4. ait *Species vltimæ substantiæ sunt*: quæ quidem species nullo speciei discrimine differunt. Vt Socrates, Coriscus: item *substantia est id quod specie indiuiduum est.* Speciem Indiuiduam pro substantia accipit: aitq; *species vltimas vt Socratẽ? Coriscum non differre specie*: quæ vix conciliaueris nisi dupliciter accipias speciẽ. Socrates enim & Coriscus omnino substantia differunt. Sic hominem genus crebro appellat. Vide Rami Scholas in introductionem por-

Arist. Genus est materia: Ram. contra.

K phyrij

phyrij c.3. Interpretes aliter indiuiduum, aliter speciem accipiunt. Specie autem differentia quænam sint, explicat ipse philosophus. 1. Metaph. tex. 24. quòd sint ea quæ cum in eodem genere sint, contrarietatem habent existentia Indiuidua: Eadem specie quæ cum sint Indiuidua, contrarietatem non habent. Et paulo post: quæ diuersa specie sunt, necesse est in eodem genere esse. Genus appello quo vnum & idem ambo sunt, non secundum accidens differentiam habens siue vt materia existens siue aliter. Sic in 5. Metaph. 10. Diuersa specie dicuntur, quęcunq; cum eiusdem sint generis, non sunt subalterna; & quæcunque cum in eodem genere sint, differentiam babent; & quæcunque in substantia contrarietatem habent; Contraria quoque diuersa specie inuicem sunt, aut omnia; aut quæ primo dicuntur; & quorum in vltima generis specie rationes diuersæ sunt, vt homo & equus Indiuidua genere, rationes habent diuersas &c. Hæc de diuersis specie Diuisio de qua hîc Arist. loquitur, intelligitur ex ratione mistorum, qua hîc Aristoteles loquitur, intelligitur ex ratione mistorum, quæ diuiduntur in diuersa specie, id est, resoluuntur. Est itaque resolutio: Aliâs diuisio quantitatum, vt quantæ, alia est, vt & diuisio generum. Sed nihil addimus amplius: ad alterã instituti partẽ progredimur. Definitio philosophi supra recitata est. Sẽtentia eius est, ꝙ Elemẽtum sit corpus simplex, ex quo componitur mistũ & in ꝙ resoluitur vltimo naturali resolutione. Cũ in expositione non interierit omnino sed sit potentiâ: Non autem ipsum vicissim potest in corpora specie diuersa resolui. Quod interijcit philosophus de actu, id excutitur in 1. de gen. & corr. licet inter se disceptent recentiores Cardanus & Scaliger in libris subti-

Cardanus lib. 5. pa. 268 Exercitatione 16. sect. 3

ſubtilitatum, quorum illum iuuat Auicennæ teſtimoniũ: ſed de hoc nihil hoc in loco quemadmodũ nec de illo, an quatuor omnino Elemẽta ſint in miſto, quæ inde per reſolutionẽ redeãt. Quid Iacobus Martinus ex profeſſo aduerſatus philoſopho, afferat, attendamus. Definitionem, controuerſię caput pręmittit ita enunciatam: *Elementum eſt id initium ſiue principium corporum, in quod cætera corpora diuiduntur, cum poteſtate in ſit vel re ipſa, ipſum autem in ea quæ ſpecie differunt diuidi non poteſt.* Ita Scotus recitat definitionem; Sed injuriam affert textui tripliciter; primũ quod initium aut principium addit, quod deeſt ibi; ſecundo ꝙ dicit initium corporũ, quod falſum eſt aut ſophiſticum, niſi addat, quorum corporum: Nõ n. ſimpliciter corporũ initiũ eſt, id ꝙ ibi definitur. Tertio pro actu ſubſtituit RE ipſa, quæ non exprimũt vim actus, ſed potius opponũtur falſitati. Hęc fides & cãdor Scoti in definitionis allegatione. Adhibentur deinde Machinæ & arma contra opponũtur: petuntur tria, 1. initium ſeu principium: ſecundò, quid ſit hoc in ꝙ cætera diuidũtur: Tertio: quod dicitur in ſpecie differentia diuidi. Exagitatis his, triplicem reponit ſibi probatam definitionẽ; quas ſingulas viciſſim vt decebit, ſuo loco excutiemus. Aries præcipuus quo labefactatur definitio hic eſt: *Quæ definitiones à prioribus naturâ proficiſcuntur; eæ vbique Ariſtoteli probantur tantum. Hæc definitio nõ à prioribus naturâ proficiſcitur. Nullibi ergo probatur Ariſtoteli.*

Propoſitio primum munitur argumento ab Effectu. Etenim, inquit, tales definitiones ſolæ vim & naturam definiti poſſunt aperire & pro dignitate explicare. poſtea declaratur pari; Nam & demõſtrationes eaſdem probat. Aſſumpti proſyllog. hic eſt:

Aut per eadem, aut per poſteriora natura efficitur tota;

Vnde consequens est, quod non per priora; Partium harum probatio sequitur deinceps. Nos prius ad posita. Lis est, probet ne Aristoteles datam in 3. cæli definitionem, nec ne. Imò, inquam, probat. Quomodo enim rejciat eam, quam & restituit alibi, & omnium philosophorum non minus quam suo consensu comprobauit? At id negat Iacobus Martinus, argumento à forma legitimæ definitionis ducto. Videtur in speciem non admodum aduersari philosopho sed potius eũ interpretari. Sed virulentia mox patescet. Propositionem sophistica falsitate laborantem reijcimus. Vt enim maximè probet eas definitiones, quæ substantiam declarant, genusque & formam, vt in perfectis fieri solet, exprimunt: tamen non excludit eas, in quibus forma per differẽtias describitur, vt nec eas, quæ ex alijs causis, effectis subiectis, adiunctis, &c. sumuntur, maximè in defectu aliorum; licet interdum etiam aliquid demus tum arbitrio nostro, dũ auditorũ captui, quib. quàm maximè possit fieri, explicatam rẽ volumus. Sic quale & quantum admittit, sic quæcunq; ita definitioni inseruiunt, vt & ea, de quib. est dubitatio, soluantur, & quæ competere videntur insunt, insuper etiam causa difficultatis & dubitationũ pateat, quo pacto pulcherrimè quod vis demõstrari possit. Quantum ergo veritatis & fidei merebitur id quod Iacobus Martinus falso enunciauit Aristot. vbique tantum probare eas, quæ fiunt ex natura prioribus. h.e. ex materia & forma, non ex alijs? Num improbata ipsi est temporis definitio, quę ex causa efficiẽte, non ex substantia est? Num & motus cui miscuit adiuncta? Num & animæ, in qua plura materiæ adiuncta commemorat? Virtutem definit mediocritatem; quæ profecto verum genus non est. Glaciem vocat

8. Met. tex. 2
7. Met. te. 43 & 16. & 13.
7. Me. tex. 13
2. Annalit. post 8. vel tex. 17. & 18
4. phys. 4.

vocat excessum frigoris ; Ignem ὑπερβολὴν τοῦ θερμοῦ &c. & sic in multis. Vno itaque halitu ferè omnes suas definitiones euertisset philosophus. Quid laboramus? Sophistica est propositio: vnde quicquid assumatur sane, complexio eâdem æstimabitur lege.

Munimentum assumpti officinam Logicæ corruptæ sapit. Disiunguntur enim consentanea & copulanda: Audiendum nobis est, quasi, pro aut, partim dixisset. Donemus hoc Scoto; & quo pacto partim eadem partim posteriora habeat definitio auscultemus: *Quid quæso aliud* (inquit) *est initium siue principium, quod pro genere in hac definitione adhibetur, quam ipsum Elementum?* Videtur ita colligere: *In qua definitione genus definiti nihil aliud est, quam definitum ; in ea idem ponitur ex hac parte: In Aristotelea definitione Genus definiti nihil aliud est quàm definitum: In Aristotelea ergo definitione idem ponitur hac in parte.*

Assumtum roboratur: quia genus definiti ponitur initium siue principium, quod idem est ac Elementum. At inquam falleris Scote; In hac definitione Elementum Aristoteli non vocatur neque initium neque principium sed corpus. At in Metaphysicis ita appellauit? Scio istud: Tibi verò definitio 3. de cęlo erat suspecta. Sed appellârit principium, vocauerit initium; Num nihil diuersum ab Elemento dixit? probas tu quidem hoc ita: *Si Elementi materia nulla est alia Aristoteli quàm Elementum, nihil discriminis erit inter principium & Elementum: sed verum prius ; ergo & posterius.* *Nulla est alia: cum supra et alterā attribuerit.*

Age mirificè disputator, quam connexionem nobis fabricas ? paulo ante capite tertio pagina 18. Materiam vocabas subiectum genus, tanquam causam alicuius effecti : nec dissentiunt nostro tempo-

re Logici acutissimi: Si itaque Elementum est materia Elementi. (Nam hoc quodam modo demus, donec infra respondeamus) an non Genus erit? Causa enim ex qua est. Atqui, inquis, vnum idemque non est causa simul sui & effectum: Equidem quatenus idem; Quid si autem vocabulo eodem vtrumque signetur? Debebat itaque dixisse, Elementum est Elementum. Nam apud philosophum Elemẽtum generaliter pro causa materiali & principio sumitur; & tursus specialiter pro Elemento propriè hîc vocato. Cum autem suppetat aliud generis vocabulum, non opus erat ταυτολογεῖν. Hinc ita concludo.

Quæ differunt vt species & genus, ea non sunt idem omnino. Principium & Elementum differunt vt Genus & Species: Non igitur sunt idem omnino.

5.Met.tex.1. Assumptum iam firmauimus. Ecquid petis amplius? En id quoque.

Omnes causæ sunt principia: At physicum Elementũ non est omnis causa; Est enim materia generabilium siue simplicium
12.Me.te.22 *siue mistrorum, perinde vt vsitate ex Aristotele respondent. Non itaque æquipollet principio.*

lib.5.Metap c.3.in scholis. Assumptum tum Aristoteles, tum P. Ramus confirmat. Aliud est Elmentum, inquit philosophus, aliud principium: Ramus ita:

Hæc Aristotelis Metaphysica est de Elemento, quod materiali videtur causæ propriè attribuere. Attamen principia demonstrationum & genera, sic esse causæ non possunt cum symbola sint communia multarum causarum. Et Elementi men non tam generale est, quam principij, quàm causæ, vt INFINITIS *in locis Aristoteles vsurpauit.* Adhuc P. Ramus.

Testimonijs enim hæc probanda sunt, cum ex vsu spectentur vocabula. Vides itaque te non paruam

uam iniuriam tuis præceptoribus fecisse. Quin & si legisti definitionem Elementi quæ extat in septim. Metaphysic. vltimo. (Legisti autem: nam citas eam pagina 19. hoc ipso in argumento.) Cur non inspexisti paulo antecedentia quæ sic habent: ἐπεὶ δ᾽ ἔνια οὐκ οὐσίαι τῶν πραγμάτων, ἀλλ᾽ ὅσαι οὐσίαι κατὰ φύσιν καὶ φύσει συνεστήκασι, φανείη ἄν τισιν καὶ αὕτη ἡ φύσις οὐσία, ἥ ἐστιν οὐ στοιχεῖον ἀλλ᾽ ἀρχή. στοιχεῖον δ᾽ ἐστὶν εἰς ὃ διαιρεῖται ἐνυπάρχον ὡς ὕλην, οἷον τῆς συλλαβῆς τὸ α καὶ τὸ β.

Naturã vocat substantiam, quæ non sit Elementum sed principium. procul dubio itaque Aristoteli aliud est principium, aliud Elementum, id quod tu vel occultasti insidiose, vel si non vidisti coniectura est, te locum non inspexisse. Hæc ad connexionem.

Assumptum, quomodo tibi donem? Profectò non ita simpliciter Elementum enim etsi sit alteri Elemento aut misto materia, non tamen par ratio est vtriusque: Materia altera Essentiæ pars est quæ subijcitur; Elementi nomen est totius Essentiæ, forma materiaque constãtis: Elementum corrumpi necesse est, vt indè aliud fiat; materiã non. Sed contra id firmas: qui ex Elementis fieri Elementum docet, definitque id, in quod insitum vt materiam, diuiditur; is nullam aliam Elementis tribuit materiam, quàm Elementum: Cum itaque id faciat Aristoteles; assumptum verum erit. Imo inquam, propositio à Scabie Sophistica non est libera. Quis enim vnquam Aristotelem ita interpretatus est, quod in Elementum vt in materiam fiat diuisio? Etsi enim res eadem est, quæ primò constituit, vt materia & in quam vltima fit resolutio, diuisionis tamen gratia & ex se, materia id non vocatur: sed semper respectu alterius, ꝙ futurũ est. Vile hoc vocabis non

moror; quod tamen verissimum est. Materia enim causa est præexistens effecto, non quæ effectum iam corruptum sequitur. Ad illud quoq; de Elemento genito ex Elemento ambiguitate non caret: vt diximus. Inde assumptum refragabitur toti disputationi de materia & forma, de quibus supra. Elemētum.n. prima materia neutiquā est. At hæc Elemētis subijcitur à philosopho. Cōciliantur autem facilè, vt supra. Nam Elementum fit materia, non qua Elementum, sed quâ, postquam corruptum est, materiam alteri subministrat. Siccine ergo Scote, principiū & Elementum nihil differre probasti? Metuisnè tibi Galeni opponatur censura; An Aristoteleum nihil habebas? Sed quid ait Galenus? putat, inquit, minime necesse esse, vt principia in eodem sint genere cum ijs quorum sunt principia: Elemēta verò ad idē semper pertinere genus. Simplex enim qualitas composita, & simplex corpus, corporis compositi existit Elementum. Disputat contra eum, qui volebat siccitatem summam esse Elementum vt & qualitates reliquas. Negat Galenus. Quia qualitas sum̄a sit igni simpliciter; & quod qualitas possit esse qualitatis Elementum; Elementum verò corporis. Videtur nobis hoc velle; Qualitas potius principiū est Elementi, quam Elementum. Principium enim simplicissimum est, & non necessario eiusdem generis cum eo cuius est principium; Vt si siccitas sit principium Elementi; sanè non est corpus: Elementum verò corpus est, sicut & id quod ex Elemento fit. Non autem omnino id negauit: Nam sicut Elementum substantia est, ita poterat & principium substantia esse; & qualitas simplex qualitatis compositæ est Elementum, sicut Elementum corpus existens, corporis est compositi.

Qua verò principiũ, eatenus non amplius vocabitur qualitas. Negas fortè Galenum ex Aristotelis mẽte locutum esse. Quid tum? modo locutus sit verè. Tu verò hoc dijudicare non potes, statuatne Aristoteles differentiam inter principium & Elementum an non, id quod imitatus sit Galenus? Certè, vt ostendimus, vterq; hoc sibi persuasum habet, licet diuersimodè id videantur explicare. Cõfirmas autem Galenum discessisse ab Aristotelis aperta sententia: δεῖ γὰρ (inquit philosophus) τῶν μὲν ἀιδίων ἀιδίους, τῶν δὲ ἀΐδιον ἀϊδίους, τῶν δὲ φθαρτῶν φθαρτὰς εἶναι τὰς ἀρχὰς, ὅλως δὲ ὁμογενεῖς τοῖς ὑποκειμένοις. Itẽ in 1. phys. 6. Substantia nõ est ex non substãtia, nec nõ substãtia. prior substãtia. Verum quidem est Arist. vel ijsdem vocabulis contrariũ statuere; sed nec Galenus adeo id negat, vt dictum est; necessarium id esse omnino videtur negare: Nam ex incorporeis per se principijs materiâ & formâ fit corpus; vt vnita sint, id quod extra vnionem esse non poterant; siquidem ne subsistunt quidem extra eam. Alibi Galenus formas ex qualitatib. producit, quod mihi videtur magis dissonare. Sed nolim cuiusq; incommodas locutiones corrigere; nec tamen facilè manes defunctos mendacij arguere in re etiam per scripturam suspecta. Finge verò absurdè locutum Galenum in expositione; an Thesis ob id erit falsa & ab Aristotele aliena? minime verò; poterat enim fieri vt Thesis aliundè accepta malè declarando deprauata potius sit, quàm explicata. Et tu si negas Aristotelem idem Thema agnouisse, pari sane nota eris insigniendus. Possemus autem multa ostendere ex adiunctis discrimina, nisi Tautologian incurrere vereremur. Sed donas Aristoteli hoc, vt aliud sit principium aliud Elementum. Ehem bone vir, non indiget

3. de cælo 7.

ista tua liberalitate; Coactus cedes nisi velis sponte. Quomodo verò donas id, quod paulo post videris eripere denuò? Sic ais: Elementum est initiũ, inquit Arist. nihil dico quod genus cõmune contrahat, & singulare hac adiũctione faciat. Quod tibi omnino velis his verbis, non satis assequor, nisi ꝙ iterum reprehendis ante data; Esto principium genus cõmune; adiunctio illa de qua disseris; Initium: Græcus sermo ἀρχὴν habet; ꝙ vocabulum, quo Latino reddideris siue principio siue initio, quid hoc ad philosophum? Adde ꝙ in 3. cæli nullam faciat mẽtionem τῆς ἀρχῆς in definitione. Cur autem initium sit singulare, principium cõmune, quomodo persuadebis? Contrariũ videretur fortè potius, tametsi significatio τῆς ἀρχῆς vtrumq; cõplectatur; atq; insuper etiam principatũ. Sæpe etiam Latinis initium à principio parũ differt. Sed hæ inertiũ sophismatũ obscuritates sunt & digladiationes temerariæ. Singulare physicũ philosopho αἰσθητὸν est, Logicis vocabula sunt aptiora; nẽpe speciale, particulare, &c. potuissemus ergo & hoc notasse, si libuisset inanem de voculis rixã mouere. Hactenus de priore cõmunis Syllogismi parte, ad quam probandum erat, philosophum per eadẽ definitionem informasse; id quod deprehensum est falsum; siue per principium, initiumq́;, siue per corpus expressum sit genus. Sed nõ felicius pugnas in roboranda tuendaq́; posterioris assertione. Formas Thesin: Quod omnes differentiæ quæ adhibentur sint posteriores re, quæ definitione explicatur. Sed quænam differentiæ hæ? Tu vnicam tantum repetis; Erant autẽ tres nempe, in ꝙ cætera diuiduntur; quod inest potẽtia; ipsum est indiuisibile in diuersa specie. Cur omisisti reliquas? nẽpe fucum lectori eras facturus. Sed cur omnes sunt posteriores?

res? Quia nempe corpora, quæ Ex Elementis constare dicũtur, ijs ipsis sunt posteriora, tum quod ex ijs efficiantur, tum quod in ea diuidantur. Imo, inquam, hoc modo Elemẽta potius fuerint posteriora, vt voluerunt etiam tum Empedocles tum Anaxagoras: nec tibi infra displicebit sententia, cũ potius Elementa ex mistis fieri, quàm mista ex Elemẽtis contendes. Verùm proponantur ista Syllogismo, vt eluceat magis, si quid insit veri aut falsi. *Cuius definitionis differentiæ omnes sunt posteriores definito, ea constat ex posterioribus definito.*

Aristot. definitionis differentiæ omnes. posteriores definito:
Constat ergo Aristotelea definitio ex definito posteriorib.

Assumptũ negaretur vel omnino, vel ꝙ de omni non esset verum. Vt tu firmas? nẽpe per particulare: quia vnica saltem differentia cõstare videtur ex posteriorib. Ecquis nõ deprehendit sophisma tã eneruatum? Quin & si hæc ipsa sit sola & loco omnium, num conuicisti, ꝙ sit posterior definito? videamus. *Si corpora, quæ constant ex Elementis, & quæ diuiduntur in Elementa sunt posteriora Elementis, differentia definitionis hæc: esse id in quod cætera corpora diuidũtur: erit posterior definito Elemento: At prius: Ergo & posterius.* Quęso te mi Scote, ꝙ malũ fatum ingenium tuum in istas sophismatũ lacunas præcipitauit? Ecquis tibi cõcesserit propositionis cõnexionem? Verum quidẽ est? corpora mista esse posteriora Elemẽtis, vna cũ adiunctis suis: quale est diuidi in sua primordia. At, inquam, esse hoc, in quod diuiduntur mista, non potest alterius adiunctũ esse, quàm Elementi quin forma ipsa, Elementi. Si itaq; Elementũ prius est, cur nõ & adiunctũ Elementi, seu forma, nẽpe respectu misti? Itane ꝙ potissimum erat in differentia ista omittis? Non voculę singulę sed sentẽtia est spectãda philosopho,

sicut

ſicut crebro in Logicis quoq; monetur. Fallis itaq; turpi Elencho compoſitionis & diuiſionis. Atqui iuquiet aliquis, Si hoc adiunctum eſt Elementi, nihilominus ſic quoq; erit Elemento poſterius: Ea enim dicuntur adiuncta, quæ Eſſentiæ iam effectæ inducuntur. Variè, inquam hic peccatur. Primum enim mutatur reſpectus, conferunturque eſſe Elementi & adiunctum eius, cum prius Elementum & miſtum. Secundo confunditur ratio Elementi cum Elemento ſingulari. Ignis per ſe ignis eſt, etiamſi nunquam ad compoſitionem veniat: Itaq; adiunctum eius erit ſi miſtum conſtituat vnà cum alijs. Elementi verò ratio hæc ipſa eſt, nempe miſti partem eſſe aut cauſam aliquam. Non enim eſſe ſimplex corpus, Elementum propriè facit, ſed conſtituere aliquod corpus fieriq; partem Eſſentiæ eius: Relata enim affectio eſt inter Elementum & id cuius eſt Elementum: quæ ratio poſtea accipitur generalius, de quauis cauſa; & abuſiuè de ſimplicibus corporibus; neq; tamen ad cauſam primam efficientem extenditur: vt ex ſuperioribus patuit, ſicut nec ad finem. Tertio in ipſa ratione prioris & poſterioris ſophiſma eſt, ſicut & in adiunctorũ diſcretione. Propria enim adiuncta ſimul cum Eſſentia ſunt tempore, etſi ratione ſint poſteriora; Itaq; ſic quoq; in ambiguum verget ratio. His confectis; attende conclusionem: Si eſſentia elementi propriè accepti eſt; fieri partem eſſentialem compoſiti; & teſte Scoto, nihil refert ſiue eam deſignes per congreſſum ad cõpoſitionem ſiue per egreſſum ex reſoluto: (Nam vtrobiq; eadem res notatur.) Differentia hęc quam Ariſtoteles habet, non poteſt non eſſe forma propria Elementi, & nec prior nec poſterior. Sed eſt antecedens, vt dictũ eſt: Ergo & conſequens. Vnde in-

iuria

iuria affectus à Iacobo Martino est Aristoteles, cum tota antiquitate, qui hanc differentiam reprehendebat. Quin & si adiunctum esse non inficiemur, tamen nec obtinet quod vult, nec Aristoteles malè definierit, si non perfectam definitionem sed descriptionem, quam proximam isti dederit, nisi falsum sit quod Logici asserunt ex differentijs seu proprijs qualitatibus, in locum formarum substitutis, res maximè post formam inter se distingui. Hæc de vna tantum differentia; quam ostendimus neutiquam hic esse posteriorem. Addamus nos alias: Dicit philosophus Elementum id corpus esse quod inest potentia in alijs nempe mistis; Nam ita postea declaratur hoc in 1. Gen. & corr. Si adhibetur Elementum ad mistum, sanè inter hæc duo, inesse potentia, nulli Elemento conueniet: idq; ex consectario propriꝫ formæ. Nam si Elementum sit pars constituens mistum, inesse in eo necesse est, sicut similàres in dissimilaribus. Expressisset ergo philosophus sic quoq; Elementi formam si dixisset, quod sit corpus in misto existens potentiâ: sed hæc citra declarationem non à quouis intelligerentur: Nam non nisi vt pars misti est, eaq; prima, competit. Esto itaq; hoc declaratiuum prioris. Nam vt diuidatur in id, mistum, necesse est siue actu siue potentia, inesse. Attamen quo pacto posterius sit Elementi ratione, nō omnibus est obuium. Ratio enim in his distinguit, at natura temporis neutiquam. Vltima differentia est, quod non possit diuidi in diuersa specie; quæ est periphrasis simplicitatis, quæ est in ratione Elementi. Etenim si Elementum (etiamsi alio modo sit compositum) relatum sit ad id cuius est Elemētum; ipsa relationis ratio simplicitatem postulat. Vt primum ergo fit aliquid Elèmentum, statim ei inest simplicitas.

citas. Quomodo iam omninò hæc differentia Elemento est posterior? Quin & si absolutè accipiatur, simplicitas & Elementum dicatur quoduis corpus simplex, non poterit excludi à forma Elementi, siue ipsa sit, siue per eam signetur. Non enim quæuis simplicitas tunc accipietur, sed ea quæ in corpore est. At dicatur & hoc adiunctum, idq; posterius Elemento; num per id malè definitum sit, præsertim reliquis concurrentibus? Aristoteli id non videbitur, qui differentias quidem velit ipse cõmunes, si separatim spectentur; coniunctas verò ἴδιόν τι efficere. Hæc autem in definitionibus infra correctis omnia inueniemus similiter posita; Itaq; tunc plura. Non eo tantum nomine accusatur definitio, quod facta sit per eadem & posteriora; sed & quod tum abundet, tum falsa habeat, de quibus postea. Abundantia ita notatur: sed quid illud (inquit disputator) additur in quod cætera diuiduntur? An cuiquam dubium esse potest, quin vnumquodq; in ea dissoluatur ex quibus constat? Frustra putat id addi in definitione, de quo nullum est dubium, aut saltem hoc non debuisse addi in hac definitione: Quid ergo addi debebat? an non Elementum esse id ex quo constat mistum? Hæc enim est ratio Elementi. Quid si hoc, cur non alterum succedat in huius absentis locum cum æquipollens sit; vt tu videris existimare, idque apparet in multis Mechanicis. Sin omnino neges addenda in definitione ea, quæ indubia sunt, Vide num velis dubia addita; quo pacto quam probe definieris cogita. Sed nihil superfluum addi vis. Equidem ipse quoque in perfectis rotundisque artium definitionibus id requiro; sed id non valde attenditur: & infra tibi probatur ea definitio, quàm describit philosophus in 4. phys. 4.

Secun-

Secundum quam nihil habet superfluum. Nam oportet omnino dicere, quod Elementum sit id corpus ex quo constant mista, seu in quod diuiduntur mista, quod tibi perinde est. Addo hoc quod perspicuitatis est, declaratiunculas obscuriorum addere; & quod veteres inter alia attributa hoc quoque Elemento assignauerint; quod omittere philosophus, quia maximè ad præsentem disputationem faciebat, non poterat. Imo ne poterat quidem constare sine hoc definitio. Esto enim definitio, quod Elementum sit corpus, id quod inest potestate vel actu, quodq; in specie differentia non potest diuidi: Accedant Anatomici & Elementa in corpore animalis, quærant ea quæ sunt, iuxta hanc definitionem similiaria; An non humores superuacuos quoslibet, spiritus calculos & alia dicent elementa esse? Nam conueniet ipsis Elementi definitio. Adde autem; in quod diuiditur corpus: Iam reijcies tum humores tum alia contenta. Etenim corpus integrum est etiam sine istis. Sed hoc quoq; videamus, quod ais nullum dubium esse, quin vnumquodque in ea diuidatur ex quibus constat. Si rationem spectes, concessero sane, logicum aliquem posse id conceptu assequi: Quid autem si rem? Simul fiunt partes similares & organicæ in corpore animalis, simul corrumpuntur: corpus ipsum etsi ex illis constet, tamen in ea non diuiditur, quemadmodum hic de resolutione mistorum loquitur philosophus: Insuper non potest tibi ignota esse veterum disputatio contra mistionem, quæ est in 1. de generat. & corrupt. 10. Ea enim quæ miscentur, putant corrumpi, formis eorum deperditis. Quod si hoc, quomodo per separationem inde egredi possunt? Sed & si egrediantur, an nescis

quæri

quæri adhuc vtrum ſpecie an numero eadem exeant? Nec deſunt mométa in partem vtramq;. Dubium itaq; hoc videtur eſſe, nec cuiuis de naturalibus tam facilè perſuaſeris. Sed mittamus iſtud. Subſtituuntur poſtea à te in locum iſtius Ariſtotelicæ tam vitioſæ, tres aliæ tibi probatæ: prima eſt ex Galeno: *quantò*, inquis, *melius Elementum definiuiſſet, ſi id minimam partem rei quam conſtituit, dixiſſet?* Quod Galeno placere video; Hęc enim prior eſt re ipſa, quam conſtituit. Non dico generalitate ſua hanc definitionem longè eſſe vitioſiorem, Ariſtotelica ex antiquorum ſententia deprompta, cum tam eſſentiales partes, materiam & formam, quàm quantas, communi nota includat: Vera eſto de miſti primis corporibus ex quibus fit: Ecquid autem adeo diuerſum dicit Ariſtoteles? *Elementum corpus* vocat, *& quidem id in quod diuiduntur cætera corpora, cum inſit potentia, quodq; in ſpecie diuerſa non diuiditur.* Omnia hæc compendioſè videntur incluſa eſſe in vocibus: *Minima pars rei quam conſtituit.* Nam minima ſpecie eſt, non quantitate; quod quid eſt aliud, quàm indiuiſum eſſe indiuerſa ſpecie? Si enim diuerſa iam non minima. Ineſſe potentia, Galenus affert per rei quam conſtituit; Ineſt ergo; idq; aut potētia aut actu. Eſſe id in quod diuiduntur reliqua; periphraſis partis eſt: pars enim eſt, in quam diuiditur totum. Eadem igitur vterq; dicit, niſi quod Galenus generalitate tranſcendit Elementi corporei naturam & non ſatis cautè partem determinat. Iam vitupera Ariſtotelis definitionem, cur laudas Galeni? Si hanc probas cur illam reijcis, quæ tamen magis erat amplectenda? Quin & ſi explicationem Galeni intuearis, án non iſijſdem vtitur verbis quibus philoſophus? Ecquid erat, cur decipere lectores, quàm docere malebas? Galeni verba

Vide 5. Metaph. tex. 4.

verba de Elementis hæc ſunt: στοιχεῖόν ἐστιν ἐλάχιστον μόριον ὅπερ ἂν ᾖ στοιχεῖον ἐλάχιστον δὲ οὐκ αἰσθήσει, ἀλλὰ φύσει: & poſt: οὐ τὸ φαινόμενον ἁπλούστατόν τε καὶ πρῶτον μόριον, ἀλλὰ τὸ πρὸς τὴν φύσιν ὑπάρχον τοιοῦτον στοιχεῖον ὄντως ἐστίν: Item, τὰ πρῶτα καὶ τὰ ἁπλούστατα τῇ φύσει καὶ μηκέτ' εἰς ἄλλα διαλυθῆναι δυνάμενα ζητοῦμεν, &c. Vide & reliqua in quibus vel ipſa Ariſtotelea retinentur. Malè ergo cum Galeno committit Ariſtotelem Scotus, præſertim cum paulo ante teſtatus fuiſſet, Galenum propoſuiſſe ſibi imitari Ariſtotelem maximè. Sed cauſa additur, cur Galeni definitio ſit præferẽda; quia nempè ſit prior re quàm conſtituit. Hic Scotus vere eſt Scotus. Quis enim Oedipus nobis explicabit vtra re priorem definitionem dixerit, miſto ne an Elemento? Miſto videtur. Nam eo prius eſt Elementum: Vnde definitio etiam Elementi. Conſentit his vox, conſtituit: Definitio nõ conſtituit Elementum: ſed hoc conſtituit miſtum corpus tanquam cauſa; nec poteſt eſſe definitio prior definito, niſi ratione quadam vniuerſali. Quomodo ergo loquitur Scotus, Definitionem Galenicam eſſe priorem re conſtituta, vt hoc modo differat ab Ariſtotelica? An non & illa eſt prior miſto? Quid autem de ἀκυρολογίᾳ iſta ſentias; Definitum conſtituit rem definitam? Nempe ad authorem ſuum remittas, dicasq́; verius definitionem ex rei definitę natura conſtitui. Sed datur definitio alia ex mente & verbis Ariſtotelis, cum proteſtatione, quod ſit ex mente Ariſtotelis, diſciplinæq́; huius conſentanea & vera. Accipimus teſtimonium: ſed ede definitionem: *Elementum eſt corpus ſimplex, grauitate aut leuitate præditum, quod in alia corpora diuidi nõ poteſt, & ex quo inſito alia fiunt.* Recita & Encomium huius definitionis. *Hac definitio explicat Elementi naturam, per ea quæ priora ſunt natura; Et ea omnia*

 quæ

quæ Elemento conuenire videntur complectitur, atq; quæstionem, quæ inde oriuntur, explicationem continet, quæ omnia si quid Aristoteli credimus in bona definitione inesse debent. Hæc Scotus. Quærimus primum, sint ne hæc iudicata ad normam veritatis nec ne? Imo iudicata, inquiet aliquis: Nam Scotus pronunciat ea esse vera. Neque ergo falsa neque contingentia; Cum in arte ea sit veritas iudicata, quæ nihil nisi quod necessarium & κατ' αὐτὸ, κατὰ παντὸς, καθολικὸν est, admittit. At cur dubitat si iudicium est necessarium? Cur dicit, si quid Aristoteli credimus? Cur videntur? Itane scit Scotus quod vix opinatur? Sed & si ista sunt vera; cur infra corrigit, augetque definitionem? Cur plures partes negat? O Logicæ mirifice artificem. Nobis quidem vera sunt ea, quæ in definitione ponuntur: Nam in natura Elementorum inesse cernimus; sed quæ neutiquam respondent tum perfectæ tum perspicuæ definitioni: atque insuper etiam malè opponuntur definitioni priori, & à Scoto ipso refutantur deinceps. Elementum esse corpus simplex, notissimum est, & omnibus confessum: At idem dicebat etiam prior definitio: *Elementum est id corporum, in quod cætera, nempe composita,* diuiduntur. Quod ergo attinet genus, nihil hæc habet diuersi. Deinde additur; *graue aut leue*: at inquam hæc non adduntur ex mente Aristotelea? Falsum itaque est testimonium Scoti. Cur autem non? Quia nempe Aristoteles negat graue & leue Elementa constitui; Vnde neque primæ erunt differentiæ. Locus notus est ex 2. de generatio. & corruptio. cap. 2. Notamus hic & illud, quòd graue & leue sint communia mistis adiuncta: Quomodo ergo propriam constituent Elementi formam? Quàm elegantulus ergo Logicus in Ramea Logica enu-

enutritus, vt videri vult? Insuper cur generi tribuitur affectio particularis? Itane fiunt necessariæ definitiones per adiuncta mutabilia? Agnoscit erratum ipse author, vnde inferius dicet *cum augmento aut vtraque qualitate præditum*. Nam Aristoteli inter media Elementa non sunt simpliciter grauia aut leuia. Præterea quis Logicus prudens admiserit definitionem per disiunctiones? Adeone certum quid describitur & immutabile, quòd semper inest affirmatè, pro scientificis regulis, Vt tamen locus sit dubio, vtrum sit? Nam qui dicit, aut graue aut leue pro disiunctionis modo ostendit alterum inesse, alterum non; aut insunt Elemento simpliciter, aut non; si insunt, quid opus est disiuncto? Sed hæc Ramo alicui aut Beurhusio aut TEMPELLO iudicanda committamus. Philosophus noster cum longè melius potuisset Elementum per primas qualitates definiri, id tamen vitauit; quia non vt Elementum insunt ex Elemento; sed vt corpus est simplex generationi obnoxium. Elementum autem definiendum erat ex propria forma quæ est esse causam compositorum corporum materialem in naturalibus.

Neutiquam igitur Scotus nobis perfectam definitionem fabricat. Pergit cumulos aceruare: Et quod in alia corpora diuidi non potest, addit: Mirifica sane cum Tautologia, vel confusione explicationis & explicatæ rei. Expositiones a definitione sunt excludendæ: noster eas immiscet: Quomodo? Quia quod ante dixerat corpus simplex, idem est quod iam dicit, indiuisum in alia corpora, tametsi non sine obscuritate; Vtrum genere, vel specie, vel numero alia intelligat, id quod etiam ex correctione inferius ad-

dita arguitur: ſed eſtne idem ſimplex corpus & indiuiſum in alia corpora? Quid ni ſit? Hoc enim eſt eſſe ſimplici corpori, homogenia partium conſtare; Vnde & à miſto ſeparatur tum per Galenum tum per Ariſtotelem. Toto ergo cælo in dictis aberrat à vera ratione definitionis differentia, excepta vix extrema particula; Ex quo inſito alia fiunt. Nam hæc eſt vera ratio Elementi, & ſola ſufficit ad perfectam definitionem eius. Reliqua omnia præter genus, ſuperuacua ſunt; adeo vt ſeipſum eadem nota damnet Scotus, qua paulò ante immeritum Ariſtotelem. Et pepercit veritati, vt noſtri ciuiliter loquuntur, tripliciter; primò, quia dixit hanc definitionem eſſe meliorem priore: ſecundò quòd eam aſſcripſit Ariſtoteli cum vix extrema pars ſit eius; Tertiò, quod dixit hæc eſſe vera, cum in ſequentibus diſputationibus neget miſtum componi ex Elementis, & ea ratione Elementa eſſe grauia & leuia, quam aſſignat philoſophus; Quid ſi etiam quartum parturiret mendacium? Nam vult procul dubiò, differentias has eſſe priores naturâ, vt ſequentia teſtantur verba & antecedentia cauilla, quaſi præcedens definitio Ariſtotelis non ſit prior; Cum illius longe prior ſit ratio, vt patuit. Accedit quintum quod mentitus eſt graue & leue eſſe prius, cum neceſſe ſit prius eſſe Elementum, quàm eius affectionem. Sextum ψεῦδος, quod omnia complectatur, quæ Elemento videntur conuenire, eò quod omnis quæſtio per ea explicetur. Nam quomodo duas has quæſtiones de grauitate & leuitate, & de concurſu Elementorum ad miſtum, quas infra mouet Scotus, explicabuntur per datam definitionem, vt alia innumera omittam? Si poſſunt per eam explicari, qua fronte repugnat ineſſe, cum inſint?

ſint? Si non poſſunt, cur mentitur hæc vera & Ariſtotelea eſſe? Quam pulchrè autem explicat omnia, quæ ineſſe videntur. Age moueatur quæſtio de caliditate & alijs quæ videntur iuiſſe; quid de his hæc definitio? Quæram, An non ſicut principium putabat Scotus idem eſſe quod Elementum, multò iſtius corpus ſimplex ſit idem cum eodem, vt ita plenis velis incurrerit errorem ſupra Ariſtoteli attributum, nouus hic definitor; Ecquid mihi poterit certi data definitio oſtendere. Sed præter ſextuplex mēdacium, licet etiam Scommate Scotiſtico vti, quaſi verò alicui dubium hoc eſſet Elementum eſſe id, quod in alia corpora non poteſt diuidi, aut Elementum eſſe ſimplex. Nolumus vti Beurhuſiano rigore, quo eiuſmodi definitiones ita poteſt affligere, vt febre tertiana laborante longè vehementius ſuccutiantur. At Scoto iſto ſunt meliora, vera, Ariſtotelea. Nolumus etiam hoc mouere, (Nam oleret valdè) quod perperam Ariſtotelica ad definitionem requiſita citat, & intelligit. Alioquin integrum tractatum potius, quàm definitionem nobis per conditiones iſtas repræſentaret. Intellexit philoſophus per conuenientia Elemento rationem propriam & formalem, vt ſint ea, quæ explicant Elementi eſſe, qua eſt Elementum: id quod leuitas, grauitas, & alia ſimilia neutiquam præſtant. An ſatis oſtenſum eſt, quàm leuis & vana ſit emendatio Scoti; An adhuc ſuperſunt quædam? Imo ſuperſunt multa: nobis dum hoc agimus, adhuc tria incidunt. Primum eſt quod Scotus aſſerebat Ariſtotelem dediſſe definitionem primam ex mente aliorum: quas vero aliæ, quas ipſe ſibi conſentienti cum vetuſtate aſſcriptas vult, diuerſum quid haberent; id

quod ex vestibulo huius patescit. Hoc ergo mendacio illud sextuplex augescit. Sundum, quod dum in proprio sunt loco Elementa, etiam illa quæ maximè sunt materiæ, non possent vocari Elementa, si ex grauitate & leuitate forent æstimanda. Dico autem secundum sensum Aristoteleum, cui conformem vult dare definitionem disputator. Negat autem alicubi philosophus Elementa in proprijs locis esse grauia aut leuia: Et nos infra ostendemus hæc vocabula motum designare. Sed hæc videntur valdè ambiguè dicta, tum propter Elementi variam significationem, tum ob rationem propriam, de qua nos ante. Nos indicare ista voluimus prolixiorem disputationem differentes. Tertium est quod nobis insuper in mentem venit, Scotum non carere turpissimæ contradictionis suspicione, imo fere iudicata culpa. Galenus dixerat; Elementum esse minimam rei, quam constituit, partem: Hãc differẽtiam ait Scotus esse naturâ definiti (modo hæc sit sententia eius) priorem: Conuenit autem cum ea id, quod in sua definitione habet, non diuidi in alia corpora, constituere mistum sua ἐνυπάρξει: Hæc eadem ante etiam Aristoteles in prima descriptione annotarat, quòd Elementum sit id in quod cætera diuidantur, quod indiuisum sit in alia specie diuersa, &c. Cur igitur hæc ibi dicebantur posteriora definiti natura, hic autem priora? Sed manum de tabula. Ecquid porrò sequitur? Examen particulæ cuiusdam in definitione prima. At inquam hoc est ἀμεθοδικώτατον reuocare ad limam id quod iam correxeris ad plenum? prima definitio sat erat exagitata; & duabus oppositis correcta: An pœnituit consilij? Nescio quid acciderit ipsi, vt ordinem interruperit; fortassis obli-

1 cæli 22. textu ieem 25. & 30.

Cõtradictio Scoti.

Pag. 26. Versu 18.

Pag. 20. Versu 28. & 29. &c.

obliuionis hoc est remedium: aut παρασκευὴ ad correctionem nouæ quoque definitionis. Sed viderit autor ipse. Quid affert autem? aut σχῆμα aut ignauam ταυτολογίαν in vestibulo. Sic enim inquit: *sed vtrum postrema pars superioris definitionis potius prætermittenda quàm omittenda sit, progressus orationis indicabit. Nunc verò extremam definitionis partem, quæ ab Aristotele posita est, examinemus.* Hæc Scotus. Videtur diuersa extrema indicare velle. Nam id ostendit segregatiua particula VERO. At contextus indicat de eodem verba fieri. Quid ergo opus erat tam puerili transitione & tautologia? Non obliuiscendum est in antecedentibus hæc verba: *In quod cætera diuiduntur*: tanquam superuacua esse explosa: Hic in dubium vocatur sint ne addenda extrema: quod in diuersa specie diuidi non potest: de quo cur dubitet non video: Nam in correcta definitione eadem verba habentur; de qua pronunciat, quod sit vera & Aristotelea. Fortassis declarationem tantum promittit; sed non sine reprehenso, quem tantopere dentibus rabidis petit, Aristoteles. Dixerat hic Elementa esse ἀδιαίρετα εἰς διαφέροντα εἴδει; nempe σώματα intelligens; secundum genus commune. Scotus contrarium asserit dicens; *Elementa diuidi posse in specie diuersa*: Quonam argumento? *Vnumquodque*, inquit, *in ea diuiditur, ex quibus constare dicitur: At quoduis Elementum ex materia prima & duplici qualitate constare dicitur, quæ specie inter se differunt, &c.* Quæ nos ita complectimur.

Quodcunque constat ex diuersis specie, id in ea rursus diuiditur: Elementa constant ex diuersis specie: Ergo Elementa in ea ipsa rursus diuiduntur: Et ex consequenti fallit Aristoteles dum hoc negat.

Aſſumptum roboratur multis.Etenim Ariſtoteli Elementa dicuntur conſtare ex materia prima & duplici qualitate, quæ ſpecie inter ſe diſtant.

Probatur vlterius per correctionem; imo & genere diſtincta eſt materia à qualitate. Etenim materia ſubſtantia eſt, qualitas omnis eſt affectio quędam materiæ, quæ vt in ea oritur ita quoque in eadem interit. Quin & qualitates ipſæ, quæ pro forma habentur, inter ſe ſpecie diſtinguuntur; quod probat: quia earum ſunt contrariæ naturæ & definitiones, vt ex ſecundo de generatio. & corrupt. manifeſtum eſt. Hactenus firmamenta aſſumpti. Sed quod propoſitionem nihil munimenti deſiderare credidit Scotus, atque ita eam non roborauit, nos ferat ſi diſſentiamus. Etenim nō tam ſimpliciter eam concedimus, vt eam enunciauit, ſed ſophiſtica eſſe refertam dicimus. Aut enim actu aut potentia facienda diuiſio, ſeu ratione, ſeu naturæ veritate intelligitur. Multa diuidit ratio, quæ natura ita dirimi non patitur, ſicut corpus animalis, quod componitur ex ſimilaribus ſpecie diuerſis, at re ipſa in eadem non diſſecatur. Corrumpitur autem naturaliter in prima. Sic & ars quædam ſeparare non poteſt; vt confuſos liquores, medicamenta ex pulueribus miſta & ſimilia. Infra damnabit Scotus hoc axioma iudicio proprio. *Etenim quædam dum miſcentur, in auras exhalare* ait *& aboleſcere: quo pacto & veteres dicebant, In compoſitis Elementorum formas non manere*: quæ ſi vera ſunt, profecto inde redire nequeunt. De ſeparatione verò, quæ cogitatur aut potentia inſtituitur, philoſophus neque in hac definitione, neque in 1. de ortu loquitur. Vult enim, ſicut ſeparatim in actu extiterunt Elementa ante miſtionem, ita eadem etiam redire

Contradictio Scoti.

poſt

post resolutionem,idq; teste Visu. Si itaque tantum propositionis necessitas cederet,nonnè complexio vana & mutilis foret;Sed & assumptum omnino falsum est,nec tot munimenta fulcire in præceps ruēs possunt. Quid ita verò? Quia,inquam,falsum omnino est Elementa ex diuersis specie constare: At constant ex materia & qualitatibus? Constant,sed neq; hæ species sunt,neq; diuersæ specie. Loquitur philosophus de separatis actuque existentibus ante compositionem. Materia & qualitates, neutiquam actu sunt antequam est Elementum. Deinde species est effectum quid & perfectum ex causis Essentialibus nempe materia & forma; qualitatum nulla est, neque materia neq; forma; cum mera ipsorum ratio sit adiungi Essentiæ iam perfectæ secundum quale: Vnde constat qualitates species non esse: Quis autem tam stolidus est,qui ausit materiam vocare speciem?Ramo species est generis effectū, sua forma materiaque instructum. Quid ergo,an materia,vt materia,habet formam? Num materiæ est materia? At dicis *materia est causa species; qualitas,species argumenti,vt & forma ad causas reuocatur?* Ehem physice mirifice,non de illis hîc disserimus sed de naturalibus speciebus, & illis quæ natura specie disgregauit. Quin & si vellemus Logica causarum argumēta intelligere, nondum conuenit inter Rameos, an materia, forma, qualitates sint specie differentes. Debent eæ esse contrariæ. At Ramus Scotusq; non admittunt aliquid ex contrarijs fieri. Debebant esse eiusdem generis proximi;sed neque hoc ipsis certum est. Quidam enim efficientem & materiam cōnectunt vniq; innominato causarum generi subijciunt: sicut alteri formam & finem;materiam & formam; atque ita etiam hodie sub Iudice lis est, Ra-

Ramus ne cum Beurhusio & Tempello, an piscator cum suis verius statuāt. Sed hoc nihil moramur; illud vnicè vrgemus, neq; materiam neq; formā species esse, nisi quis velit modificate loqui. Sed audite Logicū admodū Elegantē. *Materiā* dicit *tum specie tū genere à qualitatib. distinctā esse*. Quid ita verò? Quia materia substātia est, modo pro parte substātiæ sit habēda, qualitas omnis est affectio materiæ &c. At inquā hæc tantū genere differrēt, nō Specie. Oportet enim Specie diuersa in vno genere proximo esse, & inter se contraria, seu vt ex Cicerone Ramus loquitut, aduersa; quod fieri non potest dicto modo. Interim monemus nō obliuioni dandū esse id, quod superius de nominum permutatione disputauimus vbi pro forma sępe appellatas qualitates seu differētias diximus. Deinde admodum trepidà materiam substantiæ nomine indigitat Scotus, quasi verò oblitus sit fundamenti superius adducti; substantiarū partes esse substātias; neq; ego puto vllū vnquā Logicū de hoc dubitasse. Oportet ergo ei fuisse grauē dubitādi causam, fortassis eā, quæ est superius de materia Arist. agitata, de qua nos ibi satisfecimus. Insuper in hoc ipso prosyllogismo, valde superciliosè dicit, quòd *Qualitas omnis sit affectio quadam materiæ, quæ vt in ea oritur, ita & intereat*. At inquā, physice inconsiderate, qualitates non sunt omnes materiæ affectiones, sed omnes totius compositi, etiamsi quędam ob cognationem asscribantur materiæ magis, quædam magis formæ; & de primis quidem, quod proximè sint formæ, nulli physico dubium est. De secundis manifestum est, quod materiam sensibilem informatam consequantur vel ex primis deductæ, vel alio modo vt extrinsecus acquisitæ. Tertias, quas statuunt, toti substantiæ tribuunt, sed

non

non vltra temperationem, quæ tam cælitus regitur iuuaturque, quàm perficitur per qualitates primas agentes & patientes. Omnes autem sunt in perfecta re & integra; id quod ne Logici quidem negare possunt, qui aiunt, adiuncta rei, iam suæ Essentia perfectæ, induci, vt pulchrè consentiat cum physico Dialecticus, sicut in plurimis ea perspicuitate, vt fieri non possit, si Logicen benè didicisset Scotus, quin & aliter sensisset & bonus foret physicus. Debemus autem in his plurimum Petro Ramo, Beurhusio, TEMPELLO & alijs qui hac in parte sua laude nón sunt priuandi. Sed cur adiungis materiæ omnes qualitates? An non Aristoteli primum subiectum est perpetuum? Iam subiecto æterno quî fieri potest vt qualitates oriantur & occidant? At intellexisti materiam secundam? Esto hoc; sed quomodo alteratio possit fieri, non corrupto subiecto, si eius propriæ sint qualitates? Quod si nec primæ, nec sacundæ materiæ sint; Cuius ergo? Vide quàm ennucleatè disputes. Qualitates etiam ipsas, quæ in quolibet Elemēto pro forma habentur, dicis inter se specie differre: primum remittō ad superiora, in quibus quo pacto habeantur pro forma in quibus quo pacto habeántur pro forma cognosces; postea magnam à me iniſſes gratiam, si explicaſſes, quidnam esse putes specie differre. Concessero fortaſsis disparata esse frigus & siccitatem; item frigus & humorem, calorem & siccitatem, calorem & humiditatem: Consentiunt enim magis quàm diſſentiunt, alterumque tam arctè comitatur vt etiam effectum esse videatur diuersum vnius & eiusdem rei; vnde non necesse est rem geminare, si effectus est geminus vt nec

nec culter si pungat & secet simul eodem actu in duos diuiditur cultros. At quomodo specie differentes dicam? In eodem genere sunt talia, & inter se aduersa: siccitas ergo & humiditas, calor & frigus, talia esto; sed non sunt Elementorum formæ neq; eiusdem simplicis per se qualitates? Natura ista cõiunxit, hæc separauit meum non est aliter statuere. Sed probas per definitionẽ & naturam: Rectè quidem, sed non nisi de ijs quæ veræ sunt contrariæ & species aduersæ: de reliquis quid affers? Nam etsi cõcessero tibi, id quod iam etiam plena manu largior, frigus & calorem specie inter se aduersa dissentire; quid hoc ad ostendendum, quod Elementa diuidatur in diuersa specie, si singula spectes non genus? Ne tamen nos irretias, añotamus, nos de qualitatibus vt tales neutiquam physicè sic locutos velle; sed vt certæ rei specie ab altera discretæ, adiuncta sunt contraria aduersa: Valde enim hæc implicantur; alterumque per alterum dicitur contrarium & specie aduersum, de quo Logici. Apparet ex his quàm frustra laborauerit disputaror in confirmando assumto, cum tot modis falsa sit ipsa probatio; vnde totus Syllogismus veluti ceraunio ictu percussus cõcutitur & euanescit. Siue ergo intelligas corpora siuè aliquid aliud, Elementa, vt talia, non possunt diuidi in diuersa specie; Et hoc ipsum cõprobat Scotus, gemina definitione, vt credit; correcta. Vtrobique enim eandem differẽtiam, sed cum adiectione corporis, quæ etiam erat mens Aristotelis, si candidè voluisset agere Scotus, facile exprimendo, obseruat. Verum ecce aduersarium genuit sibi aduersarius Aristotelicæ disciplinæ. Nam aliquis poterat eius aurem vellicasse & admonuisse Candoris philosopho digni; nenpe videtet iniuriam faceret Aristoteli:

stoteli: qui videretur non negare Elementa diuidi in materiam & formam sed in corpora specie diuersa dissecari, id constanter repudiare. Alioquin enim non futura erant prima corporea, nec simplicia: Nec actu essent ante compositionem, nec actu inde per resolutionem emergerent. Quid hîc Scotus? Sensit sibi motos esse crabrones, stimulatumq;. Leonem. *Non placet mihi eorum commentum*, inquit, *vel potius deliramentum, qui dicunt Elementum quidem omne in hac materiam nempe & qualitatem siue formam diuidi non tamen diuidi in corpora specie distincta. Quid hîc moror? Neq; enim ex corporibus compositum esse dicitur. Nihil igitur mirum si in corpora specie distincta non diuidatur. Sed cũ quodq; Elementum ex materia & forma constituatur; satis erit vt in hac diuidatur, quæ inter se specie differunt.* Adhuc Iacobus Martinus. Quàm irritatur? Ehem bone vir, parce iræ; memineris te philosophum esse velle. Ec quæ est causa, cur obiectum istud voces commentũ aut deliramentum? An quia falsum & sophisticum, idq; adeo, vt homine sano sit indignum? Neutiquam veræ; quia verissimum est Elementa in diuersa specie corpora non diuidi, sicut propria assertione iam ter confirmas ipse: qua ratione te ipsum vocasses ineptum & delirum, quod quantum te amas, non fecisses. Sed Cur quæso? Nullam profecto aliam ob causam, quàm quia id non mirum est. Paradoxa ergo requirit? Sic videtur, Sed pro decreto Logicorũ in vtopia natorum. O miserum hominem, & sua ipsius decreta in duabus definitionibus repetita deliramentum, vocantem. Cui enim magis licet istud interpretamentum addere. Tibine aut alteri cuipiã peripatetico? Idemque si tu dicas, sapientia est, si alius, deliramentum? Enimuero dicendum erat, Aristotelem i.3. de cælo loquentem de corporum Ele-

mentis,

mentis, corpora intelligere nõ materiam & formã. quid quod nos te eodem modo possemus delirum & insanum appellare, qui de materia blateras, cum aliud à philosopho spectetur? An non hoc est putridum istum Elenchum, quem vocant τὸ ἐναρχῇ αἰτεῖν committere? Quid si neque formam neque corpus intelligi dicamus; an nos furere diceres? Non opinor. Etenim eodem modo in genere erat definiendum Elementum sicut fecit philosophus in 4. Metaph. 3. vbi inquit: στοιχεῖον λέγεται, ἐξ οὗ σύγκειται πρώτου ἐνυπάρχοντος ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει, εἰς ἕτερον εἶδος: οἷον φωνῆς στοιχεῖα, ἐξ ὧν σύγκειται ἡ φωνὴ καὶ ἃ διαιρεῖται ἔσχατα: ἐκεῖνα δὲ μηκέτ᾽ εἰς ἄλλος φωνὰς ἑτέρας τῷ εἴδει αὐτῶν, ἀλλὰ κἂν διαιρῆται, τὰ μόρια ὁμοειδῆ, οἷον ὕδατος τὸ μόριον ὕδωρ, ἀλλ᾽ οὐ τῆς συλλαβῆς. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰ τῶν σωμάτων στοιχεῖα λέγουσιν οἱ λέγοντες εἰς ἃ διαιρεῖται τὰ σώματα ἔσχατα, ἐκεῖνα δὲ μηκέτ᾽ εἰς ἄλλα εἴδει διαφέροντα σώματα &c. En Scote; Aristotelem in genere neque corpora neque materiam & formam nominantem: at in specie corpora in quæ Elementa non possint diuidi. Num ergo delirat tibi Aristoteles ipse, quem supra obseruandissimum præceptorem vocabas? Sed maceret te ista tam ridicula indignatio, conficiatque?. Alius adest aduersarius, qui vt nos supra fecimus, negat specie differre materiam & formam; Vnde consecuturum erat, Scotum in scirpo nodum quæsiuisse, frustraque hîc accusasse Aristotelem pro quo tamen non hoc tantum, sed plurima alia etiam dici poterant. Quomodo verò soluit obiectum disputator? Tãquam stupefactus rei nouitate exclamat:

In definitione Elementi.

cap. 3.

Quid audio? Actus & potentia non differunt? at materia potentia est, forma actus; & Specie igitur materia & forma differat necesse est. Adhuc Scotus: cuius syllogismus informa connexi primi talis est: *Si materia est poten-*

tia

tia & forma actus; necesse est vt materia à forma differat specie. Sed est antecedens: Ergo & consequens.

Probatur connexio, *quia actus & potentia differunt specie.*

Dicimus primum, nos non posse firmiter assentiri connexioni; quia in eius probatione ponitur id quod in principio est, seu de quo par est dubitandi ratio. Etenim specie differentia sunt omnino formis aduersa: Quis autem vnquam priuationem & potentiam formam esse asseruit? Insuper qui fieri potest, vt specie differentia non sint reipsa dissentanea? Actus verò & potentia sæpè tantū distant ratione vt in potentia secūda. Ex his & alijs multis, quæ pterimus consulto, neutiquam actus & potētia differunt specie; sed tantum opponuntur sibi ceu priuatio & habitus; Vnde apparet Logicæ imperitissimum adhuc esse Scotum & miserabilibus paralogismus infantiam suam prodere, non animaduertente Tempello morbum. Assumtum futile & vanum imo inerti sophismate ridiculum esse affirmamus. Forma actus est non simpliciter, sed quidam, distatque ab eo sicut à genere species, Materia potentia ipsa neutiquam est, sed per se & in se considerata potentiâ habere existentiam dicitur, quia per formam est, Et omnino, non Ens ex accidēte. Et si potentia opponitur actui, sicut priuatio habitui (dico sicut, ne putes me cōfundere priuationē & potētiā, actum & habitum) materiæ forma opponeretur priuatiuè; quid hîc dicent illi q coire cū priuatione habitū cōstāter negāt? At ex materia & forma vnita fit Essentia; ex potētia & actu neutiquā? Age esto materia potentia, actus autē forma, differātq; specie hæc ipsa; Cū igitur philosophus dicit semen esse materiā animalis, & idē potētiā: semē & actus animalis differ-

rent

Vide Ramū in scholis logicis lib. 3. c. 6. specie differre dicūtur quæ forma Essentiæ differunt, non quæ accidentib. Itē species forma ratio nō sunt idem. Vnde quæ in toto materia complexu sunt specie non differunt &c. Et hoc si species significaret formam, nō partem generis vt logicè accipitur &c.

In 1. phys. potentia materia est quædā priuatio. V. de 9. Met. c. 3.

In 1. phys. 1. de partib. animal. 1.

rent ſpecie, cum quando alterum eſt, alterum omnino non ſit? O plumbeũ Scoti ſophiſma & quouis puero indignum. Dicitur materia non δύναμις ſed δυνάμει ὄσα; forma verò quia ipſa eſt quidam actus, ἐνέργεια ὐσιώδης; ita vt diſparatio ſit vtriuſque at non ſpecie differens. Inſuper potentia impotentię potius aduerſatur quàm actui. Nam ex impotẽtia ſeu mera priuatione ad habitum nulla eſt via naturaliter; at ex potẽtia ad actum eſt, adeo vt vix potentiâ eſſe dicatur, cuius actus non poteſt aliquando vel ſpecie vel indiuiduo eſſe. Apparet ergo ſpecie non differre actum & potentiam. Adde & iſtud quod potentia ſit qualitas quædam efficientis aut patientis; Actus ergo alicuius erit? Vnde ſicut ſubſtantia & adiunctum eiuſdem non differunt ſpecie; ſunt enim conſentanea naturaliter, licet diuerſa affectione poſſint eſſe diſparata: ita nec actus & potẽtia; ſed ſi maximè diſſentanea ſunt, diſparata tantũ erunt aut diuerſa. Nec materia poteſt ſimpliciter potentia eſſe, etiamſi rectè enuncietur. Nam mobilis eſt, & ſubiectum, cui competit paſſio; Eſt autem quædam potentia etiam agentis. Inſuper cum materia formam acquiſiuit, ceſſat quidem potentia eius, at materia ſeu ſubiectum tunc primum eſſe incipit. Res manet qualitate amiſſa: Quomodo ergo materia erit δύναμις? Quin & alibi Scotus irridet potentiam materiæ. Sed plura in re manifeſta omitto. Optandum erat, Scotum aut conſideratius ſcripſiſſe, aut his omiſſis, vtilioribus tempus impẽdiſſe, ne iſta inaudita ipſi, at omnibus alijs tritiſſima audire ex nobis cum eruditionis ſuæ æſtimatione laborãte cogeretur. Sequitur tertiũ quod obijci poterat? plura enim euertunt falſam iſtam Theſin, alioquin veritati vel nihil vel pauca videntur ſaltem aduerſari.

5. Met. te. 17
8. Met. c. 2. impotentia vocatur priuatio. Et alibi formæ opponitur eadem.
9. phyſ. c. 2.

ſari. Ecquid iſtud eſt, quod opponi ſophiſmati poterat? Nempe quod nos ſupra quoque attigimus ex philoſopho aſſerente, quod quæcunque ſunt partes miſti, eæ prius ſeparatæ vel ſeparatim & actu exiſtentes conuenerint; vnde poſtea actu quoque ſeparantur. Cum ergo in hac definitione loquatur de Elementis, quæ ſunt miſtorum partes, de ſeparatim actu ante miſtionem exiſtentibus, & neque materia neq; forma, diuiſio erit accipienda. Quid aduerſus hæc Scotus? Concedit quidem de actu exiſtentibus ſeparatim loqui philoſophum; at negat excludi materiam & formã; quia hæc quoq; principia nõ intereant ſed maneãt. Materiam & formam æternã eſſe probat; primum teſtimonio Ariſtotelis; poſtea adiunctis principiorum eorundem. Nam *ſemper manere neceſſe eſt primam materiam : Cum per ſe nec oriatur nec occidat: ſimiliter et de forma res habet. Si. n. eſt principiũ; nõ gignetur, aut ſi gignitur nõ principiũ ſeu cauſa, ſed effectũ erit: modo ea ſunt principia prima, quæ neque viciſſim gignuntur, neque ab alijs, ſed omnia ſunt ex ipſis.* Adhuc probatio Scoti: Sed quem perquàm Eleganter Philoſophari deprehendas: Tale enim profert argumentũ quod etiamſi conceſſum fuerit totum; tamen Theſin propoſitam; cui arguendæ adhibebatur, non offendit. Quid ita vero? Aiebant iſti intelligenda eſſe ea, quę poſt reſolutionem actu non exiſterent: materiã verò & formam non actu exiſtere: itaq; has nõ intelligẽdas. Negat aſſumtũ Scotus; quia & materia & forma exiſtant, cum ſint æterna, cum ſint principia: At inquam phyſice mirificè probandũ erat, ꝙ poſt reſolutionem exiſterent actu. Non. n. dubium eſt, quin ſpecies in ſuccedentibus ſibi mutuo indiuiduis ſint æternæ; ſed tunc non ſeparantur partes Eſſentiales ſpecierum. Verum ſemper exiſtunt vni-

7. Metaph. 8.

tæ, adeo vt Aristoteles etiam aliquoties dicat à materia esse inseparabiles cõtrarietates & formã? Esto ergo æterna ista principia, si non secundã materiã & speciem intuearis: Quid tum postea? Si non separatim singulæ existunt, non poterunt in definitione intelligi. Me profectò, si quid ingenui pudoris haberem, & pigeret & tæderet, nœnijs hisce fabulosis lucẽ inficere & aures oculosq; eruditorũ nugacissimis ineptijs occupatos tenere. Sed annotemus etiã alia paradoxa his ineptijs interfusa. De generabiliũ principijs proculdubio sermo est Aristoteli: non itaq; potest de speciebus, quæ perpetuæ sunt, loqui. Est enim generatio non secundum speciem sed secundum singularia. Quã apte itaq; de allijs nugatur Scotus, cum aduersarijs negotium esset de cepis: seu hi de singularibus, ille de vniuersalibus agerent.

Vnde apparet simul nouus aries; quo figmentũ istud & deliramẽtum de forma & materia specie diuersis penitus concussum collabitur. Cũ enim hæc principia sint æterna & inseparabilia in vnâ & eâdẽ specie; generatio autem non fiat secundum species sed singularia, quatenus alterum alteri materiam suppeditat: qui fieri potest, vt in specie diuersa dirimantur, quæ ex diuersis specie non sunt orta? In mistione etiam nõ fit generatio secundum species, sed secundum diuersarum specierum materias singulares, eæque tales, vt potentia insint res ipsæ, quæ postea separantur actu; qualis conditio in simplicium Essentialibus partibus non est. Sed de his alibi accuratius fortassis. Opponi poterat quod generatio fiat vnitâ formâ cum materia; ex separatis igitur: vniri enim non possunt iam, quæ nunquam fuerunt seorsim. Concedimus id singularium respectu: Forma enim singularis, cũ nondũ esset, separata sanè à mate-

materia fuit. At actu separatim ab omni forma materia existit neutiquam; quemadmodum, nec forma singularis ante vnionem in ratione rerum extitit. Scotus formam primam negat gigni; nempe eã, quæ est primę philosophiæ, hoc est vniuersalem causam, quæ est οὐσία per se & perpetua. At videtur eam intelligere ad modum primæ materiæ; id quod valde ridiculum est, statuere eo modo, quo materia prima vocatur philosopho, etiam formam primã esse, cum ne possit quidẽ aliqua communis forma in rerum ratione esse; quia secundum formam omnes res per se differunt: at materia differre non est necesse, cum cõueniant subiecto cõmuni. Sic ex eodẽ ære fingi potest canis & Mercurius & aliquid aliud, quæ conueniunt cõmuni subiecto, licet sua forma quęlibet pars eius subiecti disterminetur ab alia. Cõfundantur rursus; & communis materia redibit, formæ omnes pereunt, nec in vnam aliquam communẽ congregantur. Sed si formam non vniuersalem, verum singularem, quæ est generabilis & corruptibilis, accipiamus, num ea non erit principium, sed effectum quia gignatur & corrumpatur? Si Scotus Logicẽ bene didicisset, sciret diuersas vnius & eiusdem argumenti posse esse affectiones. Eadẽ res forma dicitur & causa Essentialis, quia constituit Essentiam; dicitur & effectum, quia efficientis est opus: & in naturalibus forma (teste philosopho) finisque agentis pro eodẽ habentur. Natura quæ actu existit, generando producit formã: eius igitur respectu effectũ est: forma producta Esse largitur mobili subiecto; huius ratione est causa; Et sic in alijs. Nec omne principiũ est æternum sed tantũ primũ & absolutũ, siue in quolibet genere, siue omnino primũ Ens accipias. Species.n. perpetuę sũt natural. Singu-

larium principia intereunt; quia materiata ſenſibilia, niſi qua diuiniore potentia conſeruentur incorrupta. Sic philoſophus negat ea principia, quorum actio corporea eſt, ſine corpore exiſtere: corpore ergo intereunte, ipſa ſalua non erunt. Sic in multis locis forma interire dicitur. Sed de his hactenus: patuit itaq; philoſophi poſtremam definitionis particulam inconcuſſam manere.

3. de gen. animal. c. 3.
1. phyſ tex. 59. 60. 61.

In concluſione huius Loci negat Scotus, partes ſeparatas actu ſubſiſtere: quod miramur ita ſimpliciter ab eo eſſe enunciatum; ſic ait: *Vtrum ea in quæ fit diuiſio actu ſubſiſtant nec ne, non eſt huius instituti, præſertim cum ne partes quidem corporeæ alicuius Elementi in minimas partes diuiſi, amplius actu ſubſiſtere poſſint, aut ſenſu percipi, ſed tenues potius euaneſcant in auras; quemadmodum ſi exiguus ſuccus in mare effuſus ſit. Quod etiam Ariſtoteli placet.*

Hæc Scotus; Cuius ambitio profecto miſeranda & deploranda eſt. primum enim nulla eſt connexio antecedentium & conſequentium: *non eſt huius instituti, dicere: Vtrum ſint actu, nec ne partes diuiſæ*: Cur verò *præſertim &c.* Quæ hîc rationis vis? Deinde cur id nō ſit huius inſtituti, de quo maxima erat quæſtio? Et philoſopho de talibus, quæ ante & poſt miſtionem actu ſunt, ſermo eſt? Quorſum enim iſta, quæ de miſtione 1. ortus. 10. Et hîc paulo poſt definitionem de Eductione ſcribit?


Quis autem adeo imperitus & demens eſt in rebus naturalibus, vt auſit dicere etiam in minimas ſenſu partes diuiſa corpora actu eſſe deſinere? An in nihilū abire poteſt id, quod ex aliquo conſtat? profecto Democritus eo vſque non inſaniuit. Qui autem actus rerum ad ſenſum reuocare vult; is facilè neget, tineas & caſeorum illum minutiſſimum fœtum

tum nullas habere partes organicas. Quid de misti partibus omnibus homogeneis etiam ad rationem dicam? Cur autem negantur hîc actu existere materia & forma, cum paulo ante ideo manere diceres quia æternæ essent? An non hæc putidissima est contradictio? Súccus paruus in mare effusus actu non manet; Transit enim in naturam Vnicentis: At inquam, longe dissimilis est ratio diuisorum corporum. Diuide istam aquam seu succum, etiam in minutissima, num ideo desinent actu esse partes? an putas in auras abire corpora diuisa, sicut succus in mare? At istud negas infra: An hoc quoque placet Aristoteli? Sed quomodo hæc quoque consentiunt (*Non subsistunt, aut sensu percipiuntur*) quæ etsi de diuersis dicta sint, tamen non vera sunt, ac ipsum actu nō existere. Vltimum locum obtinet definitio tertia, per quam tautologicum ornamentum voluit capiti huic adijcere: Habet autem ea præter supra dicta additamenta quædam; quale est quod præter grauitatem & leuitatem adijcit; aut vtraque præditum; item explicationem diuisionis: quamuis in ea diuidi possit, quæ specie siue natura inter se differunt: quorum hoc falsum esse docuimus; atque insuper iam tautologia ornatur, cum alia & specie distincta vnum & idem significent: illud arguit priorum duarum definitionum defectum; Sed & vtrumq' præter alia supra reiecta explodendum est. Valeat ergo commentum Scoti, & ex Aristotelis sententia rectius definiamus Elementum: quod sit corpus constitutiuū misti, in specie diuersa in diuisum, quodq; cum in sit potentia, inde egreditur actu per resolutionem. Talia enim sunt omnia, quæ Elementa corruptibilia vocantur vulgo.

Disputatis contra maltis in locis, nempe 1. de gen. & cor. textu 86. o2 & seq. item 6. phys. c. 1. et sequentib. 1. de gen. & cor. tex. 16. & 19. Item 1. phys.

QVAESTIO IIII.

Qua disceptatur Cap. V. Iacobi Martini, Contra Aristotelem scribendis, quærentisq; an ex Elemēti definitione, quam posuit Aristoteles, hæc quæ vulgo dicuntur Elementa, pro Elementis habenda esse, rectè sit demonstratum.



Ntuenti mihi scopum authoris, quem in toto hoc libro sibi proposuit, mirum occurrit, quod cum in Ramea Schola videri voluerit enutritus esse, tam non obseruauerit leges veritatis & iustitiæ, adeo commendatas istis Logicis, vt ferè nihil videantur dicere aut scribere quod nō κατὰ παντὸς sit & καθ' αὑτὸ, neque quicquam sophismatum istorum deterrimorum ἑτερογενείας καὶ ἀπὸ μέρους ἢ συμβεβηκότες sapiat. Meditatur Scotus firmam demonstrationem, quod generatio simplex omnino non sit, cum neque simplex neq; mistum corpus per eam oriri possit: de simplici dictum est Cap. 3. dicetur & infra Cap. 8. alijsque de concretis sequetur cap. 11. Quid interim ad eā quæstionem facit disputatio de definitione Elementorum demonstratio neq; quænam sint, quod numero, quomodo grauia, leuia &c? An Crypsis Methodi est per digressiones? At inquam, digressio nouos & integros omnino tractatus non habet; & eo modo omnis ἑτερογένεια poterat excusari, adeo vt temerè in Aristotelem eo nomine passim sit debachatus Ramus. Quomodo autem κατὰ παντὸς disputat, cum nihil tam quæstionem institutam euertat, quàm assertio de Elementorum definitione, confessio de quorundam transmutatione de qua infra, & alia multa? Si Elementum fit ex Elemento, si Elementū est mi-

Violatio legum scientificarū cōtra Tempellū de Scoto iudicium.

est minima pars misti &c. Cur tam studiosè contra philosophum omnia conquiruntur, quibus id impugnetur, arma? Apparet nempe quo animo legãt Aristotelem, seq; in eum arment; vt videlicet malè dictum sit quicquid ipse vel verissimum protulit, bene contra quicquid Ramei portentosissimorum monstrorum absurditatumq; & sophismatum putidissimorum temerarijs ex faucibus irrito cum conatu eructauerint turpissimè: quo facto, cadente Aristotelea existimatione, Videbunt suam gloriam celeberrimam fore. Vtinam eo animo ad vindicandam veritatem & aliquid inueniendum accederẽt, quo ad inuenta damnanda submergendaq; omnes intendunt neruos; breui futurum esset, vt redargueretur illud vetus: Ea quæ scimus, minima pars sunt eorum quæ ignoramus; ridremusq; infantiã Solonis, Platonis, Theophrasti & plurium aliorum, qui magnitudine & difficultate discendorum victos se conquesti sunt. Sed ad præsentẽ Thesin: Negat Scotus Aristotelem bene ex definitione Elementi demonstrasse, quod ignis, aër, aqua, terra sint corporum mistorum Elementa. Principiò non ignorare oportet, quidnam virium habeat demõstratio philosophi & deinde, quomodo eam retundat aduersarius: De illo prius, de hoc posterius. Fatemur quidẽ 1. philosophum seu temporum conditione seu ingenio suo & causis certis vsum, discrepare in demõstrando à facilitate nostrorũ temporũ. Verũ hoc illud est, ꝙ longè eruditissimum in artificib. deprehẽditur & commendatur Aphorismos ipsi potius, quã longas demonstrationes concinnant: explicationes relinquunt enarratoribus; Exemplum fortassis primum præbuerunt Medici, quorum antesignanus Hippocrates nihil tam vitat, quàm πολυέπειαν

ſeu nugacitatē id quod in toto opere ab eo relicto obſeruatur adeo, vt quod iſta breuitate erudita nō conſtat, non cenſeatur eſſe Hippocraticum. Idem faciunt Geometræ & Mathematici, quorum ſtudiū cum temporibus Ariſtoteleis multum vigeret, non in commode ad Theoremata traxit tunc exiſtentes philoſophos, idque quantum fieri poterat etiam in concertationibus. Elaborandum itaque interpretibus eſt primario, vt quod ab artificibus dictum eſt conciſius, ipſi ita illuſtrent exponendo, vt euadat intellectu facillimum captuque promptiſſimum. Noſter autem Scotus, etſi interpretis Ariſtotelei nomen ſeu philoſophiæ profeſſoris libro ſuo præfixerit, tenebras tamen potius quàm lumen cauillādo offundit, ſcriptis philoſophorū præſtantiſſimis id quod tum ſupra patuit, tum in ſequentibus manifeſtum fiet. Proponit Ariſtoteles in 3. cæli. 3. ad demonſtrandum τίνων ἐστὶ σωμάτων γένεσις καὶ διὰ τί. Verū enim vero ſecundum ſcientificam normam καθόλου πρῶτον cognoſci id non poterat, niſi prius cognitis primis, in quibus ſit cauſa generationis corporum miſtorum proxima: πρῶτα δὲ τῶν ἐνυπαρχόντων (inquit) τὰ στοιχεῖα: concludit ergo quænam ſint Elemēta iſtiusmodi corporum, qnæ ſunt generationi propriè dictæ (Nam Elementa transmutantur potius quam generantur) obnoxia, inueſtigandum eſſe; quaſi ſimpliciter ita arguiſſet. *(ſcenda:*

Sine quib. nequit cognoſci corporum generatio, ea sūt prænoSine primis, quæ sūt Elemēta, nequit ſciri corporū generatio: Prima itaque, quæ ſunt Elementa, ſunt prænoſcenda.

Nec opus eſt ſophiſticis argutijs de materia & forma, vt prioribus, inſtituere nugas, neque etiam de Elementorum tranſmutatione: de vtriſque agit ſuo loco: ſed quia de vera generat, quę eſt in miſtis

tracta-

tractatum meditaretur, vt quo pacto animal ex animali, planta ex planta, &c. fieret; vniuersalis doctrina in hoc & sequentib. libris erat præmittenda, & de primis corporibus, in quibus est fundamentum proximum omnis generationis, prius disputandum. Neque hic statim vt Ramei solent violatæ Methodi notam philosopho inuremus: ipso protestante cum effecto, ab vniuersalibus ad particularia progressum est; quanquam docendi gratia & pro more Scholæ, auditorium, & aliarum circumstantiarum in partium ordine aliquid incidat inuersionis. Hoc itaq; philosopho propositum erat, de Elementis primum quærere; nō quidem an sint, quædam Elementa vocata: hoc enim omnibus erat notissimum: sed quænam ea sint, cur, quot, & alia. Si constat esse Elementa vocata, necesse est vt definitio sit; Ea enim rei rationem complectitur: si definitio est, cum ea in ordine Methodico primū occupet locū, certè ad quęstionem, quęnam sint Elemēta, tū primum tum potissimum prębet argumentum. Habet enim substantiam rei: Et hanc quærit quæstio, quid est: vnde vsitate hac periphrasi τὶ ἦν εἶναι apud philosophum designatur: Itaq; iure optimo per definitionem explorantur & statuuntur Elementa; vt ea sint, quibus definitio competit. Communitur autem ea omnium optimè, nempe communi cōsensu omnium, cum quibus tunc temporis res erat Aristoteli: sicut inquit: τοιοῦτον γάρ τι τὸ στοιχεῖον πάντες καὶ ἐν ἅπασι βούλονται λέγειν. Ex definitione posita ratiocinatur ita.

Si elementa sunt corpora, in quæ alia corpora diuiduntur, &c. necesse est vt etiam sint quædā talia, seu reuera existant: Sed antecedens est: ergo & consequens. Propositio patet: Nam nisi definitio sit somnium quoddam & rei

non exiſtentis φαντασία, erit alicuius quod eſt: Atq; inſuper vniuerſalium ſine ſingularib. nulla eſt exiſtentia; vt alibi diſputat. Iam ſi ſunt corpora talia; qualia repreſentantur definitione; ea nimirum quę diuiduntur, & ea in quæ fit diuiſio; Elementa profectò erunt, non ea quæ diuiduntur, ſed ea in quæ fit diuiſio; quæq; inſunt potentia. Id enim volebat. definitio. Fit autem diuiſio ſeu reſolutio miſtorum in aerem, aquam, ignem, terram; quæ inexiſtunt poteſtate; nec plura nec pauciora. Ignis itaq;, aer, aqua, terra, erunt Elementa. Patet id quod aſſumitur ex propoſitione. Nam cernuntur ex miſtis per reſolutionem egredi: inſunt igitur potentia. Quod enim egreditur actu, cum antea actu ineſſe deprehenſum non ſit, id potentia inerat. Et hæ rationes ſunt ἀντιστρέφουσαι. Nam ſi ineſt potentia, poteſt ſecerni actu: & ſi actu ſecernitur ineſt potentia. Loquimur autem de ratione, qua ſe habet pars cōſtituens ad totum cōſtitutum per compoſitionem eorum quæ ante erant ſeorſim: Item in quibus vera eſt miſtio, actu non exiſtentibus ſimplicium formis, vt dicere liceat, hæc res eſt ignis, aer, &c. ſicut philoſophus de hac re diſſerit in 1. de gener. & corruptio. Explicatur autem hoc ipſum argumentum plenius, idq; contra ſententiā Anaxagoræ, aliorūq; & huius noſtri Scoti, qui volunt miſta ſimilaria potius eſſe Elementa, quam aerem aquam, ignem, terram: Ratio Syllogiſtica hæc eſt: *Si miſta ſimilaria eſſent Elementa, cum nō exiſtant plura corpora miſtis & ſimplicib. & ratio Elementi ſit, quod in ea diuidātur alia corpora: neceſſe eſſet vt ignis, aer, aqua, terra, diuiderētur in iſta ſimiliaria. ſic vt per reſolutionem eorundem egrederentur hæc: pro vt volebat data definitio: ſed nō ſeparantur inde; miſta itaq; ſimilaria non ſunt Elementa.* Idem ſequitur etiā ad inexiſtentiam.

tiam. Si enim ſimiliaria miſta eſſent Elementa, neceſſe eſſet, vt in ſimplicib. nẽpe aere aqua, &c. inexiſterent, id quod erat Elementi adiunctũ proprium: ſed nõ inexiſtunt; quia neq; inde per reſolutionẽ emergunt, & viciſſim: Non ergo Elementa ſunt. Declarãtur hæc etiã numero. Nã ſi nõ ſint ſimilaria miſta plura & infinita, vt voluit Anaxagoras, ſed vnũ tãtũ, ſiue id ſit os ſiue caro, ſiue quid aliud; tamen non inerit in aqua vel igni vel aere vel terra, potentia; eaſdem ob cauſas. Probat idem per rationem generationis. Non enim fiunt aqua terra, ignis aer ex iſtarum compoſitione ſed miſta ex concurſu horum. Item per motum: ſimplex motus ſimplicis eſt, miſti miſtus: ſimilarium miſtorum miſtus eſt; illorum ſimplex: Eſt autẽ ſimplex prius miſto; Et quod Elementum eſt, prius eſt: patet ergo etiam ſic Elementa non eſſe Anaxagorea illa, ſed potius Empedoclea ignem, aerem, aquam, terram.

Probauit igitur & demonſtrauit philoſophus ignem, aerem, aquam, terram, eſſe miſtorũ generabilium Elementa, à definitione, diuiſione ſpecierum; & adiunctis duobus proprijs, quæ manifeſtẽ apparent, modo velimus dictorum ſuccinctè interpretes eſſe candidi. Abſoluimus prius, qua potuimus, breuitate: aggrediamur poſterius. In ingreſſu c.5. Iacob. Martinus Taurinẽſis philoſophus ſcomma perfectæ tranſitionis concinnauit; quaſi docuerit quàm rectè & præclarè Ariſtotelis definierit Elementum: nos contra quàm temerariè friuolè & ſophiſticè eam allatrarit definitionem pro more Ramei ingenij, ad oculum demonſtrauimus. Hoc itaque exordium illi reponimus. Secundo loco videtur ἀπολογίαν meditari vt ſe excuſet violatæ legis καθ' αὑτὸ: Nihil ſibi fuiſſe prætermittendum ait ex

ait ex illis, quæ in hoc negotio sunt posita; nempe ne minus Scotus & Taurinensis Sophista potius, quam philosophus videretur. Nam alioquin nulla necessitas eum cogebat arrodere ea, quæ de Elemẽtis ab Aristotele verè sunt prodita. Et si nihil erat prætermittendum, cur non totum tertium de cœlo cum quarto & alios libros de generatione & corruptione cum omnibus quęstionibus ad limam reuocauit; cur oblitus est Meteororum & omnium quæ de mistis vnquam & simplicibus scripsit philosophus? An apparet non interpretem agere voluisse disputatorem nostrum, sed bene & enucleate scriptorum sepiam? Fatetur philosophum dedisse definitionem ex communi omnium sententia: quis ergo haberi vult dum ab ista communi sententia decedit? Legem naturæ ius gentium communi cõsensu definire solent, qui violant istam: an nõ in rationem sensumq; & experientiam impingunt? Et meritò in albo insanorum & naturæ bellum mouentium numerantur? Vulgo dicta Elementa vocat aerem, ignẽ, aquam, terrã: quasi ipse à vulgo remotus quid altius saperet, nec cũ vulgo ista Elemẽta agnosceret: aut si cũ vulgo sentit, cur tam superciliosè Aristotelem ostendẽtem nõ tantum vulgo, sed & verè ista esse Elemẽta corporum, exagitat? Quæstionem informat ita: *An rectè & accuratè ex definitione, hæc quæ vulgo Elementa dicuntur, ignem, aerem, aquam, terram, pro Elementis habenda esse demonstrarit nec ne:* In titulo capitis quædam Emblemata omisit, non certè pro ingenij cupiditate ad gloriam aucupãdam, vox, demonstrare, videtur sophistica primo intuitu: Nam Ramo censore ne inueniri aut dari quidem potest demonstrationis Aristoteleæ exemplum: nedum aliquid demonstrauerit philosophus. Quin ergo sine sudo-

ſudore arripimus palmam ? ſed ipſa diſputationis ratio nobis alium quempiam vſum vocabuli huius oſtendet, quando arguere per argumẽta euincere, docere,& ſi quæ ſunt huius farinæ videbitur, Et ſtatim prima facie occurrit verbum, Oſtendere. Eſt autem ante certamen valde πολεμικὸς Scotus, & cõfidens in arte recondita. Poterat gemina acie petere philoſophum : ſed ne vrat virum pridem ſepultum & iam fortè in Tartaro cum cerbero luctãtem, vt egredi ad prælium poſſit, alteram aciem remouet eo artificio, vt in occultiſſimis ſed clam nocentiſſimis inſidijs collocata, inde quàm maximè feriat. *Lubens* (inquit) *in ea quæſtione prætermitto quod à poſterioribus natura ea quæ priora ſunt conetur oſtendere. Quæſtio enim, quà, quid res eſt, quæritur, natura poſterior eſt ea, qua an res ſit & exiſtat inueſtigatur. Neque enim quid res ſit, ſiue quam vim, naturam & eſſentiam habeat, vnquam intelligere poſſumus, niſi prius an res ſit & exiſtat intellexerimus.* Adhuc Scotus, quem putes non in Ramea Schola, vt inde eum adeo magnopere commendet Tempellus, ſed in Ariſtotelea enutritum eſſe, & tot modis exploſum organon, mordicus amplecti & retinere. Sed ſi quid animi habet cum Rameis telis, congrediatur indeq; eluctetur: & virum magnanimum for temq; longe magnificentius Tempello prædicabimus. Acies Ramea eſt in 2. Schol. Dial. c. 7. lib. 10. c. 1. lib. 11. cap. 3. &c. Sed quidnam hic quærere debebat primum Ariſtoteles? Nempe an ſint Elemẽta. At, inquam, iſtud erat tritiſſimum? Cur aures auditorum pudida iſta quæſtione occupatas teneret? Deinde volebat oſtendere contra Anaxagoran, ignem, aerem, aquam, terram, eſſe Elementa: Confitebatur ergo Anaxagoras eſſe quædam talia : & hoc viderat philoſophus; ideo addebat: Cum definant Elementa; ne-

ta; necesse est vt sint etiam quædam corpora quæ vocentur Elementa: vnde nō erat opus de ista quęstione agere. Insuper stultum est, cum artē doceas, disputare de subiecto artis an sit. Quomodo enim quid explicādum suscipias, id esse dubites iure? Sed Scotus ipse diluit hoc suum cōmentum, ostenditq; ex morsu Aristotelico sedentem reportare stupidissimum. Veruntamen non dimittendus est disputator si quod fortè commodum ex vbertate ingenij eius reportemus. Accusat Aristotelem ignoratæ Methodi, quod conetur ostendere ea quę sunt priora per natura posteriora: At quod conatur ostendere? An non ex definitione Elementorum, quod ignis, aer, aqua, terra, sint Elementa? Imo nihil aliud, testante idem bis Scoto. Quæ verò priora? Quæstio, An sit: Quæ posteriora? Quæstio, Quid sit. Age iam debueratne philosophus demonstrare vel ostendere, ignem, aerem, aquam, terram esse Elementa per quæstionem, An sit? Quæritur quidem, An sint Elementa; argumentum autem petitur ex definitione: sed quo pacto AN SIT fiat argumentum; Solus fortassis vidit Scotus. Sed cur non colligimus, vt magis aperiamus hominis τὸ νήπιον καὶ φαντασιῶδες, rationem Syllogismo? Thesis est: *Aristoteles à natura posterioribus conatur ostendere ea quæ sunt priora*: hoc est, à quæstione quid est, quæstionem, an est: idq; putat fieri vitiosè: Nam reprehenditur.

Qui conatur ostendere an sit res per quæstionem quid est; is quod prius est conatur ostendere per natura posterius.

Aristoteles conatur ostendere an sit res per quæstionem. Quid sit: Ergo per id quod posterius est natura, conatur ostendere prius.

Et ex consequente vitiosa procedit Methodo.

Pro-

Propoſitio illuſtratur proſyllogiſmo. Quia quæſtio quid eſt poſterior eſt natura, quam ea, qua quęritur; An eſt: Nam non poteſt intelligi vnquã quid ſit res, ſiue quam vim, naturam, eſſentiam habeat, niſi prius an ſit & exiſtat, intellexerimus. Hæc ratio Scoti, in qua propoſitio mirificam repræſentat Logicen. Primum enim futilis eſt illa de quæſtionibus nugatio, ſi quando quæſtio per tertium argumentum eſt arguenda. Deinde turpiſſimus committitur ambigui Elenchus: Nam quæſtio. An ſit, communis eſt cum generi tum ſpeciei. Itaque etiamſi conſtet quod Elementum ſit, nihilominus remanet quæſtio. An ignis ſit Elementum, quam quomodo felicius arguas affirmatè, niſi per conſentanea aut horum ſymbola, idque optimè per definitionem? Et hac ipſa opera corruit totum propoſitionis firmamentum. Nõ enim cum de ſpecie quæritur An ſit, tum hæc quæſtio eſt prior generalis definitionis interrogatione, ſed poſterior. Sciri autem non poſſe quid eſt res, niſi cognoſcas An ſit, grande eſt poſtulatum, & ſtultè dubitantis argumentum. Qui enim cognoſcit rei definitionem, is ſimul rem ipſam nouit, ita vt nullus ſcrupulus relinquatur: & quomodo ſi non conſtet quid res ſit, credas an ſit? Non exiſtente definitione, per quam innoteſcit definitum, quomodo rem exiſtere perperſuadebis? Adde maximè generalem eſſe definitionem in Methodo: prior Ergo. Aliter autem in Analyticis de iſta quæſtione ſentit philoſophus; nempe in definitionis inuentione, ad quam per argumẽta prima acceditur, eam requiri. Fruſtra enim rem non exiſtẽtem quæras, cum eius nec cauſæ ſint, nec effecta, nec alia argumenta, per quæ quid ſit deprehendi poſſit. At philoſophus nullã hic nobis in-

uenire

uenire definitionem molitur sicut nec reliqua, quæ ostendere poterant esse aliquod Elemētum. Quam malè ergo Logicen didiceris siue Aristoteleam siue Rameam animaduerte; Et in posterum memento in Dialecticis disputationibus te exercere potius, quàm reliqua arrodere, quæ ne intelligere quidem sine Logica possis. Hæc optima fide ita coagmentauimus: sed respondentne eis illa quæ sequuntur in satisfactione propria? Minimè verò, vnde & maximè, modo in hanc, modo in illam sententiam à tam ventoso ingenio rapi videmur; quod nobis ignoscent Logici considerati. *Hoc prætermitto*, inquit; *Diceret namq; fortasse quispiam, Aristotelem ex hac definitione non docere Elementa esse & existere, quod inter omnes constet de eius existentia, in cuius definitione omnes conueniunt quamuis de ipsis Elementis magna inter eos contentio & controuersia semper fuerit, &c.* Et quæ plura adduntur Catalogum prauarum sententiarum, vt creduntur, complectentia. Hæc responsio vult Aristotelem debere prius quæsiuisse, sitne Elementum, an non. Elementum enim enim definiebatur. Hoc ergo, an esset, prius fuisset inuestigandum.

Vide eiusdem pagina 23. versum 19. 20. ibi idem repetitur.

Quomodo hæc conueniunt cum antedictis; Aristotelem nempe per posterius demōstrare id quod est prius, hoc est, quæstionē, an aqua, terra, &c. sint Elementa per definitionem Elementorū? Hic quæstio. An sit quærit de aqua, aere, igni, terra, sintne Elementa: Ibi eadem quæstio de genere, sit ne Elementum simpliciter, habetur. Profectò si vllum caput Helleboro dignum vnquam fuit, Scotisticum hoc est. Quod ne falso iudicatum putes, Confer inter se hæc quoq;: Ait versu 4. & 5. *inter omnes constat de eius existentia in cuius definitione omnes conueniunt, quamuis de ipsis Elementis magna inter eos contentio semper fuerit:*

Item

Item verſu 16. & ſeq. *Omnes Elementum eſſe dixerunt, quid nam tamen illud ſit, aut eſſe poßit, ex eorum ſententia ita inter ſe diſſentientib. intelligi vix aut ne vix quidē poteſt.* In priore paragrapho aſſerit de definitione Elemēti inter omnes conuenire: in poſteriore videtur idem negare: dum ne intelligi quidem poſſit ex eorum ſententijs, *Quidnam illud ſit, aut eſſe poßit*: vbi vocem, *quid nam*, Logice intellectam ſciunt omnes interrogare de definitione. Et magiſter Scoti Ramus in Scholis Logicis lib. 3. cap. 6. ait definitio propriè & verè reſpondetur ad quæſtionem, quid eſt; Idque comprobat etiam Ariſtoteles, quodcunque ſane Porphyrius & eius Aſſeclæ contra garriat. Si ergo nequit intelligi ex veterum ſententijs, quid ſit Elementum; quomodo de definitione cōſtabit? At, inquis, Scotus non hoc negat, ſed quod poſſit ſciri, quænam res ſint Elementa, ſeu quibus competat Elemētorum definitio: ſit ne ea aer, aqua & σύστοιχα, an ſimiliaria vel plana, &c. Senſerit hoc Scotus, inquam; at in Grammaticum ſermonem impinget, atque ita deterius vitium (niſi diligentiſſimus in his nænijs bibliopola peccauit: eò enim voluuntur vitia priſcianum verberantia) admiſerit. Hactenus procœmium diſputationis ſeu πρόδρομος; ex quo qualis futura ſit pancratiaſtes abundè conſpicuum eſt. Preformatur queſtio ad diſputandum propoſita ex ipſo Ariſtoteleo textu eruta, quem ita allegat Scotus: *Quod ſi id quod dixi, eſt Elementum; aliqua huiuſmodi ſint corpora neceſſe eſt. Nam in carne quidem & in ligno & vnoquoq; eiuſdem generis, ignis & terræ vis ineſt. Hæc enim ex illis perſpicuè elici videntur.* Græcus ita loquitur: εἰ δὴ τὸ εἰρημένον ἐστὶ στοιχεῖον ἀνάγκη εἶναι ἄττα τοιαῦτα τῶν σωμάτων. ἐν μὲν γὰρ σαρκὶ καὶ ξύλῳ καὶ ἑκάστῳ τὸν τοιοῦτον ἔνεστι δυνάμει πῦρ καὶ γῆ. φανερὰ γὰρ ταῦτα ἐξ ἐκείνον ἐκκεινόμενα.

Tria in interpretamento Scoti offendere videntur; primum quod ἑκάστων τὸν τοιοῦτον reddit per, *vnumquodq; eiusdem generis*, quod quidem incidit cum ὁμογενεῖ & specie eodem seu ὁμοειδεῖ. Secundum, quòd, πῦρ καὶ γῆ ἔνεστι δυνάμει, exponit; *vis terræ & ignis inest*; pro; *terra & ignis insunt potentia*. Aliud enim est vis terræ, vt quæ agens vocatur, refrigerãs, patiens verò siccitas; & quę secunda sunt: aliud terra ipsa, potentia inexistens. Tum enim inest materia terræ, licet non forma, actu: quod qua ratione accipiatur, alibi disputatur. Tertium, quod φανερὰ ταῦτα ἐκκείμενα per, *opinionem*, enunciat: Cum ἐπιστημόνως & scientificè per, *experientiam*, dicantur. Adeo parua fides est Scoto; idq; etiam in quibusdam Rameis, imo in duce Ramo sępissimè deprehendas. Ex tanta fide translatis verbis ratiocinari incipit, & syllogismũ formare, sed paulo cautius, fortassis alio adiutus interprete: *Quæcunque corpora sunt in alijs vi quadam & facultate, quæq; ex illis eliciuntur; hæc illorum sunt Elementa.*

Ignis, aer, aqua, terra, Vi quadam & facultate sunt in alijs, & eliciuntur ex illis.

Ignis ergo, aer, aqua, terra sunt ipsorum Elementa.

Propositio roboratur per definitionem datam. Assumptum illustratur contrario, quod potestate insint non actu: Sic vox, *alijs*, declaratur per particularia, vt sunt lignum caro, &c. ex quibus eliciuntur Elementa, non ex his illa vicissim.

Penè confessi fuissemus hanc esse Aristotelis veram sententiam, nisi nobis incidisset nullum munitum esse dictum aduersus calumniantis iniuriam. Inspecto ergo Scopo Aristot. dicimus propositioné debere accipi de ea inexistentia, qua simplex est in composito vt pars eius; ita vt cõpositum interire necesse sit, si illud subtractum omnino fuerit, compositio-

ſitionis harmonia reſoluta. Eadē eſt ratio in reſolutione ſeu ἐκκρίσει, quam Scotus dubio & Sophiſtico vocabulo, ELICIVNTVR, expreſſit. Iam itaq; ita ſenſerit Ariſtoteles. Scotus contradicit eius ſententiæ, ſed non citra ornamentū per tautologian, quæ, ſi viueret Ramus, quàm ſæpè ipſi bilē mouiſſet? Pronunciat cum adiuratione; probationem illam nullam vim habere, id quod velit oſtendere experientia & ratione. At, inquam, Logice mirificè, Cur Syllogiſmo agis ad nullam partē eius reſponſurus? Dic ex vtroq; iudicio, Axiomatico & Dianoetico primò. Ecquid reprehendis in dato Syllogiſmo? Axiomata ſi intuearis, neceſſaria fuerint & immota: ſin cōſequentiā, ſimili iudicabitur lege. Propoſitio vel te ipſo teſte firma eſt: Non enim putas dubium eſſe, quin miſtū reſoluatur in ea, ex quib. eſt miſtū: vt de definitionib. nihil addamus. Quod aſſumitur, ſenſus firmauit: putreſcat lignum: ſoluatur eius continuitas, neceſſe eſt: Humidū ergo abit ſiue actu & in propria forma, ſiue reſolutum ſimul & tranſmutatum tametſi putreſcentia, teſte philoſopho & experientia, prius omnia fiant humida inde ſicca. Caries quæ relinquitur, quid aliud eſt, quam terræ ſpecies? Ignem & aerem nunquam mōſtrabo, cum vix craſſiorem percipiam. At tactu putreſcentia iudicātur calida: quæ qualitas nec aquæ propria eſt, nec terræ, &c. Formæ, hæc duo ſunt magis, & nō ad corpulentiā miſti tam, quam ad temperiem & miſtionē conſtituendam requiruntur: Ideo minus deprehēduntur. Qui artem ex colūt eam, q̃ Chymicā aut Spagiricam vocant, præter quatuor naturas ēt quintā ſed analogicè educūt. Sed horū q̃ ſit neceſſitas, alibi indagabimus fortè melius. Propoſitione & aſſumpto neceſſarijs, neceſſarioq; illigatis ſibi mutuo, q̃d ob-

ſtat quin complexio ſit neceſſaria? Tu negas hanc probationem habere vim vllam: Ecquid intelligis per probationem; num affectionē tertij argumenti, qua arguitur quæſtio? An conſequentiam ſyllogiſticam quæ eodem redit? an veritatem alicuius Axiomatis? Maximas olim cōſcripſerunt, & quæ ſunt conſectaria quædam mutuæ affectionis inter argumēta, ex quibus & hæc eſt; quod, cui definitio competit ei res définita conueniat: ſimiliter arguunt ſuum ſubiectum adiuncta propria, cauſæ effectum. Sunto Elementa cauſæ miſti tanquam effecti: Cauſæ eſt vi ſua rem conſtituere, & præſertim Eſſentialium eſt ineſſe in conſtituto; & ſi ſunt materiæ partes, actu ex compoſito reſoluto naturaliter redibunt. Si hæc competunt terræ, aquæ, &c. an nō pro cauſis miſtorum potiſſimum materialibus habebuntur? & ex ijſdem fit definitio. Cur itaq; nulla ſit vis huius πίστως? Sed propoſitionis neceſſitatem infringit, dum eam non κατὰ παντὸς, ſed ἀπὸ μέλους eſſe oſtendit. Arguit ergo:

Liberi ſunt in ſuis parentibus potentia & inde eliciuntur actu: Liberi non ſunt parentum ſuorum Elementa: Quædam ergo quæ inſunt potentia & eliciuntur actu, non ſunt Elementa eorundem.

Propoſitionem amplificat vermibus putreſcentis caſei & dilatat ad vniuerſum effectorum genus. Omnia enim in ſuis cauſis ſunt potentia: ſed de illis paulo poſt.

Agnoſco Syllogiſmum in contracta forma explicatum; ſed qui talis eſt, vt, etiamſi totus cōcedatur, nihil tamen offendat Ariſtoteleam propoſitionem. Ariſtoteles loquitur de corporibus inexiſtentibus: Scotus de liberis; niſi fortè ipſi liberi ſunt nihil aliud, quàm corpora; vt ita vera ſit illa veterum fabula de

la de *Gente virum truncis & duro robore nata.* Similiter philoſopho ſermo eſt de partibus materialibus cō-curſu ſuo totum conſtituentib. Scotus de liberis ad quorum procreationem pater ſemen cōfert, quod neutiquam eſt pars materiæ patris; ſed excremētum eiuſdem. Et cur non ſimiliter de ſudore, capillitio, vnguibus & alijs ſordibus immundioribus mundus ille philoſophus diſſerebat? Ego profectò ex ſtultiſſimis vix ſtulti ora audiui? Occultantur autem iſta tam bella ſophiſmata omiſſione vocabuli, CORPORA; & ambiguo, ELICIENDI vſu. Eadem amentia de vermibus nugatur; Et vt amplificemus abſurda; præter prædicta, philoſophus de ea loquitur ἐκχεῖσει, qua totum perit omnino; Scotus in exemplo liberorum de eo ex quo etiamſi ſemen abſtrahitur, tamen is manet integer & ſaluus. Ariſtoteles de materiali; Scotus de efficiente cauſa: Ariſtoteles de diſſimili forma, Scotus de ſimili, præſertim in priori exemplo. Nec animaduertit diſſonantiam exemplorum: Alirer enim ex caſco gignitur vermis, aliter ex parente liberi. Habent & Grammatici quod in hoc ſophiſmate tam ignauo & putrido, digno excipere poſſint riſu. Quis enim Latinè dicat liberos, dum gignũtur, actu elici ex parentibus? Vermium exemplum videtur propius accedere ad Elemētorum ex miſto eductionem per reſolutionem: διαχεῖσει enim fiunt, dum corrumpitur putredine ſubiectum. Vide philoſophum in 4. Meteor. 1. & 3. de generat. animal. 11. Vbi pulcherrima eſt generationis ſpontaneorum hiſtoria. Vergit autem corruptio ad duplicem finem. Aut enim aliud fit, aut materia. Aliud fit in tranſmutationibus Elementorum; materia fit, quando in Elementa, quę erãt materia miſti, illud diſcedit rurſum. De hac ſermo phi-

losophi hic est, de illa non. Itaq; nõ est, ꝙ tantopere cum putri suo caseo exultet Scotus. Quin & si aliud spõtaneum factum fuerit, tamẽ vltra tertiam generationẽ id non extenditur, quin redeat ad materiam. Patet & hinc philosophum de talibus non locutum neq; posse ea hic locum habere. Vermes enim geniti nihilominus adhuc misti sunt. Elementa autem simplicia sunt corpora, mistorum partes. Corrumpatur autem caseus, aut parens in partes materiales, mirabor si vel vermis vel filius exierit: neque enim caseus ex vermibus, neq; pater ex liberis constat. Idem arguunt plurimæ ex artibus Mechanicis, vt non amplius philosophorum correctione, sed sutorum, Architectorum & aliorum opificum fustibus ad refutandum tam ineptum commentum sit opus. Venimus ad totum effectorum genus, quæ cum omnia sint in suis causis & principijs potestate, & deinde educantur actu, necesse esset Elementa esse. Etenim nisi inessent poteſtate, non educerentur: & quæ sequuntur mirificè accumulata: quæ nos ad iudicium Dianoeticum primum reuocabimus.

Si quæ potentia insunt & educuntur, sunt Elemẽta, omnia effecta suarum causarum sunt Elementa.

Sed falsum posterius: ergo falsum & prius.

Probatur connexio: quia effecta potentia insunt in suis causis; & inde educuntur actu; & non possent educi, nisi inessent. Assumptum patet: Quod posterius est, non est Elementum: Effectum est posterius: Ergo effectum non est Elementum.

Propositio patet; quia Elementum tanquam causa est prior: probatur assumptum per exempla varia de quibus postea. In hoc paralogismo iterum notandum est, quod antea diximus, nempe futile

esse

esse sophisma ex omissione determinantium rem certam particularum, quod Elenchon à dicto secundum quid ad simpliciter enũciatum vocare solent. De corporalibus quæ fiunt materia mistorum loquitur philosophus: Scotus generalitate includit effecta. Vnde fit vt negemus propositionem, dicamusque eam philosophi non esse. Probatio eius debebat deducere ex genere speciem; & Aristoteleam mentem ad mista arguere, Vt si effecta tanquam causæ materiales inessent misto & inde educerentur; necessarium esset, ea esse Elementa: sed vix ostenduntur in causis suis inesse. Nam hac ipsa phrasi valde vtitur insolẽter; & ex Logicæ Rameæ quam pessimè didicit. decretis nullis. Esse in aliquo, inter alios modos apud philosophum etiam de primo mouente accipitur, quasi in efficiente procreante aliquod effectum dicatur inesse, seu in eius potestate esse. *At propriʼssimè*, ait, *adiunctum est in subiecto: aliter etiam pars in toto*. Declinat ergo Scotus nõ tantum corporis ratione, quod cum simplex sit, misti est materia ab Aristotele, sed & modo inexistendi: atq; adeo turpissimus ille Elenchus, secundũ quid, duplicatur. Deinde eadem probatio olet sophisma idem etiam hoc nomine, quia plurima sunt in efficientium potestate, quæ tamẽ neutiquam in actum producuntur. Mille mundos facere posset Deus: at non facit? Idem poterat multos à varijs calamitatibus defendere, sed quam illos sinit affligi? In naturalibus etiam generica illa vis valde est compescenda & in angustum intrudenda. Quid enim si quod effectum inesset potentia, cuius tamen productio nunquam sequeretur, vt si Rhebarbaro sit vis purgandi; at dum in terra est, dum calore & alijs destituitur, finem hunc non attingeret? Sed nimis hęc

4. Phys. tex. 24.

prolixè: ſat eſt tot modis commiſſo Elencho connexionem eſſe futilem & inanem, vnde quod aſſumitur & concluditur, philoſophum nihil vrit. Ad exempla deſcendimus, quorum alterum naturale eſt, alterum artis. Adducuntur autem ideo, vt oſtendatur aſſumptũ ſuperioris proſyllogiſmi, nempè cauſam effecto non eſſe poſteriorem; Si enim hoc: ἄτοπον iſtud ſequeretur, quod pater filio, artifex, opere diceretur poſterior.

Videtur autem proportio quædam aut par ratio eſſe inter aerem aquam, ignem, terram, opus & filium. Sicut enim opus producitur ab operante, filius à patre; ita illa ex miſtis: Verùm ſicut inde iudicare non licet; filium eſſe principium & Elemẽtum patris aut opus artificis; ita neq; conſectarium erit ignem, aerem, aquam, terram, eſſe Elementa miſtorum. Sed idem eſt paralogiſmus à particulari fallens: & prætereà imparia pro paribus aſſumens, vnde fit vt ſophiſtica tota ſit conſequentia. Nolumus repetere ſupradicta: eò enim redeunt omnia, vt maxima ſit diſparitas inter iſta: Ex corruptis ibi effectis prodeunt prima; at ex efficiente, in his procedunt effecta integra: Vtraque etſi generalitate phraſeos, imò homonymia ſophiſtica ſignificãtur, dum educi dicuntur: attamen cauſis, nempe forma motus, fine, materia, efficientibus, multis diſcrepant paraſangis. Stupidiſſimum eſſe oportet, qui hæc tam friuola Scoti χρησφύγετα non primo ſtatim aſpectu deprehendat. Sed annectitur conſectarium aliud. Cõcluditur enim in contrarium potius, quàm pro Ariſtotele. *Hoc*, inquit, *Argumentum potius docet concreta corpora, quæ Elementa appellantur, quàm hæc ipſorum eſſe principia.* Agnoſco ſomnium Anaxagoreum, quod infra Scoto vehementer arridebit. Verùm colligerem

rem ſyllogiſmo: *Quæ ex alio educuntur, ea ſunt eius Elementa: concreta corpora ex igne aëre, aqua, terra educuntur, concreta ergo corpora ſunt ignis, aëris, aquæ, terræ Elementa.* propoſitio aſſertionis Ariſtoteleæ eſt.

Aſſumptum per affectionem cauſarum & effectorum communitur. Omne enim effectum educitur ex ſua cauſa. Quid opus laborioſa reprehenſione? putidum homonymiæ Elenchum etiam tyrones noſtri agnoſcunt, ridentque. Aliter enim Eductio fit in propoſitione, aliter in aſſumpto. Cur autem non vt mēdax, inane, & frigidiſſimo ſophiſmate laborans explodimus aſſumptum totum, negamusque conſtanter ex ſuis cauſis effecta educi? Aedificium ex Architecto non educitur: neque ex Medico extrahitur ſanitas ægrotantis: Et quis indurationem luti è Sole educi aut mundum ex Deo vnquam dixit? Non itaque in Logica tantum imperitiſſimus eſt Scotus, ſed & in Grammatico ſermone ineptiſſimus. At ita vtitur vocabulo, Ex, philoſophus de Efficiente: ſcimus iſtud, ſed reponimus nō tantum hoc, quod Rami diſcipulum oportebat ad præſcriptum Logicæ Rameæ diſtinctè loqui: Verū etiam quod toto cælo à mente philoſophi aberret De toto genere effectorum ait Scotus quod ſit ex cauſis. Omnes ita comprehendat neceſſe eſt, tametſi exempla tantum de efficiente afferantur: at philoſophus tantum de materiali & efficiente & adiunctis quibuſdam loquitur. Deinde educi ex aliquo, & fieri γίγνεσθαι ἐξ ἄλλου, καὶ ἐκκρίνεσθαι, quibus verbis vtitur Ariſtoteles, quantum quæſo diſtant? De effectis Logici differunt, quod exiſtant vi cauſarū, ſeu ꝙ cauſis ē exiſtant: at quis Logicus educi aut ἐκκρίνεσθαι vel elici ex cauſis ea aſſeruit? Hæc ſunt illa neruoſæ & enucleatæ diſputationis. Vt ſtolidè viſum eſt Tempello

1. de gen. animal. 8.

Emblemata à nullo veterum aut recentiorum obſeruata aut prodita. Sed perge: fortaſſis ſapientius quid audiemus. Præuiſum eſt ipſi telum alicuius, quem rebatur fore, aduerſarij. Omnino enim videtur abſurdum, concreta eſſe Elementa ſimplicium; quodque dum ſeparãtur ex miſtis corruptis, ignis, aër, aqua, terra, non inde conſequens ſit, miſta aliquando ex his facta eſſe. Sic enim acutiſſimus philoſophorum Ariſtoteles ipſe iudicabat; Syllogiſmus eſt.

Niſi ex igni, aêre, aqua, terra, eſſent aliquando procreata miſta, ex his ipſa non elicerentur: Sed eliciuntur: ergo ex eis ſunt facta, Paulo aliter in forma ſimplici diſponi poterant: ſed ad rem parum refert. Quid opponit Scotus? Connexionem diſturbat iterata cantilena de putri caſco, de parentibus, de toto effectorum genere: quæ omnia nihil ad rem faciunt, vt ex ſuperioribus patuit, quæ repetere piget. Repetit & conſectarium de Elementis, quod debeant ſtatui miſtorum effecta hoc ipſo argumento; quia educuntur ex miſtis, id quod proprium ſit Effectorum: id quod nos futile & inane eſſe dicimus. *Effecta*, inquit, *eliciuntur ex ſuis cauſis, non contra, cauſæ ex ſuis effectis*. Si Logicum eſt Axioma, Tempelli iudicium requiro, qui tam ignauum & ſtupidum ingenium commendauit. Nam alterum altero arguitur viciſſim; cauſa effectum oſtẽdit, & effectum cauſam: Sin eſt phyſicũ; nolo de violata lege καθ' αὑτό dicere: Nam hoc peculiare illi vitium; legem καθ' ὅλου vrgeo, quæ generalia vetat in ſpecielibus inculcare: appello & Tribunal legis κατὰ παντός. Nam etiam phyſicis & Mechanicis per multa ſunt effecta, ex quibus reſolutis, eliciuntur cauſæ. Aſſit Dædalus, Polycletus, & alij innumeri, hominemque ſtupiditatis inertiſſimæ damnent,

Effi-

Efficiens elicitur ex effecto, perinde vt ex mundo DEVS; ex animæ actibus secundis ipsum principiũ cognoscitur: Materia ex Analysi securissime mollissimeq; dispicitur, & in lucem velut ab Hercule Cerberus producitur.

Testentur hoc Anatomici, quiq; à nobis notioribus ad priora naturâ solent indagando proficisci. Forma an non educitur ex effectis, omnibus philosophis etiã hac ipsa verborum forma vsis? Finẽ verò quo pacto scias nisi ex effecto? An vsum calcei ante perfectum eum noueris? patet itaq; reciprocam viã esse ab effectis ad causas & à causis ad effecta; idque multo euidentius in partium materialium cõpositione & resolutione. Clarius idẽ cõspicitur in ratione totius & partium, integri & membrorum, generis & specici; qualis ratio est inter inductionem & vniuersale. Sunt autem genera causæ, species effecta, vt nõ immeritò hominem tã rudẽ Logicæ mireris. Miror etiam inconstantiam seu potius amentiã Scoti, qui supra negabat, cuiq; dubiũ esse in id resolui quodq; ex quo constaret; hîc autem tàm obstinatè contrarium affirmat. Sed mendaciem fumiq; venditorem raro deprehẽdimus memorem. Sed & versatilis admodum est. Nam postquã dixit Effecta ex suis causis elici, contradictionem inuersę remouet, quod nullus vnquã statuerit causas habuisse ortus principiũ ex suis effectis. Interpretatur ergo illud Educi & Elici per habere originem? Imo, si Logicus est, interpretatur: Nam in quibus axiomatis statuitur conrradictio & in versio, in illis seruantur partes eædem: Vt causæ non oriuntur ex effectis. At ita non Loquitur Aristoteles? Contra quem itaque aciem direxit: Adde Si nullus ita locutus; Ergo nec philosophus, Cur itaque cum mortuis decertat

& audi-

&auditores ſuos inani ſpe ludit? Nouo etiam vtitur loquendi genere: Ex ſuis & à ſuis cauſis eliciuntur omnia effecta, vt ita Ramum obliquè perſtringat, quaſi perperam definierit effecta, quod è cauſis exiſtant. Ipſe efficientem & materiam complexus eſt per A & E X: At, inquam, effecta exiſtunt potius per formam & finem. Inde enim ratio & eſſentia potiſſimum dependent. Verùm hæc σκολιακὰ ſunt. Lucem Logicam nihil attinẽt. Valde itidem ſublimè quid ſpeculatur his verbis: Quando eæ ſua effecta, ſi non tempore, at certè naturâ & dignitate anteceſſerint. profectò niſi de ſubſtãtia & per ſe effectis vererer ἐκ τοῦ συμβεβηκότος pronũciare, de Scholis Rameis dicerem, eas aut nullos Logicos aut Sophiſtas gignere. Nam hoc in plurimis hactenus vidimus quòd optimè inuenta turpiſſimè arroſerint & tàm procul à vera ſentẽtia ad opinionem diſceſſerint, quàm procul cælum diſtat à terra. Sed nolim præclaræ arti & ingenijs optimis hoc ſtigma inurere. Scoto potius & ſimilibus ineptias & imperitiam cum ſtupore coniunctam probe in oculos & aures ingeramus. Axioma logicum eſt; omnem cauſam (nempe qua ratione eſt cauſa) priorem eſſe effecto. Sed quia prioris homonymia aliquam differentiam facit, diſtinxerunt ita, vt omnes quidem dicant ratione id eſt, propria vi & affectione cauſæ eſſe priores, re autẽ ipſa partim priores partim ſimul exiſtẽtes; prior omnino eſt & tẽpore, efficiẽs: Finis in vſu poſterior eſt: Forma & materia ſimul cum effecto. Nam forma dum gignitur, quatenus gignitur effectum eſt, ſicut, & materia & totum, de quibus videndæ ſunt digladiationes Beurhuſij & Tempelli cum Scribonio, Piſcatore, VVaſſerleidero & alijs. Quæ itaque axiomata enunciabant partes totius diuiſi

uiſi per adiuncta, nempe, quod quædam cauſæ ſint tempore priores, quædam ſimul cum effecto, ſi rem conſideres, non affectionem: Ea facit Scotus contradictoria. q. d. Cauſæ effecto tempore non ſunt priores, ſed natura & dignitate: prior contradicit huic: Quædam cauſa eſt prior tēpore: poſterior infert oppoſitum diſparatum. Vnde & alter error emergit. Congreganda enim & copulanda diſgregātur. Sed has nugas mittimus. Porro adeo ſtupidam & eneruatam putat eſſe Ariſtoteleam demonſtrationem, vt non id quod volebat, ſed contrarium prorſus ſit confectum. Quomodo verò illud? philoſophus oſtenderat aduerſus Anaxagoram nō ſimilaria miſta eſſe Elemēta ſed aërem, ignem, aquam, terram, quia Elementa ſepararentur ex ijs, quorum ſunt Elementa; non contra; id quod apparet fieri in dictis ſimplicibus & miſtis. Nā ex his illa ἐκκρίνεται: Scotus contrarium ſequi ait; nempe miſtorum eſſe educi è cauſis, non contra. Itaque ſi illa ſunt Elemēta, quæ educuntur; oporteret miſta potius hæc eſſe, vt volebat portentum Anaxagoreum. Itaque lignū caro & ſimilia vel Elementa fuerint, vel non effecta ex Elementis illis. Sciendum autem eſt hæc τερετίσματα à Scoto pro fundamento ſecuturi monſtri, quod miſta non ſint ex Elementis, poni. Itaque tam ſtudioſe hoc agit, vt oſtendat effectum educi ex cauſis, non contra, hinc enim molliſſimè ſequetur.

Quod educitur ex Flementis tanquam cauſis, id effectum eſt Elementorum: Lignum, caro &c. non educuntur ex Elementis: Ergo non ſunt Elementorum effecta: id quod directà opponitur Ariſtoteleo ſophiſmati. Quid hic dicas aliud, quam odioſam illam cramben tam ſæpè coctam reponi?

Tota

o

Tota p.24. quid habuit amplius, quã putidã de effectis, quod ex suis causis producantur, tautologiã? Quid in vestibulo 25. affertur noui? *Caro & lignum, inquit, si effecta fuissent ignis terræ & reliquorum, quæ Elementa appellantur; profecto ex ijs elicerentur, quoniam effecta in suis causis sunt potestate, ex quibus actu elici & educi solent.* O fatuum hominis ingenium & plus quã bliteum stuporem. quoties dicendum est, toto cælo istam Scotisticam eductionẽ ab Aristotelea ἐκκρίσει aberrare? Quid, quod etiamsi vtrumque asseratur, adeo tamen se non euertant, vt potius consentiant quam dissentiant? Nam & Elementa ex resolutis mistis exeunt, & effecta prodeunt ex omnibus suis causis concinnata. Hoc genericum est, illud Speciale. Quatenus enim ignis, aër, aqua, terra, prodeunt ex mistis educta ab aliquo efficiente vt calore, effecta dicuntur: quatenus sunt Elementa, quæ primũ constituerant mistũ, & vltimo misti partes arguũt, eatenus sunt causæ; verùm non omnes sed tantum materiales corporum mistorum. Quomodo ergo verum erit, quod mentitur audacter Scotus, contradicere sibi philosophum posse, etiamsi vtraque phrasi vteretur? Quomodo assentiemur his, quæ versu.14. temerè effutit his verbis: *Non igitur quod hæc ex mistis educantur existimare debemus, hæc ipsa mistorũ esse causas principia & Elementa: sed multo magis concreta corpora horum principia & causæ, putanda sunt, quod ex mistis veluti ex suis progenitoribus eliciantur & educantur hæc quæ vulgo Elementa dicuntur?* Colligamus quæso rationem: *Quæ educuntur ex mistis, ea non sunt statuenda eorũ Elementa sed potius contra quod mista sint Elementa eorum quæ educuntur.*

Ignis, aër, aqua, terra educuntur ex mistis: Ergo ignis aër aqua,

aqua, terra, non sunt statuenda Elementa mistorum: sed potius mista esse Elementa istorum.

Propositio probatur: quia mista tanquam progenitores sunt & causæ. Hic est ille fœtus, quem prægnans supra Scotus parturiuit: sed ante aliquot millia amorum ab Anaxagora & alijs progenitus. Itaque Ampullas istās vanæ gloriolæ merito amisisset disputator. Sed quis tàm imperitūs sit, vt propositionem cum pro syllogismo admittat? Falsum & vanum vtrumque est. Stolidum enim & inane est mista vocare causas Elementorum; simpliciter & composita anteponere simplici. Sed paulo ante vberius satisfactum est; & infra idem sophisma recurret.

Notabitur interim illud secundò; quod generale facit id, quod vix speciale est; nēpe effecta in suis causis potentia existentia, actu inde educi. Antea enim diximus, in plurimis hoc falsum deprehendi.

Addit autem tanquam mirabundus; sed quid est quod ait: Carnem aut lignum non esse in igne? Quasi verò effectus ex vna sola causa educi possit, si plures necessario ad eius constitutionem concurrant.

Ενλεκτικὸν vocant ἐπιχείρημα quod ἀπειρίαν prodit. Erubescat Ergo Aristoteles quod ex solo igni statuerit mistum fieri aut educi. Verba eius ita habent: ἐν μὲν σαρκὶ καὶ ξύλῳ καὶ ἑκάστῳ τῶν τοιούτων ἔνεστι δυνάμει πῦρ καὶ γῆ. φανερὰ γὰρ ταῦτα ἐξ ἐκείνων ἐκκρινόμενα: ἐν δὲ πυρὶ σὰρξ, ἢ ξύλον οὐκ ἐνυπάρχουσιν, οὔτε κατὰ δύναμιν, οὔτε κατ' ἐνέργειαν. ἐξεκρίνετο γὰρ ἄν. ὁμοίως δ' οὐδ' εἰ ἕν τι μόνον εἴη τοιοῦτον, οὐδ' ἐν ἐκείνῳ. οὐδὲ γὰρ ἢ ἔσται σάρξ ἢ ὀστοῦν, ἢ τῶν ἄλλων ὁτιοῦν, οὔπω φατέον ἐνυπάρχειν δυνάμει

Totum locum apposuimus: Nam illud etiam φάντασμα refutat, quod antea & paulo post de effectis,

quæ

quę dicuntur ex causis educi & inesse potentiâ enũciatur. Negat Aristoteles mistum potentia in Elemento inesse dicendum esse. Sed de priori quod vrit Scotum, dicimus: sophisticam textus deprauationem esse. Quæstio erat. Num ignis, aër, aqua, terra, essent Elementa, an verò mista. Argumentum petitur ex parte definitionis; quod illud sit Elementum, quòd insit potentia in altero. Negat philosophus in igne & reliquis (non simul sed separatim existentibus) inesse mista similiaria, quia inde non excernuntur. Scotus ait; eũ iniuria id negasse, quia debuerat omnia Elementa simul esse complexus. At, inquam, vir bone, non attẽdis vim totius argumenti. Nam si mista essent Elementa simplicium; nõ omnium simul essent, sed cuiusq; separatim: ita vt caro lignũ & omnia quæ ad μῖγμα illud seu πανσπερμίαν Anaxagoream requiruntur, in singulis cõtinerentur potentia. Mistum vnumquodq; Anaxagoras statuisse proditum est. Itaque ex vnoquoque secerneretur Vnumquoduis. Contra hoc itaq; disputandum erat. Sed esto: vis argumenti de omnib. simul accipiatur: An non licebat Aristoteli vnum pro omnibus posuisse, vt sæpe facit, vno atque altero tantum nominato; Interdum reliqua designat per vocem συςοίχου? Imo licebat. Vt deprehenderetur hîc Scotistica fides in recitandis verbis, quibus addit Aristoteli particulam omissam, SOLVM. Neutiquam enim neque hoc neq; illo sensu de vno solo Elemento sermo est, id quod antecedentia apertissimè euincunt. Eodẽ paralogismo possem ostẽdere peccatum esse in ligno & carne. Cur enim non addit reliqua similiaria? An solum lignum & caro educerentur? Sed stultorum stultus est sermo. Quid postea arroditur? Digressio instituitur admodum

quo

quo ignis ſeparatur,quo negato ſimul negatum fuerit ignem ineſſe, vt Elementum. Conſideretur λόγος:

Quæ inſunt vt Elementa,ea ita ſeparantur vt pars ex toto: Ignis non ita ſeparatur:Non itaque ineſt vt Elementum:Et ex conſequente falſum eſt,Ignem ideo eſſe Elementum,quia inde ſecernitur.

Probatur aſſumptum ; quia Ignis per motum & conflictum elicitur.Conſectarium illuſtratur antitheſi ad impoſſibile: Eſto Elementum,quia ita ſecernitur; Ergo & dum ex radijs ſolaribus ope Speculi concaui elicitur, vt Elementum in Sole inerit & per conſequens,Sol erit igneus,cum radijs ſuis & aſtris alijs:quod Ariſtoteli abſurdum eſt:Contrariũ ergo verum.Miramur hîc cur ad vnum Elementũm aciem direxerit & non potius ad omnia; cum qua ſunt Elementa,omnium ſit eadem conditio.Sophiſma in adiuncto eſt , eiuſque munimentum ali enum ómnino.De flamma,quæ eſt exuperantia caloris,loquitur probatio: de igni Elementari aſſumptum.Deprehenditur ergo falſitas & ἀσυλλογιςία ex Elencho æquiuocationis. Probet Scotus ignem Elementarem neque concurrere ad generationem miſti ; neque ſecerni per corruptionem: laudabimus conatum.Interim etſi iſti modi flammæ conciliandæ eſſe poſſint; tamen ob diſparatum non negari poſſunt etiam alij:Meram ἀσυλλογιςίαν parturit dum concludit ignem debere eſſe in radijs & ſole & aſtris , quia inde prolicitur:ſi id ineſt, quod prouocatur, aut Elementum eſt. Prouocatur quidem,ſed Elementum eſſe non neceſſe eſt. Nõ enim vt in compoſito ineſt,prouocatur, ſed vt effectum, quod adiuuatur diſpoſitione certa ad materiam. Calor multiplicatus, ſi materiam arripiat cremiam

Si e quocunque elicitur ignis, in eo ignis eſt vt Elementũ, etiã in ſole ignis erit,cũ inde Elicitur: Sed in Sole nõ eſt: Ergo non è quocunq; elicitur &c. Concedi totum poteſt. Nam ſat eſt ſi particulare retinemus.

arripiat cremiam;facilè abit in flammam ; perinde vt Naphta, vt Clobi illi, qui ex calce viua & alijs cõfecti, aqua incenduntur. Verum enim vero non mediocris est quæstio, vtrum omnia, quæ vocantur Elementa, ita in sint vt materiæ partes, quibus misti corpus constituitur ; an verò aliqua tantum. Nos supra aliquoties ita cum philosopho locuti sumus, vt & Ramus sentit, quasi omnia Elementa statuerentur ab eo causæ materiales mistorum. Sed & diuersum sentire videtur non paucis in locis. Quatuor inesse tradit in 4. Meteo: duo agentia, duo patientia sic in 2. de generat. & corrupt. & 3. cæli. Item 2. de par. an. 1. Humiditas, caliditas, siccitas, frigidas, materia sunt corporũm compositorum. Vide cap. 3. de long. & breu. vitæ. 2. de Gener. & corrupt. tex. 48. & 49. 1. phys. textu. 44. Duo tantum materiam facit itidem in 4. Meteororum. Vbi duo patientia nominat, siccum & humidum; quæ paulo post etiam materiam vocat. Sic in hæc abire putrescentia ait, quia ex ijs sint facta: item finem eorundem terram & fimum. 4. Meteo. 4. Animalia in terra & aqua solum sunt; in aëre & igni minimè, quia terra & aqua corporum sunt materia. Sic in 1. de part. an. 1. 4. Meteo. 4. Nos ita excusare ista solebamus: In generatione corruptibilium eiusdem generis debere esse plura, vt actio & passio fieret. Itaque quædam materiam constituunt, quædam agentia sunt proxima in materia, Verùm eiusdem non alterius generis. Quanquam enim vis cæli & plastica, quæ in semine in est mediante calore & Spiritu, natura, & alia concurrunt; tamen non agunt aut patiuntur per se, cum in materia formam per se non habeant, sed per alia tanquam instrumenta opus efficiunt. Illa itaque sunt prima efficientia : Elementa verò secundaria impulsa

Vide & 3: de gen. an. cap. 11. Ignis semper formam non propriam habere videtur. Sed in alio corpore &c.

De his disputabitur alio loco.

impulsa & agitata ab illis. Quanquam ergo Aristoteli materiæ ratione omnia dicantur, tamen misti corpulentiæ respectu tantum duo id nomen iure habent: reliqua duo sunt materia, quæ sustinet vim primarij agẽtis, & sine qua non posset fieri aut perfici generatio. Etsi autem alienas peruehunt vires, tamen proprijs non sunt otiosa: sed per vtrasque simul & semel peragitur opus, sitque temperamentum misti, quod quam diu manet (manet autem vsque ad extremam corruptionem, si non idẽ numero, genere tamen) tam diu necesse etiam est manere fundamentum eius. Itaque quatuor proximè constituunt mistum dum alterantur & vniuntur: quatuor ex eodem redeunt post resolutionem etsi non ad sensum. Mouit hanc quæstionem etiam Cæsalpinus, Summus nostri æui philosophus lib. 4. quæst. peripat. quæst. 2. Diluit eam ita; vt dicat materiam sumi ex terra & aqua; perfectionem mistionem fieri à Solis calore. Hic dum operatur, producit ex terra ignem, ex aqua aërem, cum frigidum in calidum transit: Vnde accidit postea mistio quam docet in secundo de generat. & corrup. text. 48. Aristoteles.

Sic intelligatur id quod Arist. negat ignẽ generare. 2. de gen an. 3. siue quod flamma, siue quod simpliciter non generet,

Vbi igitur hæc mutatio ex toto facta est, non mistio est, sed aëris & ignis generatio: si autem secundum partem, necesse est fieri mistionem. Medium autem omne naturã extremorum habet. Mista igitur cum sint media inter calidum, humidum, frigidum, siccum: naturam omniũ Elementorum participare oportet, quãuis materia initio ex aqua & terra sit assumta. Hæc sententia est Cæsalpini; quẽ inter alia ad hanc expositionem mouet, ignis locus remotus à loco generationis. Sed quanquam ibi dicatur ignis post suæ lationis perfectionem esse

Sed adhuc de locis ignis magnà quæstio est.

non tamen video, quomodo in terra, vbi assiduo generatur, esse negandus sit. Fomenta enim non tantum in ea, sed & in aëre habet. Testantur subterranei ignes multis in locis. Eodem argumento negarem Solares radios ad generat. aliquid facere: Adde quod horum ope subinde gignatur. Vt vult Cæsalpinus. Quæ Mercenarius, Curæus & alij cõtendunt, consulto omitto. Scotum hortor vt tale quid nobis in naturalibus machinari velit potius quàm vocabulorum ambiguitates venari, indeque portenta absurditatum & paradoxorum defingere. Hoc enim leuissimi quoque ingenij est, illud non nisi ardui.

Hactenus voluit aduersarius experientiæ adminiculo sed ratione destituto comprobare, non sequi, ignem, aërem, aquam, terram, esse Elementa, ideo quia insint potentiâ in mistis & inde separentur. Recensuit quidem patres, casèos putres, opifices, ignis excitationem; sed omnia ἀπροσδιόνυσα & multiplici sophisticâ concinnata. Contra quæ victoriam veritati Aristoteleæ fauere patuit. Ad rationũ pondera accedimus.

Repetitur thema superius, quod Aristotelem argumentum à definitione sit parum firmum; quia nempe aliud subsumserit, quàm debuit. Quid ergo? Num ἀσυλλόγιστος Aristoteles? Num vanam & inutilem genuit consequentiam?

Qui in syllogismo aliud assumit quam debet, eius argumentum parùm est firmum: Aristoteles in argumento à definitione aliud subsumit, quam debebat: parum ergo firmum est eius argumentum.

Valde meticulosus est in pronunciando Scotus, nempe quia Logicâ disciplinâ & vsu incultum omnino habet iudicium. Itaque in eodem enunciato

bis

bis inculcat suum videtur:parum, inquit, mihi firmum videtur eius argumentum : Ecquid videtur? Imo si arguméto vteris vero, omnino necessarium & iudicatum id fuerit.Sed quo pacto munis assumptum?Contingẽtis enim est iudicij.*Debebat*, inquis, *subsumsisse reliqua corpora diuidi in ignem & terram; non ignẽ ab ijs separari & elici.*Qui vero istuc? *Quia*, inquit, *propositio erat,Elementum est id corporum, in quod cætera diuiduntur,cum potestate insit vel re ipsa.*

Quasi verò adeo extra oleas esset ratio. Ita enim informatur. Id in ꝙ cætera diuiduntur &c. est Elementum.Ignis, aër, aqua, terra:separãtur ex mistis Ergo,ignis,aër,aqua,terra suntElementa.In assumto verba mutantur ratio manet eadem. Id quod logicus,cuius ars mentis est,non curat.Aperta autem est ratio Aristotelica , quam & supra recensuimus, etiam hoc modo.

Si Elementum est id quod dictum est , necesse est vt sint quædam talia corpora,quæ insint potestate , & quæ separentur rursum.

Sed prius est:Ergo & posterius.

Iam:*quæ insunt potestate & separantur;ea sunt Elementa:Ignis,aër,aqua,terra, insunt in mistis seu reliquis potestate & inde separantur.*

Ergo &c.Non autem scripsit philosophus Bœoticis istis & crassæ Mineruæ ingenijs. Imo dedecet philosophicam dignitatem tam pueriliter texere & retexere Syllogismos, vt omnino nulla committatur crypsis. Ratio per se est manifesta: Exuat imo profliget Scotus tenebras, & lumine copioso illustrabitur: Videtur autem ipse hoc voluisse cum suo monstroso sophismate: Qui definiens Elementum, quod sit corpus in quod reliqua diuiduntur,quodque potentia inest , subsumit , ignem ex ijs elici

& ſeparari, is aliud ſubſumit quam patitur definitio. Ariſtoteles id fecit.

Ergo &c. Probatur propoſitio: aliud enim eſt in alia diuidi & diſtribui, veluti in ea ex quibus conſtet, aliud eſt educi quippiam ex alio aut ab alio ſeiungi & ſeparari. Sed quis non videt Elenchum homonymiæ? Diuidi logicum eſt; Itaque etiamſi integrum maneat ſaluum, tamen poteſt in membra diſtribui: at de tali diuiſione philoſophus non loquitur: ſed περὶ ἐκ κρίσεως de reſolutione aut ſeparatione, quando quod ineſt, ex eo cui ineſt, ſeparatur per corruptionem integri.

Alibi vtitur & his: χωρίζεσθαι cui opponitur προσγίνεσθαι

Nec tam longis inter ſe diſtant interuallis: diuidi in partes ex quibus conſtat aliquid; & ab eo ſeiungi & ſeparari. Eſt enim & hæc diuiſio quædam. Et quæcunque partes per diuiſionem ex miſto emergunt, eæ, quin ſeparari quoque poſſint, quid adeo obſtat? Diuiditur animal in corpus & animam; eædem partes poſſunt ſeiungi: corpus in membra & truncum: & iſtæ ſeparari poſſunt: Et ſic in reliquis, niſi quod alia ſit Logica diſtributio, alia phyſica ſeparatio, quę fit actu, de qua ſermo eſt philoſopho: ſicut ſupra quoque confeſſus eſt Scotus ipſe. Sed benè ſe res habent; Verba tantum cauillatur hæc ratio.

1. Gener. & corr. tex. 2. διαλύεσθαι συντίθεσθαι, διαιρεῖσθαι συγκρίνεσθαι, διακρίνεσθαι.

Nam vt maximè ita debuerit loqui philoſophus; effeciſſet tamen quod voluiſſet per quam cōmodè. Etenim ſi miſta diuidantur in ignem, aërem, aquam, terram, vt partes integrorum; Quid ni ex his conſtent? Admonemus Scotum vt ad exemplum Petri Rami, longè æquius hac in parte iudicantis, vim rationum, non verborum ſitum, quem Logicus adeo non curat, contempletur;

Quod ſi vellemus ad eandem amuſſim Scoti ratiun-

tiunculas & distortas conclusiunculas reuocare, quantam farraginem congesturi essemus? Hæc vnica saltem ratio fuit Scoto, qua impugnaret Aristotelicam consequentiam, qua ex definitione arguit definitum. Sed profectò parum fœliciter eam protulit. Additur Coronidis loco ἐξωτερικόν & Metaphysicum de æternitate specierum. Nihil habet amplius quo tam immotam cõseeutionem irritam reddere possit.

Thema nouum quærit, negatque potuisse mista ex Elementis constitui: quod quidem argumentum ad alteram partem instituti de mistorum generatione pertinet: sed vt maturè pateret, quid monstri aleret, aspersit his idem.

Si species rerum æternæ sunt, mista non possunt oriri ex Elementis: At illud: ergo & hoc: Cõcedo totum ἐπιχείρημα de speciebus intellectum. Etenim secundum speciem nec mista fiunt nec Elementa: Generatio Aristoteli est in singularibus & sensibilibus in loco corruptibilium; sicut in secundo de ortu secundo manifestè asserit. Idem in 4. Metaph. textu 23. & alibi.

Destituitur ergo hîc fine suo Scotus, dum ijs armis petit philosophum, quibus nihil offenditur. Imo quæ in castra eius manifestè secedunt. Sed de his infra. Vana itaque & experientia & ratio Scoti nihil amplius, puàm pueriles elenchos pepererunt, stante adhuc firmiter Aristoteleo propugnaculo.

QVAESTIO V.
De Elementorum Numero.

Disceptatur cuput VI. Iacobi Martini Scoti, quo philosophi rationem de numero Elementorum ex quatuor qualitatibus tactilibus primis euertere cupit.

CVm numerus sit insepàrabile à rebus adiũ ctum: Elementa existẽtia aliquo numero esse oportet. Numerus etiãsi facilè manifestatur per definitionem, quæ quàm optimè differẽtias in rebus statuit & colligit homogenea, separat heterogenea: tamen in dubium vocatus est, quod, quibus corporibus competeret Elemẽti definitio, controuersum maxime videbatur esse. Conuentum est Elementum esse primum corporum sensibilium generabiliumque, quod constitueret reliqua, vt materia, quodque cum non interiret penitus, sed potentiâ restaret, vltimo post resolutionem integri misti, emergeret rursum. Democritus & Leucipus dicuntur accommodasse definitionem ad Atóma genere eadem, specie diuersa infinita: Anaxagoras ad infinita ὁμοιομερῆ Plato ad ἐπίπεδα finita: Parmenides & Melissus ad vnũ quid immobile; physici ad mobile: Empedocles ad concordiam discordiãq; vnde factũ sit, vt olim in vno confusa Elemẽta discesserint poste, factaq; sint ignis, aër, aqua terra: quę eadẽ Hippocrates & alij Medici; aliqua etiam ex parte Plato agnoscũt. Pythagorei numeros attulerunt: Aristoteles infinita statuenda negat, cũ per finita fiant eadem cum differentiæ sint finitæ argumento sensuum: Cum sciri possint, &

1. de Gen. & cor. tex. 5. & seq. 3. cæli tex. 24. 37. & seq. 1. phys. tex. 6 & seq.

13. Metaph. 1. cæli tex. 38

quæ

quæ plura in phyſ. 3. cæli & de ortu alibique contra eos diſputat: præſertim ex definitione contra Anaxagoram. Nam corporis finiti, finita ſunt Elementa: cumq; egrediantur finita, ex infinitis conſtituta non fuerint. Sic eos quoq; confutat, qui vnum ponebant infinitum. Præter enim abſurditates, quas ſinguli inter ſe variantes in ſuis decretis incurrunt, omnes vnum motum ſimplicem, imo omnium ſtatuere coguntur. Pythagoreos numeros in Metaphyſicis explodit: plana Platonica refutat in 3. cœli & 1. de ortu, &c. Eos qui ignem, aerem, aquam, terram ponunt, probat hactenus, quatenus de numero bene loquuntur. Etſi quædam abſurda admiſcent, vt Empedocles concordiam & diſcordiam; & dum tranſmutationem mutuam negat. Alij vero aliud Elementum, alijs prius faciunt. Quod autem ignis, aer, aqua, terra, ſint Elementa, ex definitione patuit, quam veteres conceſſerunt, & inſuper generationem ex Elementis vocarunt compoſitionem, generationem in Elementa reſolutionem. Vnde patet numerum egredientium, vt & rem, reſpondere numero & rei componentium. Hæc & ſenſus teſtatur. Nihil enim eſt in toto corruptibiliū mundo, quod non vel ad 4. iſta principia, vel ad compoſita ex illis poſſit referri: Et plura argumenta in 2. de ortu commemorantur: In quibus etiam hoc eſt, quod de differentijs primis ex Analogia ad naturæ præſcriptum deducit. Conſentit enim pulcherrimè ordo differentiarum cum rebus ipſis, adeo vt ratio quoque non aliter fieri debuiſſe concludat. De ſenſibilium miſtorum principijs quæritur; de corporibus itaq;, ijſq; ſimplicib. & primis: Id quod omnibus veteribus confeſſum fuit. Simplicia autem intelliguntur ὁμογενῆ, & in ſpecie diuerſa indiuiſi-

3. cæli tex. 51.

3. cæli text. 47.

2. de ortu & inter. tex. 7.
3. cæli tex. 55.
2. de ortu textu 32. & ſeq.

uiſibilia:prima quæ ex prioribus non ſunt orta. Talia neceſſe eſt per affectiones ſenſibiles eſſe ſenſibilia, quas, cum prima ſint, primum habeant, non ex alicuius prioris vi & poteſtate. Quin & cum affectiones ſenſibiles plures ſint, neq; omnes ad rationem Elementi pertineant, eæ tantum quibus præſentibus opus Elementi primi ſenſibilis completur, pro differentijs Elementorum proximis erunt habendæ. Elementum autem fit Elementum per qualitates ſeu formas agentes & patientes, primum inhærentes: Et hæ ſunt: calor frigus, ſiccitas, humiditas: Hæ itaque erunt differentiæ proximæ, quibus numerus Elementorum exactè definietur. Accedit; quod & primum ſenſum primum attingant moueantque eædem.; & ſimiliter inter omnes eiuſdem ſenſus, reliquorum ſit origo. Probabilius itaque eſt Elementa iuxta eas eſſe deſcribenda. Primo Elemento aut cælo iſtæ aſſignari primum non poſſunt: cum tantum ex accidente talia eſſe corpora cæleſtia ſentiantur; quin & dicantur effecta iſta ab horum adiunctis genere diſtare. Ex his fundamentis deducit poſtea philoſophus numerum Elementorum, ad qualitatum iſtarum in ſingulis præpollentium ordinem definitum, ita tamen vt ἐκ δευτέρων εἰς πρῶτα ratiocinando decurrat: vt: Quia Elementa ſunt, ideo differentias tales eſſe neceſſe fuit; Item ab his ad illa, & contra, reciprocus eſt ratiocinando diſcurſus. Quanquam debetur cuique Elemento vnica numero & ſimplex qualitas prima ſenſus primi: nihilominus tamen naturali conſenſu eę quæ deinceps ſunt, faciunt, vt ſingula inter ſe familiaritate quadam cohæreant, omniaque per ſimilitudinem aliquam ſibi mutuo ſunt cognata. Ita fecit prouida natura, vt ſemper agenti qualitati aliqua

De quo tamen mouebitur alibi cötrouerſia.

qua

qua patiens & materialis esset coniuncta, neq; posset aliquid calidum aut frigidum esse, quin simul aut humidum aut siccum foret. Philosophus itaq; non ex suo placito, sed naturæ instituto συνδυασμὺς in primis istis collegit, atque singulis Elementis geminatas qualitates primas assignauit. Vnde ex quatuor combinationibus totidem producuntur Elementa. Quo maximè patet eum non rationis discursum, sed ipsam naturam ducem secutum fuisse, alioquin plura quaternis emersissent. Hæc philosophi sententia est de numero primorum corporum, quæ sunt sensibilium generationi subiectorum principia. Scotus improbaturus rationes philosophi, exordio instituit. Historiam similem de indagando numero; postea fundamentum ita enunciat: *quod philosopho* TOT *videantur esse Elementa, quot modis qualitates, quæ pro formis Elementorum habentur, inter se coniungi & copulari possint*: quod nos non aliter accipimus, quàm quòd cum natura omnia pulchre consentiant & ordine summo sint disposita, ex posterioribus ad priora arguenda fiat progressus. Inde repetitur modus combinationum: Quarto loco contra disputatur: Et primum quidem ita vt veluti breui Emblemate seu scommate inconstantiæ arguatur Aristoteles, dum generat Elementa alibi æterna dicta, quasi futilis sit generatio quæ tribuitur æternis, ingenerabilib. prorsus. Nos agnoscimus ignauam tautologiam, & ex superioribus repetitum sophisma. Specie æterna esse Elementa, generari singulariter, dictum est; Vnde axioma: Impossibile est Elementa esse sempiterna; Et mundus specie æternus, dispositionibus quibusdam mutatur. Secundo loco valde insolenter & superciliosè irridet Galeni de Aristotele testimonium, quasi immeritò ei tribuis-

tribuisset laudem optimè explicati Hippocratis. ἀιρωνευόμενος vt hæc loquitur: ad demonstrationem prouocat. Nos notato tantum scommate, expectabimus euẽtum; & postea reponemus ipsi talionem. Arguitur deinceps Thesis hæc: Elementorum numerus nequit ex qualitatibus tactilibus definiri. Argumentum asciscitur ex posteriore parte c.3. vbi volebat ostendere generationem Elementorum simplicem nullam esse quia repugnaret principium formale; vtitur autem his verbis: *Nihil dico de qualitate tactili, ex qua & materia prima conficiuntur, &c.* At hic asserit satis superq; dictum esse de qualitate, quam nullo modo principium Elementorum esse ostenderit: Nos putamus pudidissimam cõtradictionem esse; & deinde vanam gloriam. Qui enim vult videri demõstrasse abunde, cum vix aliquid dixerit: eum pro fumi venditore merito habemus. Sed inspiciantur superiora: Et deprehendetur in vestibulo ea de re magna pars sannæ Scotisticæ in Galenum & Aristotelem. Cogitent autem etiam Dialectici, qua vi arguatur Thesis: Qualitas non est principium Elementi: Ergo numerus Elementorum non debet definiri ex qualitate: quasi aliquis argueret gregem non esse ex colore numerandum, quia color nõ sit sit principium gregis: aut hominem non discernendum esse ab homine per lineamenta, quia hæc non sint hominis principium. Nondum per adiuncta diuidere Scotus didicit: Aut si didicit, candorem suum mirificè prodit. Paulo ante ex motu numerosa Elementa esse collegerat, facto axiomate etiam paradoxo, nempe tot esse Elementa, quot sunt recti motus simplices (hoc est duo tantum) Aristoteli idem permittere non potest: Sed hæc hactenus. Alterum argumentum sumi poterat ex stoicorum,

nempe

nempe, Ciceronis, Senecę, Cardani, &c. Schola, quę omnia Elementa frigida statuere videtur, negans ignem esse Elementum; sed hoc non placet. Aliud molitur grauius: nempe *nullam omnino qualitatem tactilem naturam tribuisse Elementis*: Vnde consequens est numerum Elementorum definiri non posse ex ista: probatur autẽ istud paradoxon: *quia Elementa sint materia tantũ qualitatum susceptiua, ita vt ea extrinsecus veniant, nẽpe à cæli motu, lumine, accessu, recessu. Sic aqua cõgelat aeris frigore, nempe aduentitio. Sic rursus feruore eius feruent omnia. Naturalia autem ita non variantur. Eadem in 1. Meteor. 4. disserit philosophus ipse. Astipulantur raritas & densitas singulorum, quæ omnia referuntur ad sensum & experientiam certissimam, quam ipse Aristoteles secutus fuisset; si iudicium ferre de ea debuisset, relictis vniuersalibus.* Hæc Scotus. Nos hic attendere oportet. Videtur enim hoc potissimum ex illis esse, quæ auribus nostris in libri vestibulo promisit author noua. Arguit ita: *Quæ natura non tribuit Elementis, ex ijs definiri eorum numerus non potest: Qualitates tactiles natura non tribuit Elementis: Ex his igitur numerus eorum definiri nequit.* Hæc forma alioquin ἀσυλλόγιστος habita, condonabitur consecutioni ad contraria. Materia ipsa ecquid habet solidi & firmi? Propositio duplici nomine sophismatis versutissimi peragitur rea. Etenim generaliter enunciata deprehenditur particulari contingentia iudicanda, si quidem natura tributum ab interno, penitusq́; formali principio ortum habere intellexerimus. Quanquam enim tum formæ ipsæ tum differentiæ propriæ proximæq́; maximè discernant res inter se: quid tamen obstat quin cõmunes quoque in certo genere & subiecto diuersæ, discrimen & distinctionem pariant? Nemo, opinor, colorem ita tribuerit homini, vt ex interiore natura produ-

ctus

ctus sit stabile perpetuumque adiunctum eius, cum homo ex colore neutiquam definiatur. At discernere Aethiopem à nostris ita solemus? Ex colore etiam numerum interdum rerum diuersimode coloratarum petimus. Taceo quod multa per artem accedant rebus, multa per casum, quæ ad numerum iudicandum adhibere solemus. Primum sophisma hoc est, vt nisi sola naturaliter primoq; inexistentia numerum designare demonstrentur, assentiri deductæ inde complexioni non possimus. Alterum Elencho ὁμωνυμίας fallit. Videtur enim illud, *Natura tribuit*, modo ex materiæ modo ex formæ ratione accipi posse. Si illa spectatur: Cum Elementorum materia sit commune omnium subiectum, non erit quod vereamur aliquam qualitatem Elementarem ipsis Elementis à natura non attributam esse, vt hoc nomine veritas assumpti omnino intercidat. Si forma: aliquis sane modus dandi numeri interceptus fuerit, sed vt dictum est, non omnis. Est & tertium quod nos valde amplectimur. Neq; enim formæ neq; materiæ solis & per se differentiæ, per affectiones assignatæ; præsertim hæ de quib. hic disputatio est, sed toti attribuendæ vidētur. Qua ratione inferius Scotus ipse negabit, qualitates agere patiue; cum totū agat & patiatur. Tam itaq; incerta propositione & munimentorū experte valde metuendū est de assumto deductoq;. Negat assumtum, naturam tribuisse Elemētis qualitates tactiles; quippe quæ sint materia omniū qualitatū susceptiua. Hoc verò mirificum est: esse susceptiuum omnium qualitatū (frigoris caloris, siccitatis humiditatis intelligit Scotus) Et natura nullam inesse: Inerunt itaque, si quæ inerunt itaq;, si quæ inerunt præter naturam tantū? An quid est mediū inter natura inesse & præter

ter naturam? Si ineſt aliqua præter naturam (nam impoſſibile eſt omnes præter naturam ineſſe.) ergo aliqua ſecundum naturam, cum fieri nequeat, vt affectiones ſint ſeparabiles. Dato hoc: quæ aſſumti erit veritas? Poſtea ſi nulla harum ineſt natura, poterit fieri vt nulla aliquando inſit. Non enim ſemper præter naturam affecta fuerint Elementa. Impoſſibile enim eſt, id perpetuum eſſe, quod eſt præter naturam. Vlterius ſi calor frigus, humor, ſiccitas non inſint natura, neque reliquæ quę ab his dependent, natura inerunt: nempe durum, molle, lubricum, aridum, aſperum, lene, craſſum, tenue, imo ne graue & leue quidem cum frigori videamus præſertim in craſſiore corpore coniunctam grauitatem, calori leuitatem quotidiano experimento edocti. Principijs enim nō exiſtentibus natura, quomodo, quod ab ijs oritur inexiſtet? Verùm age miri ficee phyſice; Ecquis tibi ignis poteſt vnquã eſſe frigidus; quę aqua naturali actu ſicca; quæ terra humida, quis ignis humidus; quis aer ſiccitate terrea naturaliter affectus? Adde qualitates conſequentes: An tu vnquam aridam aquam, durum ignem, mollem per ſe terram, aerem durum & aridum; leuem terram abſolutè, grauem ſimiliter ignem vidiſti, audiſti, aut vllo alio ſenſu percepiſti ſecundum veritatem naturalem? Ecquis adeo auſus eſt τὰ ὑπέρτερα νέρτερα θέσθαι? Quis rerum naturam multo peius Scepticorum ſomnijs abolere & certitudinem è medio tollere? Mirum eſt tam abſurdum Pyrrhoinorum fœtum patronum in Taurinenſi Academia reperiſſe, eumq; commendari ab acutiſſimo Tempello. Sed quid affert pro tam abſurdi cómmenti probatione? *Materia tantum*, inquit, *ſunt Elementa, quæ modo calida modo frigida, modo humida, modo ſicca eſt.*

O te

O te censoreRamo & Iacobo Martino dignum; potestne aliquod corpus esse perfectum, quod sit tantum materia? An non Scotus nos instituebat supra materiæ rationē esse meram potentiam? Sed materia dicitur pro subiecto alterationis. Formam ergo habet: Impossibile enim est materiam sine forma esse. At inquam, ita habet etiam differentias formę proximas & immutabiles? Graue & leue permutantur etiam in eodem: Non ergo hæ formæ sunt perpetuæ & proximæ: sed nec secundarum aliqua perpetua est, nisi primæ sint: Adde quod tu ipse appellas istas res Elementa: An idem est Elementum & materia? Non opinor: ratio enim tota differt. Age ergo explica nobis Elementorum proprias affectiones, quid materiam obtrudis? Vnde autem accidit vt ista materia variet qualitatibus? Causam confert in diuersum accessum planetarum & recessum pro vario eorum lumine, vario & multiplici cæli motu. Declaratur id in singulis: aer friget, caletq; vicissim etiam excessu; item siccus est & humidus, &c. Sed quæso Scote, si dederimus tibi, variari corpora subiecta varijs viribus cæli & partium eius; cum infra dicas supremam mundi Elementaris partem calorem concipere à cæli motu; idemque accidere aeri: num hoc perpetuo fit, an interdum est, interdum non est? Si illud; quomodo tua mutabilitas potest habere locum quomodo non naturale sit, quod perpetuum est? Si hoc, quomodo effugies, quin aliquando cælo nullum tribuas motum, dicasque aut omnino interire ignem, aut eum aliquando fore frigidum, & ex consectario crassum te censore? Si potestatem intelligis, vicerit Aristoteles, cui omne Elementum est, propter materiam, contrarij susceptiuum; sed ita vt tunc in aliud transmutetur, si differen-

feren-

ferentia fuerit mutata. Motum etiam poteras interpretari pro partium ratione; ne vniuersi cæli intelligas, sed solis & planetarum: Verùm eodem ab surdo secuturo. Erit enim vel frigidus ignis vel nullus, Sole in Meridionalibus signis versante. Hæc prima contradictio disputationis. Altera est quod asserit, tenuiora esse calidiora natura: Atqui Scote, negas Elementis calorem inesse natura: si simpliciter calor illis natura non est tributus, qui potest calidior constitutio conuenire? Esto ignis semper rarus: semper ergo calidior: Tale autem natura inest igni. Quo pacto iam variatio ad humidum & frigidum erit per accessum & recessum syderum? sed aliud affertur argumentum, quo thesis arguitur eadem.

Contradictio.

Contradictio.

Quæ natura cuiq; ingenerata sunt, ea semper eadem manent, nec vnquam re ipsa salua, euanescunt: Calor, frigus, humor, siccitas non manent semper; sed mutãtur & euanescunt in Elementis: A natura igitur calor frigus humor siccitas non sunt ingenerata Elementis.

Probatur assumptio: quia aer modo feruet, modo friget, modo siccus modo humidus est: ita terra quoq;, &c.

Amplectimur propositionem vlnâ vtrâq; obuiã. Verè enim naturalia sunt perpetua, nec vnquam si propria sunt re salua mutantur: idq; ex immutabili decreto diuino; quanquam penes autorem ista potestas est, vt possit reuocare cursum naturæ & impedire effectus naturales; id quod non semel viuis argumentis probauit. Sed tamen particularibus istis exemplis vniuersalem ordinem nequaquam aboleuit. Vide autẽ, Scote, quid nos ex media experientia elicere possimus: Ignis semper calidus est, quia semper calefacit naturâ, semper comburit ex eadẽ causa

caliditatis cum ſiccandi attenuandique vi coniuncta; ſemper diſgregat heterogenea nullo obſtante: Aqua ſemper madefacit, nec vlla ſyderum vi poteſt actualem ſiccitatem, aut etiam potentialem primò vt eſt aqua per ſe ſimplex, accipere: Terra ſemper in ſe ſicca eſt; aer fluxilis & humectans: Quid inde conſequitur? nempe, quod cum iſta omnia conſtent effectis certiſſimis & ſenſu exploratiſſimis: neceſſario qualitates iſtæ ex naturæ immobili decreto inſint Elementis; & hinc etiam ipſis communicentur miſtis, quæ talia ſunt potiſſimum, qualia à principijs permittuntur eſſe. His ita firmis & immotis; quicquid contra aſſeritur, id oportet eſſe nō falſum tantum, ſed & impoſſibile. Fieri enim nequit, vt ignis qualitas, calorem & ſiccitatem dico, ſaluo igne aboleatur: Fieri nequit, vt aqua amittat humiditatem: Et ſic in reliquis. Cur autem Scoti aſſumptum contrarium aſſerit? nempe quia, quod impoſſibile eſt, vt ſit, magis Anaxagoræ delirio & Pyrrhoniorum inſania delirus inſanusq; affirmat. At quid probat? Nempe ab accidente arguit ad vires Elementorum per ſe competentes, idq; tantum particulariter. Non enim in omnia Elementa cadit iſta permutatio; Cū non omnia ita ſint capacia iſtarum qualitatum. Debebat probare in ſingulis Elementis non manere ſemper attributas qualitates; at tātum ait, aquam incaleſcere quandoq;, quandoq; frigere: quid hic de humido & ſicco? Aerem vult interdum feruere, interdum maximè frigere; interdum humeſcere & ſicceſcere, nempe quia mutabilis eſt naturæ, vt ita facilè ab externo agēte impreſſionem ſuſcipiat: quid autem de propria natura ad quam ſponte recurrit ceſſante agente cauſa? Si illa imprimuntur vi externa; præter naturam ſunt: & ideo nō

per

perpetua: Quod præter naturã est, vt supra diximus respicit id ꝙ naturale est, tanquã oppositum cõtrarium, quæ sunt in eodẽ genere. Iam ergo si prima aliqua qualitas est præter naturã; siue tota siue gradib. tantum; an nõ aliqua prima, quæ sit eiusdẽ generis, erit secũdum naturam? Quæ verò ill.? nempe quam non producit violentè agens, sed ad quam spõte redi.; & quæ tunc potissimũ cognoscitur, quando suæ naturę est maximè, quod fieri solet temperatis constitutionib. Ea est frigiditas, si calorem animãtium, tactumq; naturaliter se habentẽ respicias, & ignem: sin aquam & terram, caliditas. Ad omnia moderationem quãdam habet. Maximè enim in medio collocatus extremorum naturam mistura quadam repræsentat. In aqua & terra manifestum est frigus; id quod patet non tantum actu secundo seu effectu, sed & reditu ad hanc naturam post alteratione violentam, cum contrarium agens non cogit. Ferueat aqua quantum potest; stet sub cælo, interdiu etiam, Sole feruente: senties paulatim redire ad naturã suam, & frigus insitum. Ignis autem ne vi quidem frigefieri per se potest citra interitum sui. Male ergo ab eo quod accessorium est, negat insitam naturam noster disputator. Addimus autem & hoc vt rerum naturam explicemus diligẽtius: Quod accessorium est; id omne est secũdarium: Etenim rei iam omnibus suis viribus & partibus perfectæ tanquam affectio quædam peregrina & momentanea in naturalibus adiungitur. Calor itaq; quem sol infert, & frigus à contrarijs causis ortum, cum sint accessoria, vtpote ab externo agẽte ꝓducta in materia passibili; Secũdariæ sunt affectiones. An nõ igitur hoc ipso præexistere alias priores, easq; eiusdẽ generis est cõsequens? Pati nisi dispositũ nihil põt; Dispositũ autẽ

eſt(ſi integra & non morbida eſt natura)ab interna aliqua potentia quam patiendivocant:Ea autem ab efficiente aliquo eſt.Si itaq; toto genere primę qualitates ab Elementis exulant; quomodo ſunt ſuſceptiua externæ virtutis earundem qualitatum?Inſuper ſi qualitates iſtæ ſunt actus quidã eodem modo ſemper recurrentes & agentes;ſiq; ſunt primæ cum alijs collatæ:quorundã corporum primorum actus per ſe erunt. Negant autem in ſtellis perpetuis eiuſmodi actus eſſe;In quibus ergo,ſi Elementa demas? Nam miſta ſecundario talia eſſe, etiam fatui ſciunt. Eſto actus in ſtellis; ſemper ergo idem inde effectus in ſubiecta erit materia: Sol fons caloris cæleſtis & luminis non calefacit niſi diſpoſita ſubiecta. Sæpe enim vẽti aliam qualitatem etiam de ſerenis diebus inuehunt: ſæpe aliud quid prohibet affici aerem. Niues calefacere is nunquam poteſt, niſi liqueſcãt; Neque in altiſſimis montibus & in regione media caloris vis magnopere deprehenditur, etiam nulla vi alia obſtante. Age ergo Scote, cum actus iſti ſint inſeparabiles, quorum erunt corporum primario,ſi nõ ſunt Elementorum? Quin & num tu quid gigni poſſe aſſeras, ſi iſtæ virtutes non ſint Elementorum propriæ? Excitat Sol calorem Elemẽtorum, & eo vehiculo vim ſuam communicat: adime calorem Elementis, quo vtetur vehiculo? Sunt autem corruptibilium cauſæ corruptibiles; neq; ſol dum agit,pati poteſt, cum in materia formã non habeat. Quid autem reſpondebis ſi te ipſum inferius cõtra Fernelium, Argenterium, Ariſtot. & alios ſummos viros & præceptores tibi exoſculandos diſputãtem & turpiſſimè cõtradicentem tuis his ineptijs induxerimus?Toto genere cęleſtẽ,Elementarem & animalium calorem ſeiungis; & per hoc diſcrimen Argen-

Videbimus de ignis & caloris origine alias.

Contradictio.

Mirifice dictum.

genterij argumenta refutas: Quod si saluum est istud discrimen, tuque serio ita sensisti, non potest consistere id quod hic negas: Nam si est calor Elementaris, non est is qui à cæli motu & syderum accessu est; sed est Eleměti proprius, sicut tu ipse subiectis effectis & consistendi modo decreuisti tria ista genera. Sin lusisti, nec seriò approbas istam distinctionem; Vide qua pietate laceres præceptorum tuorum optimè dicta, & dicas Argenterij argumentum assumere falsum & quę alia valde cõtumeliosa in probabili disputatione eructas. Haberemus ex varijs Elementorum effectis quàm plurima quæ tibi eximis rei physicę penetralibus & peritissimis certissimisque etiam mineralium fossorum obseruationibus in oculos auresq; ingereremus, & totam rerum naturam à te euerti doceremus, nisi abvti tempore & lectorum æquitate detrectaremus. Non diffidimus, quin exuta iuuenili lasciuia, altius olim in naturam rerum immersus ista tua tam futilia commenta sponte sis damnaturus. Hactenus secundum argumentum, quod fuit prosyllogismus assumpti primarij alter: & graui concluditur symperasmate, calorem humorem siccitatem frigiditatem non modo pro principijs non habenda esse, sed nec pro qualitatibus, quæ Elementis à natura sint tributæ. Similis fecis est id quod in fine pag. 27. habet: *Elementis plane nullam qualitatem tactu perceptibilem à natura esse tributam.* Vtrumque longè absurdius dictum est, quàm vt vel credi possit vel refutari operosè debeat. Prius paradoxon altera sui parte tantum ex antecedente concludebatur; sed videtur auctum à minore: Si enim calor, humor, frigus, siccitas non sunt Elementorum adiuncta, multò minus causæ erunt, ineptissimè, vt est homo omnis

Pag. 65.

Ineptia Scoti.

omnis Logicæ rudiſſimus, infert. Quæ enim neceſſitas cogit, ſi adiunctum quid nō ſit proprium, idem cauſam eſſe non poſſe? An Architectus cum ædificij non ſit adiunctum eiuſdem principium & cauſa eſſe nequit? Poſterius commentum ſubtrahit Elementis PLANE omnem qualitatem tactilem; accipimus propriam, quæ per ſe inſit.

Hæc eadem diſputat Teleſius lib. 3. de rerū naturæ c. 25. & 26. & alys.

At inquam, ſi tangibilia ſunt Elementa, ſi corpora, ſi aſpera, leuia & omnino materiata, poſitionibus quibuſdam materialibus prædita; cur nullam habeant à natura datam qualitatem tactilem? Ecquid eſt à natura accepiſſe; aut natura tributum eſſe? An non id quod habeas ex materiæ vel formæ aut vtriuſque vniti ſeu totius ſubſtantiæ ratione obtinere; ita vt id ſit perpetuum nec citra interitum ſubiecti mutabile? Deme elimentis qualitates tactiles, videbis an ſalua manſerint: quid autem hoc etiam eſſet aliud, quàm tactum per ſe ineſſe animalibus negare? Obiecto ablato, id quod occupatur in eo naturaliter & per ſe, adimitur. Per ſe igitur non erunt tangibilia Elementa. Et cum fieri nequeat vt ſemper præter naturam afficiantur; erit tempus quo nullum Elementum tangetur. Aerem per ſe nec audimus, nec videmus, nec olfacimus, nec guſtu percipimus: Eſt enim interminatus: & niſi offendat in ſolido per agitationem, ſurdus, inſipidus, & nullo odore cognoſcibilis. Nullam habeat per ſe qualitatem tangibilem. Non itaque erit ſenſibile corpus. Fortaſſis primas tantum negat tactiles: quid tum poſtea: Negatis primis, negantur ortæ ex iſtis; vt nihil dicam tam ineptum eius ſermonem iſtum ſenſum non ferre. In Grammaticen enim non ſecus ac in Dialecticen & Phyſicen impingere ſolet, in quo notabunt Scholaſtici

ſtici vocabulum CONGELENTVR verſu 9.pag. 8. Sed mittimus hæc. Ad tertium proſyllogiſmum nos conferimus: Nullam qualitatem naturam tribuiſſe Elementis, Ariſtoteleo firmatur teſtimonio. Sic enim in 1. Meteororum 4. extat: φερομένου τοῦ πρώτου στοιχείου κύκλῳ καὶ τῶν ἐν αὐτῷ σωμάτων, τὸ προσεχὲς ἀεὶ τοῦ κάτω κόσμου καὶ σώματος τῇ κινήσει διακρινόμενον ἐκπυροῦται καὶ ποιεῖ τὴν θερμότητα. Δεῖ δὲ νοεῖν οὕτως καὶ ἐντεῦθεν ἀρξαμένους. τὸ γὰρ ὑπὸ τὴν ἄνω περιφορὰν σῶμα, οἷον ὕλη τις οὖσα καὶ δυνάμει θερμὴ, καὶ ψυχρὰ, καὶ ξηρὰ, καὶ ὑγρὰ, καὶ ὅσα ἄλλα τούτοις ἀκολουθεῖ πάθη γίνεται τοιαύτη, καὶ ἔστω ὑπὸ κινήσεως τε καὶ ἀκινησίας, ἧς τὴν αἰτίαν καὶ τὴν ἀρχὴν εἰρήκαμεν πρότερον. Ex his dictis ita ratiocinatur Scotus. γ ex [illegible] no perp[illegible] allegat [illegible] c.3. [illegible] 26 pag. 5.

Quæ à motu & immobilitate cæli conferuntur, non ſunt rebus a natura tributa: Calor frigus & reliqua, ſunt Elementis allata à motu cæli & immobilitate. Non itaq; calor, frigus, &c. ſunt à natura tributa,

Iiſdem ſupra probata eſt primi ſyllogiſmi aſſumptio. Præter tautologiam, itaque vix quicquam affertur. Tantum de philoſophi verbis dubitatur. Non negamus Elementorum omnium maſſam agentibus ſyderibus inſtar materiæ ſubijci, quæ impreſſionem accipit: At formas à ſyderibus illis dari, ita nempe vt Elementa nihil ſint niſi materia quæ informatur à ſyderibus neque Ariſtoteles aſſerit, neque nos affirmare poſſumus; quanquam iſtis mediantibus mutatio fiat. Etenim nō amplius forent Elementa, ſed ſydera; agente nempe natura ad ſimilitudinem efficientis.

Fatemur & hæc, ꝙ cæli motus & potiſſimum planetarum; vt in 2. de gen. & corr. philoſophus diſputat calorē aliquem in inferiorib. excitet, aut frigus, pro motu & quiete viribus & materiæ diſpoſitione. At illas qualitates, quatenus ſyderib. aſcribuntur

omnes alienas nec insitas esse dicimus: Et quanquã ijsdem vocentur nominibus tamen potius excessum excitatum vi syderum in insitis, quo simul vicina afficiuntur, esse statuimus. Vnde durabilis ille esse non potest. Immobilitatem in cælo, nisi comparate loqui velis, & vt nos infra faciemus, agnoscimus nullam, sed in ipsis corporibus, quæ ob distantiam & refractarium pondus, imo volente sic autore, naturæ ad commoditatem animalium, motui non sunt apta eam esse patet. Quod autem philosophus nõ loquatur de Elementarium virtutum origine primæua, quasi nullã per se, sed à cælo omnem haberent, id ostẽdit primum Aristoteli absurda ista quæ inde deduci posset iure meliore, quam Scoti commentum, opinio; Elementa aliquando nõ existẽtia à cælo orta esse, perinde vt & Plato cõfinxit, & quidã veteres, qui putauerunt solis vi ex terra productum esse aerem, ignem, & aquam dum solida rarefecerit; quam multis in locis insectatur Aristoteles. Secundo dictionis modus idem comprobat. Nõ enim absolutè materiam vocat, sed οἷον ὕλην, quæ nempe potẽtia sit calida, frigida, sicca, humida, cum sit contrariorum susceptiua; syderibus quidem agentibus, sed qualitatem non conferentibus, nisi ex accidente. Tertio, statim ipsi textui subijcit quatuor Elementorum nomina suis qualitatibus insignita & ordine collocata; & quid istis actionibus syderum producatur ostendit, nempe nõ Elementa, sed vapor, & exhalatio; ille humidus calidus, hæc calida, sicca.

Hæc & Telesius asseruit.

3. Cæli tex. 3. 20. & sequ. item textu 43. & sequ. item textu 56 & seq. 2. de gener. & corr. tex. 31. & seq.

Elementa itaq; eatenus materia vocantur syderum, quatenus excipiunt vim agendi & per resolutionem à qualitatibus proprijs ab illis instigatis & prouocatis duplicem ἀπόκρισιν edunt, quæ sit mate-

Vide quomodo hanc sententiam explicet ipse philosophus 1. Meteo. c. 2.

materia metheororũ. Quartò,quãquam ista interpretatio omnino locum habere nullum possit(quã tamen adeo leuiter non abijcimus) sed sint omnia accipienda de prima exordio qualitatum istarum, quas alioquin pro principijs Elementorum, cum proximè sequantur formam, ponit: nondum tamẽ obtinuit,quod vult aduersarius. Etenim si cælum efficiens istarum & procreans causa sit, motu eius naturali existente, & materia suscipiente formam eam,quam ex propria potentia à cælo agente poterat:cur non dicatur natura per istam causam tribuisse Elementis qualitates primas?Cur eæ non sint Elementorum deinceps propriæ? An, cum præstantissimi quique philosophi corruptibilium formas ex cæli vi deducunt, sequitur inde neque proprias eas esse rei, neque naturâ in materia esse?

Multa sunt,quæ sponte oriuntur in animaliũ,tũ in plantarum genere; Et ipse Scotus longam nobis infra historiam contexet de sponte genitis beneficio maris auiculis.Hæ vnde formas & qualitates accipiunt? anne illis quidem aliquid natura inest? De singularium generatione & corruptione disputat philosophus quod potissima causa sit cæli motus; sol enim & homo generant hominem:alteram causam in materiam conijcit, & agẽs proximum interuentu seminis? an ideo nihil à natura acceperit generatum, quia omne à generante habet: Itaq; ne si demus quidem à cælo esse omnem calorem & reliqua,consequens fuerit à natura Elementis nullam qualitatem tactylem esse concessam. Scimus quidẽ, vt de ista materia aliquando plura afferamus,Platoni in Timæo aliquando videri, ignem nihil aliud esse quam materiæ communis partem ignitã, aquã,

De hoc etiã peculiariter disputabimus.

partem ignitam, aquam partem humectatam & sic in reliquis. Vnde fiat vt in se subinde transmutentur; & pars humectatata fiat aërea, hæc ignea & vicissim: Species autem alicubi sempiternas existere, quæ sint causæ perpetuitatis. Aristoteles autem explosis speciebus separatim & actu existentibus, demonstrat, quanq; subinde transeant in se mutuo Elementa, tamē nō opus esse ad perpetuitatē confingere Ideas, siquidē in singulis, quorū semper alterū succedat alteri, tota æternitatis hęreat ratio, nec fieri vnquā possit; vt omnia singularia, vel vnum aliq totum intereat penitus. Sic flāma nihil mutabilius maiore cum celeritate est; at dato pabulo; continuatur tota partibus subinde transmutatis. Retinuit itaque communem materiam; sed alterationem, perinde vt aliquando videtur Plato, ex Generatione facere erubuit. Cum enim singularis materia corrupta transit in ignem; ea re vera generatio est, forma intereunte priore, succedente alia, quæ per qualitates præexistentes operantesq; in materiam

1. de ortu. 1. succedere potest: Nec obstat si cælum est primaria horum in natura causa, vt diximus. Nullibi enim verum illa generationis cum alteratione confusio, quàm & Anaxagoras verbis quidem confessus est, re negauit, locū habere potest. Scotus quoque noster dum vestigia ista sequitur, quid aliud facit, quam generationem Elementorum negat? Infra aëri & aquę transmutationem mutuam tribuit, terræ, ignique adimit: videat qua constantia; si hęc sententia, quam hîc amplectitur, sit vera. Hæc de Aristotelea sententia. Quæ sequuntur progressum transmutationis seu alterationis istius continēt, quæ singula paucis inspiciemus. Conclusio enūciat dissentaneè & negate quæ consentiunt copulandaque erunt.

Contradictio.

Patui-

Patuit.n.q;,etsi qualitates istæ essent à cælo, tamen à natura esse negari non possint. Supremam partem concipere calorem per motum asserit quidem Aristoteles; sed si affrictus violentiam vnâ comprehendit, quemadmodũ exẽpla de sagitta & excussu ignis ex silue habent, inuenerit, q. istud nõ vsq; adeo probent. Sin vero non hoc modo per motũ elici calorẽ statuerit, sed dũ vis Solis, q. motus accedit receditq; materiam idoneã ita informat, & si densa cremiaq; fuerit etiã incendit, cũ tũc in ea & confortentur radij, & calor inualescat, vnde etiã apud nos exit flamma, tolerabilius fuerit locutus. Vicinũ sane lationi est summũ corpus. Vnde, si sustinet actiones syderũ naturaliter ad similitudinem cælestium quod ad puritatem nobilitatemque Essentiæ & vim agendi attinet, accedere quàm proxime possit. Nec adeo absurda est recentiorum sententia de motu per circulos, negatis Sphæris, excepto vltimo ambitu. Vnde necesse esset, vt intercedens spacium aliquo corpore penetrabili & cedente sit refertum: An de eius natura ignis quoque est, aut proximè eam attingit? Aristoteles sane non adeo firmas nobis reliquit ea de re monstrationes. Vnde conqueritur de difficultate eius contemplationis non immeritò. Donandum autem etiam aliquid est posterorum solertiæ; & longè gratius nobis præstitisset officium Scotus si in istis inuestigandis aliquid operæ posuisset, quã cum nugas mundo obtrudit tam ridiculas. Sed de motu non plura. Quomodo autem per lumen calor possit gigni, aut concipi nisi prorsus ex ex accidente? Perinde enim se res habet, ac si quis coqui res ignis lumine asserere vellet; aut vaporarium calefieri, eodem, Nempe quia inseparabilia sunt in quauis flamma aut lucido caloris

Disputat contra Telesinum lib. 4. c. 5. & seq. de rerum natura. De hoc quoque alibi.

1. de part. an. c. 5.

De hac re disputat & Telesius cõtra Auerroem li. 14. c. 16. 17. & seq.

Contradictio.

Contradictio.

Ista qualitates mista sub terra.

actiui participe, adiuncta. Nihil autem caloris per se gignere lumen, testantur hybernæ serenitates & in niue quoq; lux recepta; Et Aristoteli potius nubila sunt calida, quam Aquilonia tempora sudaque. Admonemus autem simul disputatorem superioris contradictionis. Cum enim ea pars istam regionem nõ deserat, semper calidam eam esse oportet. Quomodo itaque in contrarium transibit? Aërem igni contiguum esse in confesso est. Eum Scotus esse dicit calidum ob vicinitatem; vnde passio ipsi erit eadem. Obseruet hîc quoq; contradictionem, & quã aptè pronuntiet de toto aëre quod Aristoteles in Meteoris particulatim enunciat. Inferior pars ob geminatos ibi, seu vt loquitur, ἀνακλωμένας ἀκτῖνας refractos radios, statuitur calidior, sicut supera ob vicinitatem ignis, qui tamen actualem caliditatem, quæ sensu percipi posset, ob materiæ raritatem non habet, vt analogia nobiscum existẽtium & Spirituũ inde delatorum, tenuissimæ Essentiæ, comprobant. Media pars frigidissima est; qua de causa aquea meteora ibi potissimum consistunt, Eligat Scotus vtro modo loqui velit, de toto ne an partibus; comparatè an absolutè; quanquam ex accidente media illa pars sæpe vehementuis aqua frigescat vt grandines æstiuæ testantur. Reliqua quanto magis à cælo absunt, tanto plus friooris & minas caloris habere asserit. Hoc quoque nõ paruo Scrupulo nobis molestiam creat philosophus aquæ summam frigiditatẽ tribuit alibi: præsente textu Scoto videtur terræ idẽ asscribi: Experientia telluris calorem intraneum vehementissimum esse testatur, adeo vt non raro, nec paucis in locis in flammam erumpat, Metallicique, qui ad tartara ferè fotiendo descendunt, dicũt sæpe occurri lapides calentissimos: licet diuersæ quali-

qualitates circumstantis exterioris cuniculos quoque & specus terræ, in quibus conclusus est aër, varient. Inueniuntur interdum etiam Platonicæ voragines seu abyssi stagnantis aquæ refertæ, in quib. viua sunt animalia, quòd animalia, quòd sane iudicium est non summi frigoris præsertim cum halitus vaporesq; inde prorumpant calidi, id quod testantur nubeculæ illæ quæ ex montibus syluosis euaporantes maxima sunt pluuiæ tempestatis causa. Sed tamē nolumus excessum, qui potius præter naturam quàm secundum eam est, astruere. Est enim & in aqua aliquis ad vitam conueniens calor, licet in ordine Elementorum habeatur frigidissima. Sed quod Aristotelis sententiam attinet omnem tollit ipse controuersiam. Coniungit enim eodem in loco aquam & terram: Et alibi triplici regione mundum distinguit non admodum incommodè. Ad quàm distributionem hæc de qualitatum variatione, respectu distantiæ aut vicinitatis ad cælum non malè applicabuntur. Reliqua committimus experientiæ; malimque naturalium contemplatores. Valde obseruare proprie competentia & per se; & ab his discernere, quæ Elementis vel totis, vel partibus eorum ab aliqua externa causa, aut ob cognationem & contiguitatem, aut ad nostros sensus, quos sequitur iudicium conueniunt. Sic aër nunquam actu totus calidus aut frigidus est. sed diuersis partibus diuerse afficitur: aliter nempe sub via solis, aliter extra tropicos: Et hic quoque variè. Sed tamen aliqua per se natura est. Porro rationem caloris & frigoris in Elementis, quæ à distantia petitur, alio adiuncto, eoque materiali magis comprobat Iacobus Martinus: *Earum*, inquit, *partium raritas & densitas declarat idem. Quæ enim tenuiora sūt & ra-*

& rariora, ea natura calidiora: quæ vero densiora & crassiora, ea frigidiora solent esse. Non putamus hoc ipsum velle, quod raritas & densitas sint efficientes causæ qualitatum istarũ, id quod aliqui istis motibus, nẽpe rarefactioni & condensationi asscribere non formidant: sed hoc putare, quod cum materia ita disposita est, naturaliter calor raritatem, frigus densitatẽ sequatur. Vellemus hæc tam apertè disputari posse. Sed multa sunt, quę obstant; supra diximus de cõtradictione, quã disputator ineptis istis enũtiationib. incurrit. Si hîc natura inest calor, seu naturalis consensus est caloris & raritatis, cui subiecto inest raritas naturâ, eidẽ inerit & calor naturâ. Quomodo enim consenserit, id quod præter naturam inest, & quod secundum naturam competit? Euertunt itaq; hę locutiones se mutuò. Postea magna est difficultas in iudicanda hac quæstione etiam inde; quia videmus calorẽ disgregare & efficere ex accidente aliquando raritatem; quo pacto raritas fuerit quoddam caloris in materia effectum. Alij verò contra contendunt, raritatẽ, quia propinquissimè attingit materiã, priorẽ calore esse: sicut veteres omnia per raritatem & densitatem gignebant; Et philosophus videtur astruere quod motu Solis, rarefactum subiectum passibile calidum fiat & interdum ignescat sicut videmus in atterendo dura, & sagittis emissis. Antecedit itaque raritas calorem. Contra de frigore res habet: densitatem enim, quæ fit, materia, ob immobilitatem considente, crassescẽteq;, sequitur frigus. An non ita simpliciter dicendũ est, sed pro cuiusq; rei naturâ? Sed æthereo liquore, seu, vt ita loquor Sphærarũ materiâ crassior est; atqui neutiquam frigidior. Similiter flamma, quò crassiorem habet materiam, eo magis operatur. In tenui vix

Vide 8 phys. text. 55. & infra.

perci-

percipitur calor eius, vt sentimus in aqua ardente & alijs. Tales etiam ignes penetrant magis, ærunt minus manifesto effecto admiraculum vsq; vt in mirabilibus auditionibus de flamma pitticusarum refert Arist. Videantur apud eundem plura de ignis effectis diuersis & mira illa de fulminis natura; Refert & quædam Macrobius & Seneca, Plinius, & alij plures. Alia profecto natura est ignium cælestium, alia Elementi ignis. Huius propria materia proximè ad corporeũ accedit, teste philosopho & experientia, adeo vt quidam etiã animam putauerint igneã habere naturam. Itaq; in alia materia per se esse nequid. Vnde cum agit in subiectũ ad similitudinẽ sui per se disgregat; & operatur id quod præexistere ad absolutionẽ similis necesse est. Naturaliter itaq; talis forma tali materia gaudet. Præparatio ab actu existente præcedit. In Essentia simul est totum: In eadẽ ratione, non tempore, raritas ante caliditatem propriam est: quibus putamus hæc mediocriter posse declarari. Scoti oratio nimis vaga est. Etenim secundum eam non potest consistere aëris frigus & terræ calor: Flamma spiritu calidior non erit: nec aqua illa purissima Alexandro missa foret frigidior alijs crassioribus. Et si non natura inest id frigus, sed ex accidente, ita tamen vt seruetur raritatis densitatis discrimen, non video quo pacto hyberna serenitas & Aquilonaris status possit esse frigidior nubilo & Austrina crassitie. Aër foret ita calidus naturâ: at quędã aquę calidiores sunt, vt olea; ex quibus valde crassum est, quod ex nuce Moschata exprimitur: at non exigui caloris. Nec refert siue mobilitatẽ siue immobilitatẽ spectes: Quædã enim motu incalescũt, quędam frigescunt; & quiete cõtra fiunt calidiora. Sed non addimus plura. pag. 28. dicit Scotus *aquã concrescere,*

ſcere aliquando frigiditate aëris; feruere ſolis calore. Mirum eſt cur contrarios effectus non contrarijs ſed diſparatis aſſcribat cauſis. Solis calore, qui à motu eius eſt incaleſcit aër, & ita communicat, veluti inſtrumentum, qualitatem eandem aquæ. Immobilitate igitur debebat frigere maximè prout ipſa eſt maxima, ſi rectè allegauit philoſophum. Etſi aëri tribuitur frigus; Cur non eiuſdem calore feruere aquam ait, cũ aër tangat primum? Deinde ſi aëris calore feruet aqua, procul dubio antea fuit frigida reſpectu huius: ſimiliter ſi congelaſcit ab eodem aëre, antea fuit calida: at tactui noſtro per ſe ſemper apparet frigida. Alia itaque erit inſita frigiditas, alia quam immobilitas ipſius, aut abſentia ſolis per aërem agentis, aut ex accidente quid progenerãtis, producit: tametſi intelligere non poſſim, quo pacto, aquæ frigidæ ſit ἀκινησία, cum tunc maximè incaleſcat; & contra etiam rapidiſſimè mota ſemper maneat frigida. Sic de aëre: eius dicitur eſſe tanta frigiditas vt aquam cogat: at ob raritatem debeat eſſe naturâ calidus? Sed quidnam cogit; aquam frigiditasne aëris, an ea quæ in ipſa eſt aqua? Glaciem frigoris exceſſu fieri autumat philoſophus. Exceſſus itaq; eſt in ipſo ſubiecto conglaciante. Nam exceſſus non eſt niſi in ſubiecto exceſſum patiente: Aëris materia nõ patitur eundem: licet tactui occurrat moleſtior ob penetrationem. Inſuper non deſunt, qui ſpecie eandem qualitatem ſubiectis diuerſis neutiquam eandem numero manere contendant. Non itaque aëris erit illa qualitas qua conglaciat aqua, licet per aërem communicetur. Quin & ſi tota ſublunaris materia aliunde iſtas dualitates accipit, quomodo frigiditas potius aëri, quàm aquæ tribuitur? Abſoluto hoc argumento, quæſtionem inſtituit Scotus,

Vtri

Vtri fidem habere debeat Aristoteles, Eine, qui prætermisso sensu sola ratione nititur, an potius ei, qui cum ratione sensum & experientiam contemplatur? siue ei, qui tantum vniuersalia, an ei qui cum vniuersalibus particularia cõiungit? Concludit, *quod posteriorem etiam suo Aristoteles iudicio præferret priori, Cum oratio generalis tunc vera sit, cum rebus singulis, quarum gratia illa instituitur, accommodatur.* Adhuc Scotus. Hæc cum Aristotele quomodo pugnẽt re ipsa non video: quemadmodum nec quomodo pro Scoto sint dicta. Reuera enim philosophus obseruat illud generale in artibus constituendis, vt præcepta omnia consentiant cum specieb. vltimis, & vsu seu experientia, nisi quis velit de nusquam existentibus fabulam texere. Negat & passim philosophus vniuersalium sine singularibus substãtiam: & inde genera & species vocat substantias secundas: impugnat substantiam idearum Platonicarum: Democritum laudat, quod non λόγυς sectetur sed consentanea rebus ipsis dicat. Verùm enim verò videat Scotus ne res secutus, vmbram, & pro veritate falsa arripuerit. Sensu quidem res externas & singulares percipimus, sed causas ratione indagamus ab effectis ad illas progressi. Quanta autem sit difficultas circa verarum causarum inuentioné, nemo non philosophorum confessus semper est. Interdum sensus fallunt; interdum hebetudo ingenij, & imperitia similium effectorũ causarumq; impedit cognitionem. Multi retinentur authoritate, multi iuuenili quadam audacia, dum ex paucis inspectis & amplitudine potioribusq; causis neglectis, prõpte pronunciant, quo morbo laborat non parum disputator præsens. Indicabunt ex dictis periti, vter potius attigerit rerum naturam; Aristotelesne solertissimus & exercitatissimus senex; an Scotus vix

Nulla experientia est sine ratione

tertius ad philoſophandum admiſſus & nimium temerarius. Ariſtoteles de natura per ſe iudicat ſtatuendum omni violentia remota: Scotus violentiam pro natura aſſumit, ſi modo naturam aliquam tribuit Elementis. In primario Syllogiſmo maximè impugnat ſenſum. Nam tactus oſtendit omnibus corporibus naturâ ineſſe tactyles aliquas qualitates. Negat id Scotus. Conijcit cauſam efficientem in acceſſum & receſſum ſyderum; ſi quæras an hoc ſenſus oſtendat vel ratio; an non plura pro ratione reſpondebunt? Nam etiam præſente Sole; æſtate, autumno, vere, poſſunt eſſe frigidiores dies quàm hyeme. Si dicam motum aëris inferre iſtas qualitates, pro vt ex diuerſis locis ingruant venti, vel vt περιστάσεις certè ad oppoſita loca qualitatem contrariam etiam aëre ſilente propellunt; quis hìc arbiter erit? Senſus percipit qualitatem acceſſoriam: at unde ea ſit in dubio eſt. Teſtatur ſenſus perpetuo aliq. qualitatẽ tactilẽ ineſſe; accedit ratio, dicitq; per ſe & naturâ aliquam ineſſe: quia ſi hoc non ſit, ne acceſſoria quidem poteſt habere locum in ſubiecto: Scotus hæc euertit: quis magis pro veritate vniuerſaliter aut ſingulariter dicit?

In tertio propugnaculo abuſus eſt authoritate Ariſtotelis. An hæc ad ſenſum quid pertinet? quaſi verò tam ſtupidum ingenium & tardum fuiſſet ipſi, vt iſta quæ Scotus, videre non potuerit, aut non obſeruata fortè fortuna iudicauerit. Sed cum iſtam litem mouerit quidem, at non iudicauerit, prolixiores non ſumus, modo conſtet Scotum iſta omnia tela in ſe ipſum retorquenda emiſiſſe. Non potuiſſe ex qualitatibus tactilibus conſtitui numerum Elementorum putat confectum eſſe aggreditur modum deinceps, facili nempe labo

bore,

bore,cum conuulſum ſit antea fundamentum: ſed
vt mihi videtur,admodum pericoloſe. Nam qui ſic
euertunt ædes,niſi cautiſſimi ſint,periclitantur ob-
ruinam. Quid ſi Scotum ruina ipſa tangeret? Inter
conſtruendum philoſophus prouidam naturã val-
de comẽdauerat , quod tam aptè cum ratione re-
cta conſentiret;nec contrarias qualitates in ſimpli-
ci corpore copulare tẽtaſſet;cũ id fieri nullo modo
per actus poſſit.Peperit ea res axioma hoc. Calor &
frigus cum ſint contraria,non poſſint inter ſe con-
iungi & copulari:Græcus ita:τὰ ἐναντία ἀπέφυκε συνδυ-
άζεσθαι. θερμὸν γὰρ καὶ ψυχρὸν εἶναι τὸ αὐτὸ, καὶ πάλιν ξηρὸν,
καὶ ὑγρὸν ἀδύνατον. Senſus eſt; quod combinari natu-
raliter contraria non poſſint , vt ita alterum ſequa-
tur alterum;ſicut fit in calido ſicco. Cum enim na-
tura ſubſtrauerit vtrique materiam ſimplicem & v-
nam; cui neceſſe eſt vt qualitas paſſiua cũ agente in-
ſit,ob tranſmutationum occaſionem;contraria au-
tem vtraq; ſint agentia;& quidem contraria ad con
trarium effectũ:non poſſunt ſtabiliter coire ad effe-
ctum vnũ.Sic nec contraria patientia. Nam ſi vnũ
eſſe poſſet,poſſet & alterum.Id oſtenditur poſtea ꝑ
ipſa cõtraria.Frigus.n.& calor actu in eadem mate-
ria ſecundũ idẽ nõ ſunt.Neq; etiam ſiccitas & humi
ditas.Vellemus aliquẽ nobis oſtendere hęc bina cõ-
iuncta in aliquo dictorũ Elementorum actu:& ſen-
ſu conuicti à philoſopho merito deficeremus. Axi-
oma itaque firmiſſimum eſſe conſtat,cum nondum
contrariũ ſit demonſtratum.Atqui Iacob. Mart.ille
vniuerſaliũ cũ particularib.contẽplator Taurinẽſis
cõtradiſputat. Habebit itaq; experiẽtiæ certiſſimæ
teſtimoniũ aliq̄.Patebit id examinãti.Et 1.ſtatim in
greſſu veritas non inclinat tantũ, ſed tota volat ad
patres Ariſt.quia cũ nõ ſolus Scotus ſentiat,ſed tãto
Q 2 nume-

numero animalia, quin Deus quoque licet alio modo; Omnes autem idem cum Aristotele fateantur: Rami simia Scotus plane destituitur, & mendax tanquam ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenditur. Sciuit ille, nullã se habere, ne micam quidem demonstrationis veræ. Ad astus itaque & fraudes se conuertit. Axioma philosophi ita habet vt diximus. Scotus id hoc modo enunciat: *Calor & frigus quoniam contraria sunt, inter se coniungi & copulari non possunt. Vt inde medium siue mixtum oriatur, nec pari ratione humiditas cum siccitate.* Ehem bone vir cur mentiris? Cur ais hoc dicere Aristotelem, quod ille, ne per somnium quidem in febre vidit, aut concessit? Itane placuit turpi mendacio & te & Scholam Taurinensem conspurcare? Multa tribuit Aristoteli Ramus falso; hoc tribuere ei ausus non est: Quippe vidit apertè contra sentiẽtem in tractatu de mistione: Vbi primum discernit mistionem à generatione & corruptione; secundo mistorum conditiones declarat, ex quibus & hæc est: quod passiones non misceantur: item quòd oporteat esse separata ea quæ miscentur: quod in misto non actu sed potentia insint; quod corpora misceantur quæ sint ἑτερογενῆ καὶ διαιρετὰ: quod fiat mistio, cum agentia cum patientibus congrediantur, idque mutua cum actione & passione, quæ non est nisi inter contraria, nec fieri potest, nisi omnibus 4. qualitatib. primis præsentibus, cum vtrique agenti respondeat materia patiens: oportet autem ea ἰσάζειν πως μεταξὺ καὶ κοινόν. Vnde fit vt mistio sit mistilium alteratorum vnio. His omnibus repugnat combinatio qualitatum Elementarium, quę sequitur vnumquodque simplex naturâ. Quomodo ergo Scotus nobis comminiscitur mistum seu mediũ quoddam ex duarum qualitatũ cognatione natu-

2. de part. an.1.

rali

rali & impoſſibili diremptũ? Vocat alicubi Ariſtoteles σύνθεσιν, quando ex materia & contrarietatibus, id eſt, forma, quàm ſtatim ſequuntur qualitates ſuę, fit Elementum. At hæc eſt vnio Eſſentialis materiæ & formæ, non miſtio. Hæc illa fœda & indigna philoſopho (ſi philoſophi nomen merearis) eſt deprauatio & iniuria Ariſtoteleæ ſententiæ. Et tali hypotheſi facta, aut quæſtione inſtituta, quid dicetur cãdidè cõtra philoſophum? Quærit quomodo omnia ſint contraria aut ex contrarijs conſtent? Opponit nempe hoc argumentum Axiomati Ariſtoteleo; quaſi ita argumentatus:

Si calor & frigus quia ſunt contraria, inter ſe coniungi nequeunt, non poſſunt omnia aut contraria eſſe aut ex contrarijs conſtare.

Sed prius eſt, teſte Ariſtotele: Ergo & poſterius. Cum verò vtrumque aſſerat Ariſtoteles: oportet vt idem ſibi turpiter contradicat. Propoſitio videtur valida eſſe ex contradictione: conſtare ex contrarijs, & cõtraria non poſſe coniungi; Ex eo ſibi contradicere videntur, quod omne conſtans ex contrarijs, ex cõiunctis illis conſtet. Sed fœdiſſimè fallitur Scotus, Elenchum malæ fidei & vitioſæ homonymiæ egregiè committens: Axioma ex prim. phyſ. 5. ita habet: εἰ τοίνυν τοῦτ᾽ ἔστιν ἀληθὲς, ἅπαν ἂν γίγνοιτο τὸ γιγνόμενον, καὶ φθείροιτο τὸ φθειρόμενον ἢ ἐξ ἐναντίων ἢ εἰς ἐναντία καὶ τὰ τούτων μεταξὺ. τὰ δὲ μεταξὺ ἐκ τῶν ἐναντίων ἐστιν; ὥστε πάντα ἂν εἴη τὰ φύσει γιγνόμενα ἢ ἐναντία, ἢ ἐξ ἐναντίων. Hæc verba tantum de natura genitis & gignendis enunciata Scotus extendit ad omnia quæ ſunt. Nã ſine diſcrimine ait: *Omnia ſunt aut contraria, aut ex contrarijs conſtant.* Deinde Sophiſma ignauum admodum deliteſcit in voce, *Conſtant.* quaſi philoſophus axiomate compoſitionem vel vnionem qualitatum contra-

riarum designasset potius, quàm causas rerum genitarum. Loquitur de principijs, quæ debent esse contraria; primum si causam efficientem respicias quæ operatur vt in materia ad patienti quidē conttrarium, sibi verò similem formam: ex contrarijs res genita erit. Secundo si respicias ipsam Essentiam ex informi & potentiâ existente, formatum & actu existens gignitur, referendo nimirum hoc ipsum ad vnam eandemque in mobili operationem pro fine in generandæ formæ. Gignantur iam Elementa vt aër ex aqua; quæ resoluit, causa contraria dicetur. Agit enim in mobile non consentiens sed repugnans. Perit autem aquæ forma hoc respectu fit in formis materia; succedit forma; quæ opponitur non formæ. In mistione ex non misto fit mistum, non quia compositio est agentium contrariorum; sed reductio ad æqualitatem aliquam, quam vocarunt κρᾶσιν & temperamentum, nec ipsis qualitatibus alteratis, sed materia. Hęc sententia philosophi est, cum qua non pugnat alterum axioma, sed potius eam explicat. Cum enim contrariæ duæ qualitates non possint combinari & & misceri, consequens est neque ex harum mistione quicquam fieri aut generari. Hæc prima est excusatio philosophi & Sophismatis enodatio.

Secunda est per particulam disiunctiuam ἢ. Aut sunt contraria omnia, aut ex contrarijs. per contraria intelligit prima principia: per ea quæ sunt ex contrarijs, accipit facta ex principijs. Principia ingenerabilia sunt, nempe quâ principia; itaque ista ex contrarijs esse non dicuntur. Si autem ipsa sint contraria & causæ aliorum: manifestum est omnia ex principijs facta esse ex contrarijs.

Esto

Eſto miſtorum principia Elementa: patet ea eſſe contraria: ignis enim aduerſatur aquæ; nempe modo quo ſubſtantiæ poſſunt propter affectiones ita dici. Iam & miſta ex contrarijs erunt. Et hæc ratio valet in omnibus, quæ generantur, miſtis ſimul. Quæ autem generatio citra miſtionem fit, vt eſt Elementorum tranſmutatio; in his non opus eſt compoſitione tali.

Sed reſpicitur tantum ad id ſine quo non poteſt fieri tranſmutatio, hoc eſt vt antea diximus, ad actionem efficientis, ad qualitates iam inexiſtentes & futuras, ad terminum à quo, nempe priuationem & potentiam; formam & actum: atque ita ſe explicat Ariſtoteles. Si iam velit contendere Scotus alterum axioma euerti per alterum; reſpondebimus ei ex diſiunctione, quod non aſſeruerit Ariſtoteles, principia conſtare ex contrarijs, ſed eſſe contraria: id quod patet ineſſe Elementis, quæ tunc pro principijs ſeu cauſis habemus miſtorum Ramus quoque in eadem materia ingenium ſummum exercuit; ſed nihil attulit præter friuolas eluſiones, & miſturas Logicas cum rebus phyſicis, vt ſolet paſſim. Nobis non placet tempus in nugis iſtis ſua imbecillitate cadentibus, conſumere. Conſtat autem ſibi in explicatione philoſophus. Quod ſi quis nolit loqui ad præſcriptum eius, eum permittimus commodiora proferre, remque explicare citra capitalem diſſenſum. Si res conſtant, quid litem verbis moues? Negas priuationem eſſe principium. at conſentis, niſi priore forma corrupta, aliam introduci non poſſe: Vides etiam materiam ſingularem cum forma interire & fieri inde quid aliud. Explica hoc philoſophicè, & ſi potes, cõmodius, nec Ariſtotelẽ, qui ad ſua tẽpora reſpexit, nec

nos tibi aduerſos habebis. Hoc primum quod opponitur. Secundum ex miſtione petitur, ad quam conuenire contraria agentia & patientia Ariſtoteles oſtendit. Sed apparet Sophiſma primo aſpectu. Actus contrarios eidem ſimplici naturaliter ineſſe & conſtituere illud philoſophus negat: quin ne miſto quidem eidem, vt idem, hoc accidere poteſt. Miſtionem qualitates agentes & patientes efficiunt quidem, ſed in diuerſis materijs diuerſarum formarum arma exiſtentes. Deinde nec actu manent, nec vt congredientes partes miſtum conficiunt. Inſuper nec vt loquitur Ariſtoteles συνδυάζεται; combinantur. In materijs iſtis coniungendis non coëũt qualitates; ſed eo vſque ſibi repugnant mutuò, donec retuſis viribus, exceſſuque abolito tota materia ad vnum commune temperamentum conſpiret. Et valde puerile eſt, ita combinatis ſeu compoſitis qualitatibus gignere temperamentum, perinde ac eſſent corpora. Non fert hoc ratio qualitatum. Nec in ſimplicibus coniunctio talis. Altera enim qualitas alteri ideo conſentit, quia in eadem materia ſimul eſſe poteſt non impediente altera: interim ipſæ non componuntur. In quibuſdam altera alteram efficit & operatur: Vt calor vbi vehemens eſt ibi gignit ſiccitatem; ſicut & frigus. Quod attinet ad Galenicam aquæ frigidiſſimæ feruentiſſimæque ad temperatum pondere producẽdum confuſionem; de hoc idem eſt iudicium.

2. de ortu textu 48.

Contra id pondere tẽperatam diſputatur acerrime per VVitenſtenium.

Non miſcentur contrarietates, ſed altera alterã obtundit, eo vſque donec materia ad moderationem redacta commune quiddam accepit. Interitu enim extremorum producitur actus nouus.

Quod ſi maneat vtraque feruor ſcilicet & ſum̃um frigus, contraria effecta ad vtrumque

contra-

contrarium ex eodem ſubiecto ratione eadem ſequentur : perinde vt ignis calefacit ſiccatque, aqua frigefacit & humida reddit tacta, & ſimiliter in aere. Verum in nullo miſto neq; etiam ſimplici tales effectus per ſe obſeruantur. Quo maxime argumento conſtat contrarias qualitates in nullo ita cõiungi, ſicut frigus ſiccitasq; & reliqua in Elementis, quin ne componi quidem, vt ſæpe eſt dictum, nec miſceri per ſe. Idem iudicium de coloribus ſaporibus odoribusq; eſt. Nihil ſimul eſt album & nigrum, dulce, amarum, & ita in reliquis contrarijs. Natura ergo coniunctionem hanc non patitur. At Ariſtoteles extremorum miſtura generat inter medios colores, ſapores, odores? At, inquam, circũſpecte phyſicè, & diſputator callide, tu ipſe ſoluis hoc ſophiſma, dum ſtatim ἐπανόρθωμα hoc ſubijcis: aut potius ipſarum rerum, quæ his qualitatibus affectæ ſunt coniunctione. Coniunctis aut confuſis ſubiectis, neceſſe eſt coniungi qualitates: at hæ ſi actiuæ paſſiuæq; ſunt mutuo & contrariæ, vtra præcellit, ea alterius imbecillioris naturam abolet, etiamſi ipſa quoque pati cogatur inter pugnandum. Sin æquales ſunt viribus, agendo non quidem ita abolent ſe mutuo, ſed medium quoddam producunt in materia alterata, in qua actus extremorum nullus eſt: nam interijt vterque: at potentiam manere quidam volunt, quod tamen parum videtur conſentaneum. Non enim ita miſcentur qualitates, vt corpora ſeparatim exiſtentia. At miſtum colorem vocat philoſophus? Quid tum inquam: apparet enim miſtus propter diuerſa ſubiecta miſta. Colores ſunt quoddam lumen. Hoc autem nulli rei miſcetur, ſed diuerſimodè receptum refrangitur modis diuerſis. Sic nec ſoni poſſunt miſceri aut cõponi, nec odores

aut ſapores,licet ſubiecta miſceantur. Omne miſtile alterabile eſt:id quod qualitatibus nō competit. Porphyrius,vbi diſcrimen inter differentiam & accidens indicat, talia axiomata profert. Contrariæ differentiæ ſunt impermiſtæ (μιγείη γ' ἂν πολλὰ ἐναντία συμβεβηκότα. De ea miſtione apparet eum loqui quæ fit ſubiectis confuſis & non alteratis ſeu potius appoſitione congeſtis. Vt cum nigrum ſupponitur albo,vel partes talium ſubiectorum miſcentur: aut etiam in miſtis liquoribus, Vna miſceri qualitas dicitur, quæ non manet ſed mutatur poſtea alterato ſubiecto,quæ ſane miſtio impropria eſt.Sed cur tali modo differentias miſceri negat? Differt ignis ab aqua calore & ſiccitate; ſic aer & terra: at hæc in miſtione congrediuntur? Vocarit itaq; hæc accidētia: differentias verò has,quales ſunt rationale, irrationale. Hæ profectò per ſe miſceri neutiquam poſſunt.Sed nec illæ qualitates miſtiles per ſe ſunt. Nobis non placet talis ἀκυρολογία:quemadmodum nec illud Ariſt. ſi de eſſentia intelligatur & nō potius de effectis,quod vult in anima vnā eâdem & ſimplici aliam partem eſſe rationem,aliam quę attingat quodammodo eam, aliam quæ omnino ſit irrationalis. Omnino petimus exemplum dari, in quo, ſicut ſociātur calor ſiccitas, frigus ſiccitas, & ſic in reliquis, ita etiam cōtrarij actus,id quod negat, imo impoſſibile vult eſſe philoſophus. Vltimo ita arguit Scotus: *Quæcunq; ſola inter ſe agere & pati poſſunt, ea ſola ex Ariſto. diſciplina inter ſe permiſcentur: Sola contraria inter ſe agere & pati poſſunt: Sola itaq; contraria inter ſe permiſcentur. Et ſic contradicit ſibi philoſophus, dū contrarias qualitates permiſceri poſſe negat.* Propoſitio extat apud Ariſtot.1. de ortu tex.87.& 89.Aſſumtum eſt ex lib. de ſenſu c.4. Nihil quatenus ignis aut terra aut aqua eſt agere pati-

patiue natũ eſt, ſed omnia quatenus cõtrarietatem ſubeunt agunt patiunturq́;. Verũ, Sophiſticã eſſe interpretationem contrariorum, quis nõ videt? Non hic contrariæ qualitates accipiuntur, ſed ſubiecta quæ iſtas habẽt. Quomodo alioquin paterẽtur. Mirificam etiã hic nobis bonus ille Phyſicus & Profeſſor Taurinenſis architectatur interpretationẽ. Audiuimus ipſum ſupra diſputãtem, nullum, q modo Ariſt. præcepta deputaſſet mediocriter, agẽdi patiendiq; vim aſſcribere qualitatib. poſſe, ſi quidem & paſſio ſit totius cõpoſiti. Quomodo hic eandẽ diſciplinã è diametro ſuperiori opponit, eamq́; eodẽ ex loco depromptã? Quin potius hoc requirit Ariſtot. diſciplina vt neutiq Solæ contrariæ agentes ad agẽdum cõncurrant, ſed vtriq; tanquã Satelles à natura aſſociatus & ex paſſibilib. alterutra cõiuncta, alioqn impaſſibile eſſet vtrumq;: & omnino cum altero cõmitti impos. Bene ergo in nullo Elementa cõtraria natura συνδυασμῷ copulauit, cũ omnino inutile tale futurũ eſſet, quod ſecũdum naturã eſt impoſsibile. Sed hanc litẽ ſponte deſerit aduerſarius, aut ſe Rhetorico artificio deſerere ſimulat, vt aliquãdo in inſidijs latitans, acrius inde feriat. Concedit cõtrarias qualitates non miſceri; nõ contrarias miſceri: Neutrum verum eſt. Nullæ enim qualitates propriæ miſcentur; ſed quædam per naturam συνδυάζονται. At de hoc paulo poſt. De vno ſaltẽ monebimus Lectorem, quod valde accõmodum præterijt Scotus. Veterum diſputationes cõmemorat alicubi philoſ. de amicitia, cõſtetne cõtrarietate an ſimilitudine. Euripides naturã ſectatus, cõtrarium contrario amicũ voluit. Nã ârida pluuiã amat. Sic Heraclitus ſtatuit, omnia ex lite oriri & ex differentib. pulcherrimã fieri cooptationẽ. Eodẽ modo Dominus ſeruo fauet, ſeruus Domino

Cõtradictio.

1. de ortu 7. agens & patiens cõtrarium eſt: & partim materia patitur partim cõtrarium.

7. Mora. Eudẽ. 6. 8. Ethicorum nocomachum. 1.

1. Phys. text. 81.

Domino: Copulantur & appetunt se mutuo fœmina & vir; turpe desiderat pulchrum; refrigeratũ petit calefieri. Quæ omnia cum secundum naturam fiant, cur adeo diffideant calidum & frigidum, vt non coire possint? Respondet philosophus tum in 7. Eudemiorum, tum in 1. physicor. id fieri ex accidente, nempe propter aliquem finem qui affectatur & non potest comparari nisi contrarij interuentu. Sic fit vt corruptionem sui aliquid appetat, quam per se auersatur & fugit. Frigefactus desiderat calefieri, non extremè, sed vt caloris ope subiectum refrigeratum ad mediocritatem reuocetur. Vnde dicit philosophus contraria non se concupiscere, sed media idque propter bonum. Similiter si quis apappetit medium, is contrarium dicetur appetere, cum ex contrarijs media cõstent, eo modo quo ante dictum est. At hoc quoq; ex accidente est. Tale quid autem in Elementorum constitutione locum non habet. Itaq; ne si vsus quidẽ esset hoc χρησφυγέτῳ Scotus, aliquid profecisset. Nunc ad reliqua accedimus. Axioma Aristoteleum de reliquarum qualitatum combinationibus ita enunciat: *Ex qualitatibus non contrarijs, si inter se misceantur, efficietur quaternarius Elementorum numerus.* Huius axiomatis locus citatur c.7. lib. 1. de ortu: in quo agit philosophus de agentium & patientium inter se natura: Nihil habet de mistione qualitatum. Neq; quicquam est in 2. libro c.2. 3. & 4. Omnino enim Aristoteli qualitates non miscentur per se; sed quæ contraria est extrudit cõtrariam vt potius disputat cap. 7. allegato. συνζεύξεις, συνδυασμὺς, non μίξεις nominare consueuit. Meritò itaq; paradoxum istud vt fictum & falsum repudiamus. Eiusdem fecis est id de calore & siccitate mistis, calore exuperãte, vt ignis fiat. Rectius de aere quod iun-

Mirum est quod præterijt id quod Telesius, ex quo plurima sunt sumpta, habet lib. 3. ca. 14. calorem scilicet & frigus humido & sicco coesse non posse, &c.

iungantur in eo caliditas & humiditas. Aliud.n.est iungi aliud misceri: vt hoc insigniter arguat imperitiam Scoti in Arist. disciplina; dũ ne linguã quidem intelligit, nec vocabula dextrè vsurpat. Sed & hic mirificus est, dum grãdiloquentia sua Oratoria totum id quod est de alterius victoria, obscurat potius quàm explicat: philosophus ita habet: οὐ μὴν ἀλλὰ ἁπλῶς γε τέτταρα ὄντα, ἑνὸς ἕκαστόν ἐστι· γῆ μὲν γὰρ ξηροῦ μᾶλλον ἢ ψυχροῦ, &c. Scotus ita: *qua ratione quatuor nascentur Elementa, in quib. quoq; cum duæ qualitates insint, vna dominium obtinebit: alia alterius præscripto subiacebit.* In quatuor Elemẽtis ait inesse duas qualitates, omissa voce ἕκαστον: quasi idem esset in quatuor Elementis inesse duas (rectius *binas*) & in singulis duas. Deinde, quod quæ vnius est, ait philosophus; Scotus, alia (pro *altera*) alterius pręscripto subiacet. Si tantum agentes, in quolibet primas obtinerent, possem fateri recte locutum Scotum: Sed cum hoc falsum sit, dominiumq; patientis in agentem non sit durabile; nec altera alterius imperio pareat: non possum probare tam inepte philosophantem. Et longè rectius in Scoti ἀκυρολογίας inuehi licere arbitramur, quam ipse in Aristotelica benè accommodatè & eleganter dicta debachatur. Verum enimvero quid opponit συνδυασμοῖς quatuor Scotus? Quærit cur non octo statuerit Elementa pari ratione? Stolidorum hominum stolidæ quæstiones. Parem rationem, interpretor excessum; Vnde sic videtur velle arguere:

Si Elementorum numerus est æstimandus ex numero vincentium qualitatum in combinationibus; debebant statui octo Elementa.

Sed prius ex Aristotele verum; ergo faciendum posterius.

Probatur propositio: Nam sicut calor potest dominari cum siccitate, ita siccitas cum calore: sicq; in reli-

reliquis. Negamus connexionem; quanqnam enim singula Elemēta vnius potius sunt qualitatis: tamen inde non erant statuenda octo. Non enim ad combinationes tā respexit philosophus, quam ad numerum absolutarum qualitatum secundum tactū primarum & simpliciū: sicut ex c.2. apparet: συνδυάσεις verò produxit ex decreto naturæ, non ex suo arbitrio. Nec hanc quęstionem primum genuit Scotus, vt supra gloriabatùr se inaudita allaturum nēpe vt emptores ad chartas alliceret; pridem Fernelium ex Arist. ita loquentē impugnauit Cureus & hunc imitatus Leonardus Fuchsius & alij plures ex Gal. præuio, qui disputatione conficere voluerunt summæ caliditati coniunctam esse siccitatem summam; sic in alijs quoq;. Concesserim istud fortè de eadē materia de diuersa non concesserim. Nec video quomodo in natura locum habere possit istud, *summum*; Nō ita loquitur philosophus. Aqua nunquam tam frigida est secundum naturam, quin excessum præter naturam admittat. Ignis naturalis, excessu flammam in idonea materia gignit, omninoque destruit, id quod procreauit natura per vim, vt appellat philosophus in 4. Meteor. 1. Deinde: num summæ frigiditati etiam coniuncta est summa siccitas? An absolutè loquuntur an verò comparatè? Summa potest esse in aqua frigiditas; sed non summa siccitas: prius enim desinet esse aqua. Summus calor in feruente oleo esto: num summa quoque siccitas? Terra summè sicca esto; num & summè frigida aut calida? Aer summè humectat; an etiam summè calet aut friget? Etiamsi igitur in Elementorum tantum ratione naturali istud paradoxum examinem, tamen vtilissimum ibi deprehenditur. Vnius esse quod vis Elementum potius dicit Aristoteles; nempe ab

pe ab vno potius constitutum seu per vnum determinatum. De victoria nihil admodum. Explicat autem philosophus hoc etiam aliter in 2. de ortu 5. Vbi ex vna cōtrarietate producit duo Elementa; ex duab. quatuor; quia tot requirūtur in generatione. Vnum autem vni contrarium. Adiunctæ itaq; qualitates ad constituenda Elementa parum faciunt. Alioquin non obtusus adeo erat in istis ponendis Aristoteles. Sed alio modo quatenarius numerus labefactatur; nempè quod negato igne, tria faciat Aristoteles. Producuntur loca ex 1. Meteor. cap. 4. 5. 7. 8. lib. 3. de gener. animal. vlti. Mannifestum sophisma cōmittit Scotus in c. 4. vbi Elementum ignis vocabulo improprio ita nominari ait; cum ignis sit propriè flamma. Quid si spiritum vocemus? Caput quintum Sophisma Scotisticū penitus manifestat. Ita ait Philosophus (est autē tex. in Græcis c. 4.) πρῶτον μὲν γὰρ ὑπὸ τὴν ἐγκύκλιον φορὰν ἐστὶ τὸ θερμὸν καὶ ξηρὸν, ὃ λέγομεν πῦρ. ἀνώνυμον γὰρ τὸ κοινὸν ἐπί πάσης τῆς καπνώδους διακρίσεως. ὅμως δὲ διὰ τὸ μάλιστα πεφυκέναι τὸ τοιοῦτον ἐκκάεσθαι τῶν σωμάτων, οὕτως ἀναγκαῖον χρῆσθαι τοῖς ὀνόμασιν. ὑπὸ δὲ ταύτην τὴν φύσιν ἀὴρ, &c. Ecquod Elementum, Scote, negat hic philosophus? Num ignem? At inquam rem maximè statuit, nomen translatum esse aut potius catachresticum ostendit. O ergo te cerebro egentem, si putas aliter interpretādum locum tā manifestū. Possemus nos simili figura vaporosum istud, quod terræ cōcaua cōplet, aquā vocare, præsertim cū dicat philos. ῥεῖν ἀναγκαῖον ἅπαντα τὸν κύκλῳ ἀέρα, ὃς μὴ ἐντὸς τῆς περὶ φερείας λαμβάνεται τῆς ἀπαρτιζούσης ὥστε τὴν γῆν σφαιροειδῆ εἶναι πᾶσαν, &c. Itē vapor maximè naturæ aqueæ est, &c. An ideo aerē esse negassemus, si alio noīe vti nō liceret? In c. 7. nō video quo pacto neget ignē Ari. nisi fortè hæc verba pro suo more interpretatur

Hac pro Arist. sententia ostēdenda affero.

De re ipsa alibi.

1. Meteor. 3

tur Scotus: τοῦ κόσμου (inquit philoſophus) τοῦ περὶ τὴν γῆν ὅσον ὑπὸ τὴν ἐγκύκλιον ἐστι φορὰν, εἶναι τὸ πρῶτον μέρος ἀναθυμίασιν ξηρὰν καὶ θερμὴν, Vnde ita argueris: *Prima pars mundi Elementaris eſt exhalatio; Nō itaq; eſt ignis.* Eſto id. Quid tum poſtea. Nam & c.5. negarat ignem eſſe propriè; Cur autem non ſit Elementum ignis ibi? Hic poſtquam generatus eſt in inferioribus breuiſſimo curſu eo fertur; & multum exhalationum corpulentiorum eo ſecum auehit. Dicatur inde totum id exhalatio, mutato nomine? an inde negatio rei ipſius eſt? Eodem argumento aerem euerte, quem veluti vaporem vocat 2. de ortu 3. 1. Meteor. 3. vocabulo ἀναθυμιάσεως diuerſimode vitur philoſophus; 1. Meteororum potētia ignem vocat, propriè nempe dictum ignem intelligens, qui in flammam interdum erumpit. Generale nomen eſt 2. Meteor. 4. halitum & vaporem comprehendens 1. Meteor. 4. Exhalationem id vocat quod ſurſum calore vectum fit materia ignitorum Meteororum, dum conſiſtit inſupera aeris parte. λογομάχον itaque potius quàm philoſophum hic agit Scotus. Caput octauum interpretatur totum id, quod in antecedentibus de exhalatione & materia ignitorum Meteororum dictum eſt. Sic enim inquit philoſophus: εἴρηται πρότερον ὅτι τὸ ἔσχατον τοῦ λεγομένου δύναμιν ἔχει πυρὰς, &c. Dic animo aperto & candido Scote; negatne hic ignem Ariſtoteles? Imo, inquies, non negat, ſed ponit potius. Aeris ſuperiori parti tribuit ignis potentiam. Cuius ignis, an feruoris? Non, ſed eius qui in vicinia eſt. Id quod ſuperius Iacob. Martin. etiam aſtruxerat. Sunt autem diuerſæ res, id quod habet potētiam alterius, & ipſum alterū. Deinde, ſi hoc ipſum dixit prius; & poſteriora ſunt priorum interpretamenta: qui fieri poſſit, vt quæ ex antecedentibus capiti-

pitibus allata ſunt, negationem ignis Elemẽtaris atteſtentur? Sic ſe defendit contra leuitatem Scotiſticam cõſtantia Ariſtotelea. Nos autẽ quid de ſupero iſto corpore ſentiamus, alibi aperiemus. Nondum enim putamus; ſatis exploratã eſſe eius naturã; nec omnino abſurdum eſſe id ꝙ veterum quidam; quorum è numero eſt & Plato cũ ſuis ſectatorib. ſtatuerunt; ſicut plurimi ex noſtris etiam ſentiunt & probabiliter additis iuſtis declarationib. oſtẽdunt. Patuit ex dictis non tam abiectum quam aſſertum eſſe ignis Elementũ à philoſopho. Quod ex Galeno & ex æquatione vtriuſq; qualitatis graduũ affertur, nihil habet virium. Dicit alicubi Scotus Galenũ voluiſſe potiſſimum imitari & explicare Ariſtotelea decreta de Elementis. Cur ergo committitur cum ijſdem; vt à quo impugnetur? Quid ſi Galenus idem cum Ariſtotele ſentiret? Sic ait idem: ἐν τούτοις μόνοις εὑρήσεις ἀμικτές τε καὶ ἀκράτους τὰς ποιότητας: ἄκραν μὲν ἐν πυρὶ θερμότητά τε καὶ ξηρότητα. ἄκραν δ᾽ ἐν τῇ γῇ ψυχρότητα καὶ ξηρότητα καὶ τῶν ἄλλων ἐν ἑκατέρῳ κατὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, &c. Paulo ante vnumquodq; Elementum ex vna qualitate ſumma definit: εἰ τὸ ἄκρως θερμὸν σῶμα νοήσαις μὴ στοιχεῖον εἶναι πῦρ εὐθέως ἐννοῶ. Itẽ, ἄκρως ὑγρὸν, ὕδωρ, &c. Itaq; Gal. ſententia tantum vnam ſummam ſtatuit; cuius gratia ante dixerat ἄκρον non reſpiciens ad alteram coniunctam: niſi velis in ſua cuiuſque materia ſummam accipere, non abſolutè. Alioquin & Galenus incurret in iſtud Scotiſticum axioma: Non poteſt fieri vt vna qualitas in pluribus Elementis ſit ſumma: Quod ſi verè amplectitur ante probatũ Galenum, proculdubio improbat rurſum. Summa enim ſiccitas in igni ſimul erit & in terra; Summa frigiditas in terra & aqua: & ſic in reliquis. Sed hæc Ariſtot. non ſunt, niſi fortaſſis diuerſa reſpicere velis,

non combinationes & rationes qualitatum inter ſe,per ſe,& abſolutè. Sed ecce argumentorum pondera in Ariſt.comparationem ſerio torquētur. Approbat Gal.apertè; vt qui non immeritò exæquarit gradus qualitatum coniunctarum in Elementis: cū fieri nō potuerit, vt ab aliqua cauſa producta ſit illa refractio, vt vocat Ariſt. At inquiet aliquis, poſt paucos verſus in eadem pagina, ex Diametro, vt aiunt, diuerſum probat? Quid tum, inquam? tam vēti plenus eſt Scotus, vt ex eodem ore paruo interuallo, calidum & frigidum efflet; & in cōtrariam partem, ſicut Cothurnus aliquis, diſputare omnia poſſit. Non autem licet hoc alteri ſine nota leuiſſimi ingenij. Sed producantur argumenta: *Aut ab omni æternitate ingenerabilia Elementa alteram qualitatem habent refractam; aut genita tempore generationis eam primum acceperunt: Sed neutro modo: Omnino ergo non habent alteram refractam.* Probatur aſſumtum: Si ſunt æterna; mutari nō poſſunt: itaq; neq; alteram qualitatem remittere, id quod fieret nullo alio modo niſi per admiſtionem contrarij: quo facto ſimul mutaretur altera qualitas, & ex conſequente totum Elementum: Nam qualitates iſtæ ſunt forma eius.: Totum verò mutatum æternum eſſe nequit. Neq; verò, ſi genita ſint, id eſſe poteſt. Nam refractio fit per actionem & paſſionem Elemētorum: At ante Elementa nō potuit eſſe actio & paſſio: Itaq; nec refractio. Alij cōcidunt hęc minutius, & plurib. argumētis Theſin eandem petunt; qualia forent: Elementa nō habent alterā qualitatē remiſſam. 1. quia nihil admittunt contrarij, per ꝙ fit remiſſio. 2. quia vna mutata, mutaretur & altera; & ſic neutra eſſe ſumma. 3. Summa caliditas gignit ſumam ſiccitatem. 4. Ad exempla ignis & terræ confugiunt. 5. Ad Galeni teſtimonium: & ſi quæ habent plura.

Contradictio.

Ne-

Negamus autē aſſumtum in Achilleo Scotiſtico: & eodem argumento contrarium probamus: Siue enim æterna ſint Elementa, ſiue genita, eandē naturam ſemper retinēt. Semper autē vnius potiſſimum eſt vnum. Nam niſi ex accidente, vt cum materia variatur, neq; in progreſſu ęternitatis, neq; poſt generationem mutatur, ſed vt primum genita ſunt, ita permanent. Munimenta ſunt tota ſtraminea, imo fluxa & euanida. Quæ enim vis ea mutare poſſit ſi ab ęterno eandem habent naturam? Quid ſi (vt pauliſper hoc donemus) ab æterno natura contrarium quid miſcuiſſet, vt fatentur & illi, qui contra diſputant, nempe Curæus, quod etiam in igni ob continuitatem eius ſit aliquid humidi? Sed cur neceſſe eſt à ſummo per contrarij admiſtionem aliquid deturbari? Quid ſi materia labaſceret aut variaret citra qualitatem contrariam? Summum autem naturale intelligitur citra exceſſum, ita vt in collatione Elementorū reſpiciatur ad σύστοιχα. In igni ſummus eſt calor, nempe naturaliter, non qualis eſt in flamma, iſq; comparatus Elementis alijs. Siccitàs in terra maior deprehenditur, ſi cum ea cōferatur quę eſt in igni. Quid interim prohibet igni talem ſiccitatē tribuere, qualis pōt eſſe in hoc genere ſumma? Hic ergo nulla opus eſt cōtrarij admiſtione, quę nec Ariſt. eſt nec vera, ſed ficta ab imperitis rerū naturalium. Contrariæ enim qualitates non miſcentur. Et lōge abſurdius loquitur Scotus, dū refractionē iſtud vocat vocabulo catoptrico potius q̄ phyſicę miſtionis. Sed & hoc, ꝙ reſpōdeamus, ſuccurrit. Eſto Eleméta æterna; fiat mutatio ꝑ admiſtionē contrarij; atq; ita vt ēt altera qualitās ſimul remittatur; at inquam nō neceſſe eſt ęternitatem labefactari. Nā etſi mutetur diſpoſitio; res tn̄ perpetua eſſe pōt. Qualitates au-

tem eſſe diſpoſitiones, manifeſtum eſt, cum nō formæ ipſæ ſint, vt ſupra patuit. [illegible], nūquam generarentur Elementa, nihilominus tamen ita ſe habere naturaliter poſſent citra corruptionem. Alterum aſſumti probati mēbrum ſapit ſomniū iſtud de aliquādo genitis naturaliter de materia & forma Elementis cū ante nunquam extiterint: id ꝙ falſum omnino eſſe ſupra oſtēdimus. Gignuntur autem & corrumpūtur etiam hodie Elementa, nihilominus perpetua eorum natura manēte. Qualis.n. primum eſt, talis ſemper permanet ſpecies tota. Itaque nulla hic quoq; opus eſt remiſſione. Quin & ſi demus fieri remiſſionē talem, an ea nullo modo niſi per Elemētorum eorū, quæ gignūtur, nempe ſingulariū actionem eueniret? Quid ſi per prçexiſtētia, & in ſubiecta materia operantia? Quid ſi cæli virib. Quodcunq; generatur Elementū, qualitates accipit non actione & paſſione ſua; nondum.n. eſt: ſed agentis ꝙ prçexiſtit actu & ſimile ſibi producit. Et omnino, vt philoſophus ait, actio fit per qualitates eiuſmodi ante Elemēta, quę generātur, exiſtētes. Malè ergo defenditur Galenus tā imperito & Sophiſtico patrono dato: Apparet ēt hoc inde ꝙ Logici exercitij puluerem vel rarò, vel malè, vel nunꝗ attigerit. Ratio quæ ſumit ab admiſtione cōtrarij vtriq; parti eſt cōmunis; & eodē modo vtramq; arguit. Siue enim æterna ſint ſiue genita, eodem res redibit, Si remiſſio illa ſtolida locum habuerit. Itaq; ex Cureo mutuò acceptū argumētum vana quadā diſtinctione ſubiectorū per adiuncta tantū multiplicauit. Hæc de quæſtione vtrū qualitates iſtæ ſint æquatæ gradib. nec ne; quam ex alieno ne parum peritus videretur diſputator his immiſcuit, atq; ita legē iuſtitię grauiter offendit. Similis fecis eſt ꝙ ſequitur, niſi quod valde violenta

περιθεραπεία ad rẽ poſſit retorqueri. Quæſtio erat de Elementorũ numero ex 4. qualitatib. petito; quem volebat infringere Scotus primũ negatione huius, ꝙ qualitates conſtituant Elementa; poſtea demonſtratione, ꝙ non poſſent cõcinnari Elemẽta ex iſtis. In hac cõbinatione videtur emergere abſurdũ hoc, ꝙ vni Elemẽto eſſent tribuenda cõtraria, Et plurib. idem gradu excellens, &c. Videtur itaq; ita numerũ quaternariũ euertere; quia niſi conſtans ſit Ariſt. aſſertio & perpetua iſta aſſignatio, nihil certi poſſet ſtatui de numero ex qualitatib. ducto. Cardo vertitur in hoc, quod dixerit, aerem eſſe humidiſſimum: humidum verò ita definierit, vt ẽt igni cõpetat. Vnum autem plurib. cõpetere nequit. Niſi fallimur, legit apud Galen. aquæ potius eſſe humidũ; id quod etiam in 4. Met. aſtruitur. Et interpretib. in recõciliatione locorum multum peperit laborẽ. Arguunt ergo hæc inconſtantiam & numerũ Elementorum ita: *Si qualitates primæ ſunt forma Elementorũ per quas numerus deſignatur; confuſis hiſce cõfundetur Elemẽtorum numerus: prius autem: ergo & poſterius:* Et ex conſequente, *dum Ariſt. cõfundit qualitates, numerum certũ nõ habet.* Probatur hoc: Humidum .n. aquę & aeri tribuit ſummum: quin & ex definitione igni idẽ erit dandum. Si enim humidum .i. ꝙ difficulter ſuo termino terminatur, facile aũt terminatur; idq; competit igni: neceſſe eſt vt hic humidus ſit; Et pro gradu terminationis ſumm ſummè; & in cõparatione cum aere, magis q̃ aer; cum longè ægrius ſuo terminetur fine. Si itaq; tria Elemẽta ſint ſum̃è humida, nnmerus quaternarius nõ cõſtat. Ratio eſt: quorum eadẽ eſt forma, ea ſunt vnum & idem: Trium Elemẽtorum eadẽ eſt forma, vt patuit: Vnũ ergo ſunt: & ex cõſequente duo tañtum erunt ſtatuenda. Et hæc conſequentur ſi Ariſt.

ſunt vera. Quod autem ſunt iſta ἀσύςατα & abſurda; iudicatur his rationib. Nã nihil minus fieri poteſt, quàm vt vna & eadem qualitas in plurib. ſit ſumma. Itẽ in igni concurrent cõtraria; humiditas & caliditas cũ ſiccitate ſumma: ex cõbinatione fiet tergeminatio: idẽ facile & difficile tũ ſuis tum alienis terminis terminabitur. Quæ nos ex Scoti partim verbis partim mẽte ſumta ita voluimus digerere. Reſpõdemus ad Proſyllogiſmũ negantes aſſumtum. Nã qualitates ipſæ formę Elementorũ non ſunt, ſed appellãtur ita nomine mutuato. Nihilominus aũt ratione proprietatis, & quia primùm inſunt, numerum poterant definire, quo pacto fecit Ariſt. in cõbinationib. Eſto itaq; proſyllogiſ. verus, ſi hoc modo ex proprijs adiunctis proceſſerit. Syllogiſ. integer hic eſt: *Qui confundit proprietates, confundit numerum: Ariſtot. cõfundit proprietates: Ergo, &c.* Aſſumtũ teſte Gal. patet ex 4. Met. 4. (λέγεται τῶν ςοιχείων ἰδιαίτατα ξηρὸν μὲν γῆς, ὑγρὸν δὲ ὕδατος.) In his ſi permanſiſſet Iaco. Mart. non immeritò dubitaſſet. Si enim proprijſſimè humidũ cõpetit, & aer potiſſimũ humidus eſt: quî fiat, vt cõfuſis his nõ confundatur numerus Elemẽtorum, ꝗ inde tanꝗ ex cauſa effectũ pendet? Diſcordes locos negato aſſumto cõciliant interpretes ita, vt philoſophus in 4. Met. vbi de miſtorum affectionib. agit, intelligat humidũ id ꝙ pro glutine eſt miſtis, quodq; cauſa eſt vt ſiccum terminetur. Nam videntur & definitiones diſcrepare aliquantulum: in 4. Met. ait: τὸ μὲν ὑγρὸν εὐόριςον, τὸ δὲ ξηρὸν δυσόριςον, καὶ τὸ ὑγρὸν τῷ ξηρῷ αἴτιον τοῦ ὁρίζεσθαι. In 2. de ortu 2. ita: ὑγρὸν τὸ ἀόριςον οἰκείῳ ὅρῳ εὐόριςον ὄν: ξηρὸν εὐόριςον μὲν οἰκείῳ ὅρῳ δυσόριςον δὲ. Sed de his paulo poſt. In Elementis vero abſolutè cõſtituendis humidum per ſe & abſolutè accipitur, nõ vt ſit vinculum terminati ſicci. Similiter illud in

ma-

materia potius consideratur; hoc magis per se. Est autem aer naturæ mutabilis maximè ob materiæ tenuitatem & agentium circumfusorum vim. Itaque naturã eius non in alterato considerat, sed in eo qui à generatione recens nihil dum passus est; & talis est vapor; humidior calidiorq; quàm aqua deprehẽsus effectu. Alij vocabulis ista discreuerunt; aquam madefacere dicunt, aerẽ humectare. Hoc significauit Philosophus 2. de ortu 2. διερὸν ἐστὶ τὸ ἔχον ἀλλοτρίαν ὑγρότητα ἐπιπολῆς: βεβρεγμένον δὲ εἰς τὸ βάθος: si modo hæc ad primas qualitates sunt referenda, quod nõ videtur. Paulo post: ὑγρὸν appellat; ἔχον οἰκείαν ὑγρότητα ἐν τῷ βάθει. Alia itaq; sunt illa. Insuper si aer & aqua inter se comparentur effectu hoc: deprehendetur si cyathus aquæ redactus fuisset in aerẽ, hic ipse lõge plus humectare, quàm aquæ cyathus. Proportio itaq; nõ æqualitas in quãtitate est respicienda. Esto & tactus iudex in his, cũ sint qualitates tactu cognoscibiles. Vapor subinde etiam interiora perfundit humore: Aqua tantum exteriora. Sed de his non plura. Ita ergo excusari poterat philosophus ratione materierum diuersarum, in quibus est ista qualitas, & ratione effectus; & deinde diuersorũ locorũ, in quib. ista loquitur, diuersa subiecto. An philos. in 4. Met. etiam ad vulgi iudicium respicit, perinde vt facit in problematis de radijs visiuis; & in 1. de ortu, de aere & vacuo? De Gal. sententia hic nihil attinet dicere. Ad illud, ꝙ de igni disputat physicus noster, descendimus. Conuincere enititur ex verbis Arist. ignem humidissimũ esse dicẽdum, argumẽto à definitione humidi: *Quod proprio termino est finitu difficile, e. humidũ: Ignis proprio termino est finitu difficilis. Ignis ergo est humidus.* Et hęc postea augẽtur gradib. Ita vt sit summe humidus ẽt vltra aerem, qa maximè difficilis est finitu.

Aſſumptum patet:quia tenuibus & ſubtilib.partibus, idq; plus aere coaleſcit.

Videtur hoc argumento non tam quaternarium numerum Elementorum euertere velle, quam definitionem humidi expungere. Atq; ita ex vna fidelia duos dealbauerit parietes, quod aiunt.

Ad propoſitionem dicimus, quod addi ad definitionem plenã ex ſententia Peripat.debeat particula εὐόριστον, potiſſimum cum hac ſola vtatur in 4. Mete. 4. Interpretãtur autem iſtam definitionem ſeu potius deſcriptionem ita, vt humidum ſit quod termi num proprium non conſeruat, alienum verò facilè admittit. Siccum contra quod difficilè recipit alienum. Videntur autẽ diſcrepare ſententiæ. In 4.Met. philoſophus aquæ hoc tribuit vt terminet ſiccum propter humidum. Terminus eſt is qui durum aut molle facit 4. Meteor.5. Omne corpus ſuo fine terminatum eſt durũ aut molle. Sic cum, quod omnino eſt aridum, & omnis expers glutinoſæ humiditatis, nõ cohæret. Itaq; neq; durum neq; molle, i. ſuo termino non bene terminabitur; cõtra id quod ſupra dictũ eſt. Aqua accedẽte terminabitur. An itaq; hic terminans intelligitur terminus? Humidũ enim viſcoſum claudit certo fine. Alibi calori hanc vim tribuit vt 4. Mete.2. Accidit omnibus hoc pati cum victa fuerit humiditas. Hæc enim eſt quæ terminatur ab ea, quæ in natura eſt, caliditate. Sic c.1. actiuis qualitatibus vim terminandi, paſſiuis vero ipſum terminari aſſignat. Itaque cum humidum dicitur interminabile proprio termino; ſignificatur humidum ſibi relictum diffluere, alieno autem facilè terminari, nempe calore, ſed non ſine terreo ſicco. Id apparet in miſtis & ijs quæ coquuntur. Nam craſſeſcit coctione humidum poſtquam tenues partes exha-

exhalarunt. Fit etiam per frigus dum coagulat. Agentes itaque qualitates terminant patientes, quia materiales terminantur: interim non obstante, quod siccum dicatur terminari mediante humido. Nam vicissim humidum mediante sicco concrescit. Siccum superficie claudi nequit sine humido; Sic philosophus: Terminatum est siccum humido operantibus actiuis 4. Meteororum 1. Sic & dissoluuntur. Nam termino amoto per dilatationem humescit res, aut in puluerem diffluit: sicut fit in corruptione per putrefactionem. Cernũtur autem hæc in differentibus, Non enim vno caloris gradu aut frigoris, nec omni materiæ accidunt similiter. Aliquando terminus formam significat & id quod continet. Vnde quod facile accipit formam ab agente facilè terminabitur alieno termino; sed hæc significatio à præcedente pendet. Dum enim partes continentur & continuum fit totum, finitumque, formam inde certam emergere necesse est. Et quandiu illa forma manet, tam diu terminus inest, Hinc aqua non immerito facilè terminabilis est termino alieno, quia facile à frigore concrescit, & à calore mutatur in alium terminum seu formam, Siccum non facilè mutatur in aliud. Itaque non facilè aliunde terminum ascifcit. Ipsum autem sua virtute facilè coercetur & constanter terminum retinet suum. Est & tertia quædam opinio itidem ex philosopho collecta, qui ipsum bene terminabile diuerso modo explicare videtur. Sic inquit: τὰ εὐόριστα τῶν διαιρετῶν, καὶ παθητικῶν μικτά. διαιρεῖται γὰρ εἰς μικρὰ ταῦτα ῥᾳδίως. τοῦτο γὰρ ἦν τὸ εὐορίστῳ εἶναι· οἷον ὑγρὰ μικτὰ μάλιστα τῶν σωμάτων. εὐόριστον γὰρ μάλιστα τὸ ὑγρὸν τῶν διαιρετῶν, ἐὰν μὴ γλίσχρον ᾖ &c. Similiter in 4. cæli. 6. εὐδιαίρετον τὸ εὐόριστον, καὶ μᾶλλον τὸ μᾶλλον, ἀὴρ δὲ μᾶλλον ὕδατος τοιοῦτον, ὕδωρ τῆς γῆς·

4. Meteor. 1.

1. de ortu. tex. 89.

καὶ τὸ ἔλαττον δὴ ἐν ἑκάστῳ γένει εὐδιαιρετώτερον καὶ διὰ σπᾶται ῥᾶον &c. Rationem bene terminabilis & essentiam esse hanc ipsam ait, facilè in parua diuidi posse mistile passiuum. Aqua iam facile est terminabilis sed termino alieno: Nā in puluerē fusa aut in terrā, irrepit omnesq; etiam minutas particulas peruadit: sed hoc plus faciunt ignis & aër: & sic quò quid tenuius & penetrantius, eo terminabilius erit ab alieno. Siccū facile terminatur suo termino: Cum.n. non sit continuū, in minutissimas sensu partes dilabitur: alieno termino difficulter nēpè humido. partes. n. humectatę vel madefactę subinde cohęrent. Hæc significatio priorib. aduersatur. Nam ibi continuitatis terminus & certa forma significabatur quæ continet partes ad vnū integrū: Hîc diuisio etiā in minutissima, quantū fieri potest ad sensum. Illis bene terminabile erat, q̄ à calore & frigore promtè coagulabaē & formabatur; hîc q̄ facile dissecatur in q̄ plurimos terminos. Quomodo iam intelligenda definitio humidi? Videtur. 1. statim aspectu accipienda iuxta tertiā interpretationē. Dum.n. tenue refert ad humidum philosophus, repetit idē, additq; quod replere seu repletiuū (ἀναπληστικὸν) esse, sit humidi ob hanc rationē, quia non quidē est terminatū at bene terminabile, & sequitur id à quo tāgitur. Tenue quoque, quia subtiles habet & paruas partes, repletiuum est & totum tangit totum: quibus verbi quid aliud signatur, quàm ista diuisio in minuta ob sequacem naturam quæ ingredi & se totam immiscere potest? Quin ergo cum Scoto dicimus oportere ignem, quatenus tenuis & subtilis, λεπτομερὲς καὶ μικρομερὲς, esse humidum, id que aëre magis quo ipsum excedit istis materiæ qualitatibus magis? An ignis ἀναπληστικὸν non est; neque etiam

ἀκολου-

ἀκολουθοῦντῳ ἀπολομένῳ? Vnde recte tenuis dici nequit? Est. n. maximè formæ & inter Elemēta maximè incorporeus. Neq; terminabile pendet potissimũ ab Essentiæ subtilitate, sed à diuisione tali, qua siccum promptè subit eiusq; partib. totis miscetur; facitq; vt cohęreāt. Ignis vero agens potius causa est cōplementũ termino addens, dũ humidũ nimiũ cohercet: excessũ verò agendi dissipat potius q̃ terminat; imo in ignē cadere nequit terminabile, quâ maximè ignis est. Elencho itaque secundum quid peccauerit Scotus. Facit huius paralogismi mentionem etiã Andreas Cæsalpinus, doctissimus peripateticus lib. 4. quæst. peripateticarũ, quæstione 1. Itã Bernardinus Telesius l. 3. de rerũ natura cap. 27. Vnde trãscripsit hæc forte I. Martinus; sicut alia plurima, nõ tantũ ad simplicia Elemēta pertinētia sed & ad mista de quib. in altera parte videbimus. Vnde gloriã sibi in vestibulo arrogatã nõ mediocriter labefactauit. *Circa ignis siccitatē*, inquit Cæsalpinus, *dubitatio est. Cũ n. tenue & crassum species quedã sicci & humidi ponantur ab Aristotele; quod tenuium est partiũ, repletiuum est, vnde ad humidum pertinet. Si iam ignis est tenuissimus: ergo maxime humidus.* Soluit obiectum ita, vti putet, *eas esse species humidi & sicci eorum, quæ propriè talia dicuntur, nempe terra & aqua.* Ideo tenue & crassum tantum, tantum in illis intelliguntur, & quæ constãt ex illis, vt terra & terrea crassa sunt, aqua & aquea tenuia &c. Sed vereor ne quis ipsi obijceret, de tali delectu philosophum nõ loqui. Cum enim eas qualitates, per quas Elementa designentur, primum velit distinguere & primas à secundis discernere; in genere sanè seu absolutè de eis sermonem instituit: Item si de propriè humidis loquitur; cur omittitur aër, quem etiam in 4. Meteororum: vltimo vnâ expressit? Si *2. de gen. & cor. tex. 10.*

quis

quis peripateticam sententiam sequi nollet; is facilè definitionem humidi obscuritatis damnatam abijceret; & aliquid denuo promeret siue quod humiditas sit siccitatis absẽtia aut ꝑiuatio; sicut frigus caloris absẽtia vocatur, & tenebræ luminis; siue quod humidum sit, quod propriam humiditatem in profundo habet; sicut 2. ortus 2. legitur; siue quocunq; alio modo velit definire, id quod non facile est in qualitate per se sine materia, verbis assequi: Vnde philosophus semper subiectum vnâ comprehendit Non ineptè diceret, humiditatem qualitatem corporis humidi, vt humidum. Qua ratione omnis difficultas circa tenuitatem ignis facile tolleretur. Sed hæc sat prolixè ad quæstionis obscuritatem persecuti sumus. Restant axiomata Scoti examinanda, & quæ consectaria absurda accumulat. *Fierine potest*, inquit, *vt vna qualitas & eadem summa sit in pluribus Elementis? Nihil minus. Nam qualitas aut forma Elementi est, aut per eadem habetur; Vnde si eadem esset in pluribus, nulla esset eorum distinctio.* Rectè inquam, Scote; si illud *Sũma* absolutè acceperis. Nam proprium & per se vni competens, multis commune non est. Sed quo œstro incitatũs supra commendabas Galeni à philosophi veritate ἀποστασίαν? An non is, qui vtramque qualitatem in omni Elemento ait esse summam seu summo in gradu omnes facit communes? Si summa est siccitas in igne, quomodo eadem qualitas sũma erit in terra? An terra non est sicca? Si aër summè est humidus, atque similiter aqua, quî fiet, vt propriæ qualitates non fiant communes, aut saltem formæ Elementorum simplicissimæ partibiles? Bene ergo philosophus noster disterminauit eas inter se ita, vt vna per se insit, quæ est potissima; altera veluti accidentario; qua ratione non absurdum est propria

Contradictio.

pria

pria communicari. Sed tamen & tunc genere quidē eædem fuerint; at ſpecie diuerſæ. Non enim idem calor eſt ignis & aëris; ſicut nec Solis & ignis & animalium, te iudice. An genus quoque iſtud non vni vocum eſt ſed homonymon? Poſtea de igni pronun cias quòd difficilius ſuis extremitatibus contineatur & coërceatur, quàm aër: De quo verò igni loqueris? De caloris exceſſu, an de Elemento? Flamma non infinita eſt; ſed facilè cohæret. Vnde quidā illi tribuerunt aliquid humidi. Oſtendit autem id etiam craſſities eius. Omne enim craſſum terminabile & terminans eſt. Terminat enim viſum; ipſumque ſua forma continetur & continuum eſt partibus. Sic aum aër Vaporoſior nebuloſusque fit, aut etiam in nubes cogitur, accidit. Quod ſi de igni Elementari ſermo eſt: is eo dilationis peruenit, vt am plius dilatari nequeat. Itaq; interminabilis: At quia ipſe quoque cohæret & continuus eſt, alia ſignificatione ἐυόρισ© eſt. Sed has ſignificationes minus probamus. Ad vltimam, quę eſt philoſophi propria ſi reſpexerimus, ſuo vix alieno omnino non eſt terminabilis. Nam qua ſiccus eſt, ad materiam accedit; ſed ita vt inter reliqua Elementa quàm longiſſimè ab eadem abſit: Ideo minimum terminationis patietur. Quâ calidus eſt, terminat, non terminatur. Ab alio autem terminari non poteſt. Eſt enim maxime formæ & ſummè actiuus: Terminari autem materiæ eſt; & potius humidi ſicci. Vnde hac quoque ratione neutiquam poteſt eſſe humidus: quia in eum non cadit terminatio ex hac parte quæ ipſi Eſſentialis magis eſt. Dicis eum coaleſcere ex ſubtilibus par tibus: at ſic maximè erit terminabilis per ſe, vtpote continuus exiſtens: Si terminatio eſt continui: an ab alieno coalauit? Sed non caret ſuſpicione illud

coale-

coalescere ex subtilibus, quasi humidus inde esset. Si liberet æquiuocorum Sophismatis ludere, quam te hîc pungeremus vicissim? Obseruamus etiā disputatorem nostrum homonymiam inde inducere quod respectibus mutuis Elementa possint dici bene vel difficile terminabilia. Nam ignis difficilius suo terminabilis termino quàm aër, facit vt aër suo termino sit facilis terminatu. Sed hoc certitudinem omnem definitioni adimit. De absolutis philosopho sermo est.

Porro ex falso fundamento portenta similia producis. Ignem humidissimum esse voluisti ob partiū subtilitatem. At inquam hæc ei non per se sed ex accidente inest;& secundum quid; vt diximus: Itaque non humidissimus; vt qui ne humidus quidem est eo, quod per se humiditatem definit, non presente. Cadit ergo τερέτισμα illud de contrarietate humidi & sicci in igni: Eneruatum & languidum est theorema de tribus imo quatuor ei inexistentibus qualitatibus; Sophistica & detorta conclusiuncula est de εὐοριστίᾳ & δυσοριστίᾳ. Inesse vtrumque potest κατ᾽ἄλλ. Homonyma sunt argumenta; nihil nisi Sophisticum concludunt; iam inuertimus argumentationem totam, & contra ita inferimus:

Quod siccum est, bene terminabile est proprio termino.
Ignis est siccus: bene ergo terminabilis est proprio termino.

Declarabimus autem id vt ante: * Rursus:

Quod proprio est terminabile bene, id est difficulter alieno:
Et hoc est contrarium humido: ignis itaque minimè humidus est.

* ὅπερ δεικνύειν ἔδει.

QVÆ-

QVAESTIO VI.

Qua disputatur Caput 7. Iacobi Martini Scoti, In quo oppugnat adiuncta Elementorum duo nempe grauitatem & leuitatem, ita vt hæc esse Aristoteles sensit.

PRincipis peripateticorum Aristotelis philosophiam, vt primum in lucem prodijt, maximi habitam esse, nemo est qui addubitet; nec qui bonus est, hãc ipsi laudem invidet, aut Alexandro Magno liberalissimè ingenium viri persequenti, factorum pœnitentiam suadere velit. Vnicus est inuêtus Ramus qui Regi inter suos Deos iam fœlicem degenti ætatem & somnianti in campo Elysio tot talentorum iacturam exprobrare ausus est. Itaque in Scommatis physicis sæpe eũ consolatur, sæpe ob damnũ exagitat. Paulo modestiores & ingenui magis sunt hi, qui in dubium vocantes quæstiones quasdam ex placitis peripateticis in cõtemplatione rerum, quæ vis sit veritatis, experiri malunt, quam in tantum virum, miraculum ingeniorum vetustorum, debacchari tam atrociter. Hos secutus est nostris temporibus Bernardinus Telesius, Consentinus cum alijs, & fundamenta peripatetica ad limã reuocando, quantũ potuit in studio naturali elaborauit; nec nos abhorremus amicè cũ eo decertare, si Deus vitã viresq; cõcesserit, nec qs alius bolũ istũ præripuerit. Is in natura effectũ, quatenus naturâ is est, principio videtur asscribere calori & frigori, à quib. causis Sol & terra primum cõstiterũt, quę grauitatis leuitatisq; calorẽ & frigus comitãtiũ adminiculo ad summum imũq; discesserint; atq; ita

ita ſpacia mundana diſterminauerint. Ex his de grauitate & leuitate talem eruimus ſententiam, quod cum frigus naturâ ſua immobile ſit, procreet grauitatem, quâ tenditur deorſum; & in loco mundi medio ſubſiſtitur citra metum: calòr contra cũ ſit naturæ nobilis, producat tenuitatem eique coniunctam leuitatem. Poterat hæc ſententia videri aliquantulum à verò exorbitare. Cum enim iuxta principium Teleſij cæleſtia in ſummo conſtiterint, in imo terrea, à natura cæleſtib. ſummus decretus apparet locus, imus terreis: Itaq; cum extra naturę placitum nefas eſt ferri corpora naturalia, cogit loci neceſſitas (ne quid de ſimilitudine à quibuſdam veteribus approbata dicamus) grauia deorſum, leuia ſurſum incitari, in quid violente obſtet; pro vt quodvis cęleſti aut terrcę naturæ eſt cognatum. per ſe itaque cauſam omiſerit Teleſius, adiunctam & extraneam ſtatuerit. Aliam ipſi videbimur infra afferre opinionem: aliam diſputator & Antagoniſta peri pateticus Scotus, quàm probare creditur non imperitus philoſophus Tempellus. Siquidem optat, vt ad eam cenſuram omnia Ariſtotelea decreta exigãtur. Fore enim vt phyſicen accipiamus puram. Nos vt fecimus in prędictis, ita pergemus in hac quoque queſtione & iuxta autoris titulum in veſtigabimus. An omnia Elementa ſurſum aut deorſum ferantur, in quo themate agetur de cauſis leuitatis grauitatisque, quàm verè eædem ſint ab Ariſtotele aſſignatæ; Et an motus ſit aliquis ſurſum deorſumque rectus. Ariſtoteles primum de his affectionibus ita docuit. *Omne corpus naturale, quodcunque intra vltimum cæli ambitum continetur, in loco eſſe ſtatuit; ambitum autem ipſum circa locum propriè eſſe tantum. Loci differentiæ ſunt, ſurſum deorſum, dextrum, ſyniſtrum, ante & retro. Vnde quicquid*

in loco

in loco est, has ipsas habet, siue per se, siue Analogia. In animatis quidem per se sunt; in inanimatis respectu animatorum, siue statuarum, quæ repræsentant animata, vt ita hæ διαςάσεις in omnibus corporibus perfectis reperiantur diuersimodè tamen vt dictum est. In plantis per se tãtum est superum et imũ; reliqua, ex collatione seu cum animalibus primò, seu cum partibus cæli secũdario insunt. In ipso cælo videtur philosopho vtraq; ratio habere locum. Animatum enim esse cælum dicit. Itaque interualla ista per se ipsi competunt; aut si non animatum est, inde tribuuntur, quia animata continet, vt perinde se res habeat, ac si quis statuæ circumponat Spharam, quæ denominationes istarum differentiarum in situ partium à statuæ partibus accipit. Superum est principium longitudinis: longitudo in cælo est eius distantia inter polos. Alter enim polorum, pars supera est: alter, pars ima. Dextrum est principium latitudinis, posterius nempe supero. Superum enim generatione prius est dextro; & accretionis initium: Dextrum verò motus localis origo est, vt in cælo oriens: vel superum est id vnde motus. Sinistra pars dextræ obuertitur, continetque in cælo locum occasus stellarum: pars anterior sensibus deputata est; posterior obuersa huic. Ex his sequitur; quod nos simus in cæli supera parte & principio, si motum primi cæli respiciamus: In infera & fine, si secunda mobilia, perinde vt & Pythagorei senserunt. Verum enimuero his videntur aduersari quædam, & primum obstare rotunditas cæli. Si enim istæ differentiæ, supera nempe significat principium, ima finem; at in rotundo corpore horum nullum est: qui fieri possit vt in cælo sit superum & imum? Sic dixerunt veteres cælum vndiquaque sibi simile esse; & quocunque in loco quis gradiatur, in eo sibi quemq; esse ἀντίποδα.

Respondet philosophus supra dicto modo duplici, primum per instãtiam; quia cælum sit animatum; item absurdum sit in cælo non esse aliquid supra, aliquid infra. Postea per Elenchum accidentis. Nõ enim qua rotundum est cælum, ea istas διαςάσεις 4.cæl.t.

habet, sed qua velut statuæ circumiecta Sphæra est. Verum rursus opponitur: *Si sursum est id vnde principium motus;cælo autem initium deest:nunquam enim moueri incepit : consequitur inde quod non possit ei tribui sursum:* Diluitur hoc per Elenchum homonymias; habere enim motus initium est vel aliquando accepisse, cum antea nullus fuerit motus; vel habere partem vnde sumitur motus initium,& vnde esset veré si aliquãdo incepisset,etiamsi nunquam cœperit. Hęc ad quæstionem quidem præsentem nihil pertinẽt: attamen explicanda fuerunt,quia Antagonista noster inde petet postea sophismatum suorum fundamenta. Patet autem philosophum de extremi cæli, quod rotundo ambitu definitur, regionibus, vt se habent inter se,sermonem instituere;& neutiquam de habitudine medij ad extremum. Alio loco τὸ ἄνω explicat aliter,nempe vbi de affectionib.corporum quibusdã,vt de grauitate & leuitate loqui propositũ habet. Vniuersum extremũ ibi suprà esse asserit, quod & positione supra est & natura primum. Positioni autẽ, quæ est suprà, opponitur ea quæ est infra:ἐν τῷ ὅλῳ verò non sunt partes plures quàm medium & extremũ, vnde si extremũ est supra, mediũ necessario infra erit. Cumq; vndiquaq; extremũ ad medium similiter se habeat; vndiquaq; illud supra erit;& mediũ vndiquaq; infra : quæ ratio in antecedentibus minime valet;cum ibi eiusdẽ extremi partes diuersæ diuersa sortirentur nomina:Hîc omnes idem nomen habent, cum omnes similiter ad medium se habeant.Porro sensus testantur, quædam à medio ferri;quædã ad mediũ:illa ergo ferentur sursum , nempe versus extremũ ob cognatam naturã; hæc deorsum, versus mediũ:vtrumq; recta linea,nisi quæ vis aliter cogat.Hinc ergo cum sursum & deorsum,

4 cæli. c. 1.

Medium dicitur nõ terra sed Vniuersi respectu:& ex accidente idẽ est terra medium & vniuersi, quia terra est in medio Vniuersi.

Est & mediũ ad quod grauia ferũtur cum in infinitũ nihil feratur.

4 cæli 4.

Hinc locus sursum dicitur locus leuium :locus deorsum dicitur locus grauium.

Vnde apparet quid sit ferri ad suũ locum : de quo postea.

ſum,loci ſint differentiæ, motus localis rectus nomen accepit;qui duplex eſt,alter à medio, alter ad medium. Motus à medio rectus eorum eſt,quæ leuia dicuntur:ad medium,eorum quę grauia.Omne enim quod ſurſum fertur aut deorſum ,aut grauitatē habet aut leuitatē,aut vtrũq;,etſi nõ ad idē. Neq; poteſt vnum & idē ad cõtraria ſimul loca vnius reſpectu moueri; Vnde nihil graue leueque ſimul eſt ad idem.Leue definitur(nēpe ſecũdũ naturalē procliuitatē non ſecundũ actum)ꝙ aptum eſt à medio ferri : graue quod ad medium aptum eſt moueri. Duplex vtrunq; eſt:aut abſolutè aut relatè.Abſolutè leue quod ſurſũ ad extremũ fertur. Vnde leuiſſimũ ꝙ ſuper omnia collocatur quæ ſurſum pergũt: Leue ad aliquid eſt & leuius quod aliquo naturâ celerius fertur ſurſum;vtriſq; molem æqualē habentibus. Graue abſolutè eſt quod ſimpliciter deorſum ad medium fertur vnde grauiſſimum quod ſub omnib.collocatur.Graue ad aliquid & grauius quod aliquo æqualem molem habente celerius mouetur deorſum. Diſtinguũtur etiam potentia & actu. Nam potentia leue quid eſſe poteſt,cum impeditur & vi detinetur,cuius tamen actus eſt remoto obſtaculo.Notandum,videri philoſophum graue & leue ſimpliciter,aliter aliquantum definire;cũ dicit graue ſimpliciter eſt ꝙ omnibus ſubſtat; leue,quod omnib.eminet.Verũ hæc accidunt. Etenim dũ ſuper omnia fertur abſolutè leue,fit vt omnib. poſt motũ emineat;aut in motu omnia antecedat;Et ſic de graui:vt hinc apparēs cõtradictio ſe ipſam facile diluat. Poſtea nõ prætereundũ hoc quoq; eſt; philoſophũ interdũ ita loq.,vt videatur graue & leue ad mot'referre; vt cũ dicit:graue & leue dicim', q̃ aliquo modo naturaliter moueri poteſt, quaſi nomina grauis

2.cæli c.3.
4. cæli 1. & 1. Meteor.2.
1.cæli. c.3.
3.cæli.1.cap.
4.cæli.4.c.
2.cæl.c. 14.
4.cæl.c.4.

& leuis à motu, qui est Leuitas grauitas, essent dedu-
4. Cæli cap. 1 cta: aliquando loquitur ita, vt corporum affecti-
Consensit ones etiam tunc cum non mouentur, denotet, sicut
id quod 8. in primis definitionibus. porro affectiones hæ attri
phys. tex. 22 buuntur vel simplicibus corporibus vel mistis. Sim-
scribit hoc plicia sunt cælum & Elementa corruptibilia: mista
est esse graui & leui quę ex his fiunt. Cælo motus circa locum tribuitur
ferri scilicet non rectus. Itaq; neq; sursum neq; deorsum fertur
al'quo. & cõsequenter nec graue nec leue est. Ex Elemẽtis
1. cæli. c. 3. corruptibilium vnum simplex habet simplicẽ mo-
2. cæli. c. 3. tum, moueturque ignis à medio semper, terra sem-
4. cæli. c. 4. per ad medium nisi quid impediat: aqua, aër ad ista
1. cæli c. 3. extrema collata vtramque subeunt conditionem, tametsi etiam in ipsis extremis sit diuersitas quæ-
3. cæl. 5. dam ob adiuncta quæ motum adiuuant vel impe-
4. cæli. 6. diunt. Nam quo maius corpus est, eo celerius
3. cæli. 5. fertur ad locum suum si nullum sit impedimentum. Confert etiam aliquid figura ad tarditatem & celeritatem motus. Graui autem adiungitur densum, Leui, rarum: & omne graue, aut durum aut molle est &c. quibus ipsis affectionibus non mediocriter iuuatur motus. Causæ grauitatis & leuitatis corporum variè explicantur. Interdum enim forma, interdum materia, interdum vtrunque; & quæ reliqua accedunt, de causa quærenti respondetur. Alijs placuit cognatio cum similibus à natura ad suum locum ordinatis; alijs figura; alij etiam ab accidente & causa efficiente atque etiam vi petiuerunt rationem.
4. cæli. c. 3. Philosophus de grauium & leuium effectrice causa ita differit: Quod loco mouetur non quoduis cuiusuis mobilis est. Quod effectiuum est leuitatis & ponderis, id est motiuum ad locum superum & inferum. Mobile est id quod potentiâ est graue & leue. Hoc autem physico. tex. 33.

planè

plané ex accidente aſſignat, vbi dicit: grauia & leuia non mouentur à ſeipſis. Nam aut ab eo quod generauit & fecit, leue aut graue; aut ab eo quod impedientia ſoluit: quę nos accipimus de primo efficiente, quod fecit, vt talis natura eſſet iſtis corporibus. Nam generatum ſequitur naturã generantis, quantum fieri poteſt. Altera autem cauſa manifeſtè accidentaria eſt. Textu 32. ita enunciat eadem: Leue fit ex graui, vt ex aqua aër. Hoc enim potentia primum & iam leue eſt. Et operabitur confeſtim niſi quid prohibeat. Actus autem ipſius leuis, eſt alicubi eſſe & ſurſum. Prohibetur autem cum in cõtrario loco eſt. Dicimus ex accidente fieri, ſi id quod impedimẽtum remouit, dicitur cauſa motus: ſiquidem ex accidente id eſt, quod vel in mobili vel motiuo, vel vt pars eſt: & quod ita motum promouet, accedit motiuo, quod per ſe ineſt. Alioquin in toto illo capite naturã dicit moueri leuia & grauia quoduis ad ſuũ locum, licet non à ſe ſed ab alio, nempe ad primum mouens reſpiciendo. Alioquin eodem capite dicit, quod ſurſum & deorſum eſſe, ſint graui & leui τὸ εἶναι. Cauſa, inquit, cur graue deorſum, leue ſurſum fertur, eſt ὅτι πέφυκέ ποι καὶ τοῦτ᾽ ἔστι τῷ κούφῳ καὶ βαρεῖ εἶναι τὸ μὲν τῷ ἄνω, τὸ δὲ τῷ κάτω διωρισμένον &c. ob hanc cauſam alibi ait, quod ferri in ſuum locum nihil aliud ſit, quàm ad ſuam formam ferri. Forma enim eſt Eſſe cuiuſuis. Probat id & alio argumento: Quod continet formæ eſt: at medium & ſuperum continent omnia: medium ergo & ſuperũ ſunt forma omniũ. Idẽ cõficitur per ſimilitudinis rationẽ: Vnde ad ſuum locum ferri eſt, in ſimile ferri: ſimilia enim deinceps ſunt poſita. Quod ſi conferas locum ſuperum & medium inter ſe; mutatur reſpectus, habetq; ſuperus locus ad inferum ſe vt forma ad materiam:

8. phyſ. c. 4. τοῦτο δὲ δυνάμει πρῶτον καὶ ἤδη κοῦφον &c.

Id indicat etiam vox ἐνδέχεται: ἐνδέχεται ἐμποδιζόμενον μὴ ἄνω εἶναι.

paulo poſt

circa finem κατὰ συμβεβηκὸς κινεῖ &c.

Ille enim hunc continet. Repetit eadem frequēter; vt paulo post in eodem capite: causa cur sursum feratur est, quia non aliter natum est ferri, sicut quod sanabile est, non alio nisi ad sanitatem mouetur, nō ad incrementum. Et graue leueq; in seipsis habere principium mutationis videntur, quia horum materia propinquissima est substantię. Horū signū est, quia latio est absolutorū & generatione vltima motuum. Vnde hic motus est substātia primus. Declarantur hæc exemplo. Nam cum ex aqua fit aër, ex graui leue; venit in superū locum: Et simul est leue, & nō amplius fit, sed iam illic est. Cum igitur sit potentiâ ad actum proficiscens: venit illuc &c. His accuratè discernuntur duæ causæ; interior nēpe, quæ est natura cuiusq;, nēpe formæ proprius motus cū materia: & exterior, quæ est mouens primum vnde illa vis & facultas ad naturā peruenit. Eodem modo semē, puta tritici, interiorē habet vim & facultatē, qua concitatur moueturq; ad simile; sed cum in potētia est, necesse est vt etiā sui proprijq; motus principium ab alio accipiat; alioquin nunquam mouebitur istâ suâ naturâ. Hanc differentiā Ramei quidā non obseruantes more suo de Aristotelica contradictione valdè triūpharūt: sed nos ipsis rependem' paria, si eo peruenerimus. Nihil obstat his qđ in 2. de ortu tex. 8. philosophus negat graue & leue actiua esse aut passiua. Seipsum. n. explicat statim; qđ scilicet quatenus talia sunt, neq; faciant aliquod alterū, neque patiatur alterum ab altero, etiam si aliarum affectionū respectu, quicquid graue & leue est, simul sit actiuū & passiuum, nempe quatenus calidum, frigidum, humidū, siccum. Duas causas exposuimus: Tertia ad materiam reuocatur. Sic enim inquit philosophus: ἐν πᾶσι τοῖς γένεσιν ὕλη ἐστιν ἡ διάστασις. καὶ

γὰρ

γὰρ ἐν τῷ ποιῷ καὶ ἐν τῷ ποσῷ ἐστι τὸ μὲν ὡς εἶδος μᾶλλον, 4 cal.4.
τὸ δὲ ὡς ὕλη, καὶ ἐν τοῖς κατὰ τόπον ὡσαύτως. τὸ μὲν ἄνω τοῦ ὡρισμένου· τὸ δὲ κάτω τῆς ὕλης. ὥστε καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ὕλῃ τῇ τοῦ βαρέος καὶ κούφου, ᾗ μὲν τοιοῦτον δυνάμει, βαρέος ὕλη, ᾗ δὲ τοιοῦτον, κούφου· καὶ ἔστι μὲν ἡ αὐτὴ, τὸ δὲ εἶναι, οὐ ταυτὸν &c. Materiã dicit etiã esse causam grauitatis & leuitatis, potẽtia q dẽ vt graue; actu verò quod iam est vt leue: Nam materiæ semper potentia adhæret, cuius aptitudo ad vtrãq; formam aliquam causam obtinet. Vnde capite 5. dicitur: quod talem habet materiam, semper fertur sursum aut deorsum &c. Ad hanc referre possumus cã, quæ à raritate & densitate petitur; Similiter à frigiditate & caliditate: Raritas densitasque manifeste ponuntur in secundo cæli cap. 13. Ex magno in minorem locum mutatio fieri potest, si condensetur. Sic & in magnum ex minore, cum rarefit: quasi quæ per rarefactionem sunt dilatata, non possint in angusto circa terram loco manere, sed necessario ad ampliorem, qui est à medio, assurgerent; quo fieret motus sursum. In 8. phys. omnium passionum principium esse ait raritatem & densitatem. Etenim graue leue, molle durũ, calidum frigidum videtur esse densitates & raritates quædam. Densitas autem & raritas congregatio & disgregatio, secundum quas generatio & corruptio substantiarum dicitur. His astipulantur scripta in primo Meteor. Vbi calor per motum affrictumque dicitur emergere; de quo nos supra quædam diximus. Inueniunturq; ex recentioribus quidam diuersum statuentes. Comprobat istud de rarefactione & condensatione Cæsalpinus & duplicem in generabilibus respectum ponit, alterum quo vt materia se habent, alterum quo vt Elementa. Omnino sicut materia prior est, ita & affectiones istius propriȩ; & quæcũq; sunt dispositiones

textu 55.

1. quæst. lib. 4. peripatet.

alię,quas oportet anteire rationem Elementorum. Vnde non calor aut frigus, sed ipsum rarũ densumque omnium, quæ sunt in Elementis, dicuntur causæ & dispositiones primæ, sed non nisi materiæ respectu. Nam perfectionis & formę aut Elementi ratione, qualitates tactiles fuerũt primæ, vnde & ipsa Elementa dicuntur prima. Ex istis porro deducitur raritas & leuitas, id quod explicat Cęsalpinus his verbis: *Ex raro & denso duo fines in materia adueniunt; idcirco duæ rationes substantiæ vtraque perficientes, quarum vna est grauitas & leuitas; quæ corporibus data sunt propter motum & quietem corporum naturalium, vt ordo & situs partium vniuersi conseruetur &c.* Sed his Aristoteles apertè videtur contradicere pluribus in locis: in 3. de cæl. tex. 57. absurdum vocat si quis velit generationem vocare segregationem ex eo quia deberet eadem magnitudo fieri grauior per cõstrictionem, leuior per segregationem. Nam si aër separatus ex aqua fuerit fiet aqua leuior: Sic si ex aëre aqua, id quod non accidit. Manifestius in 4. cæli tex. 19. graue & leue magnitudine & paruitate definire figmento assimilatur magis quàm priora. Sic enim multus ignis erit grauior, aqua & terra pauca. Rarum autem & densum reuocãtur ad magnitudinem & paruitatem, 4. phys. 84. Nam mutatio aquæ in aërem est ex paruo in magnum. Non itaque rarum & densum essent principia grauitatis & leuitatis. Respondet ad hæc Cæsalpinus, quod raritas densitasque non sint quidem causæ & principia sed dispositiones adiunctæ, quę sequuntur necessitatẽ materiæ; acciditq; vt idẽ sit rarum, quod leue, idẽ graue ꝙ densum: Sicut fit etiam in humido & frigido, calido & sicco. Ad vnũ enim effectum sæpe, plures concurrunt causæ. Et vicissim vna causa plures producit sæpè effectus:

Ipsam

Ipſam autem grauitatem & leuitatem eſſe formam ſubſtantialem probat:quia cùm motus ſint circa locum, & leuis ipſius eſſe ſit ſurſum ferri, grauis verò ferri deorſum teſte philoſopho, quæ omnia formæ ſunt: ſequitur grauitatem & leuitatem formas eſſe ſubſtantiales, hoc eſt, diſpoſitiones formales quæ formam rei proximè & primũ cõſequuntur; quanquam materia per raritatẽ & dẽſitatem ſui fiat apta ad tales formas ſuſcipiendas. Hæc diſputat Cæſalpinus apud quem legatur accuratior eorum explicatio. Veruntamẽ adhuc quęſtio manet de principatu raritatis denſitatis, leuitatis grauitatis, & caloris frigoris, humidi & ſicci. Etenim id profectò primum eſt, quod eſt alterius cauſa; at omnis raritatis in materia poterat eſſe calor & motus; denſitatis frigus & immobilitas; id quod ex pluribus tam rationibus quam exemplis poteſt oſtendi. Sed cur adeo reprehendantur ab Ariſtotele veteres philoſophi in 1. & 2. de ortu quod generationem & corruptionem συγκρίσει καὶ διακρίσει definiant, ſi omnium affectionum primordium eſt raritas denſitaſque? An excuſandum eſt id quod 8. phyſ. ſcriptum eſt, tanquam ſit ex veterum ſententia prolatum, atq; oſtenſum, ſic quoq; lationem eſſe primũ motuum; quam quęſtionem ibi tractat? Nam ſi res generantur ſegregatione & condenſatione, motum ſecundum locum præcedere neceſſe eſt: Latio itaq; generatione prior. An hæc nihil pugnant? Sed ſegregatio & cõgregatio in Elementorum tranſmutatione & omnino generatione accedunt quidem, ſed generationem per ſe, vt & corruptionem, nec faciunt nec definiunt. Sunt enim potius materiæ præparationes & in quanto mutationes, quam ſubſtantiæ, ad quas vel à quibus eſt generatio & corruptio: Et ſane genera-

S 5 tio

tio sine augmento & alteratione non perficitur, etiamsi neutrum sit. Quod autem dicitur rarefactio & condensatio principium & causa, accidentariã intelligimus non primariam. Potest enim & id principium dici, quod prius inest, etiamsi per se causa nõ est. Est & de caloris & frigoris ante rarefactionem & condensationem quædam differentia. Quicquid efficitur, ab actu existente aliquo effici necesse est. Omnis itaque calor à præexistente calore vel motu est: Omnis raritas & densitas à sua præexistente causa: verùm in alio primum. Vt ita ea raritas & densitas, quæ in subiecto mobili fiunt, posteriores sint suis causis in alio existentibus: priores verò calore aut frigore, grauitate & leuitate & reliquis ijs, quæ sunt in ipso iam perfecto. Hoc indicat & Cæsalpinus dum dicit: grauitas & leuitas perfectio quædam insequens actiuas qualitates: humidum siccum rarum densum antecedunt vt præparationes. Sed & hic scrupulus obstat, ꝙ ex Arist. Cæsalpinus grauitatem & leuitatẽ substantię & formę seu perfectioni tribuat, cum dicantur sequi rarefactionem & condensationem materiæ. Accidit enim vt dum præparata ad formam materia dilatatur ampliorem locũ occupando sursum abeat. Et Aristot. ipse videbatur aliquam causam ex materia petere. Recurrendum iterum ad dispositionem materię & formam. Perfectiones. n. sunt leuitas & grauitas. Itaq; etsi materia ita pręparata fuerit, tamen ante formam nec grauis nec leuis esse potest. Indicat hoc philosophus dũ dicit: graue & leue in seipsis mutationis principium
4. cæli 3. cap. habere videntur, quia harum materia propinquissima est substantiæ. Huius signum est, quia latio absolutorum est, & generatione vltima motuũ. Vnde hic motus est substantia primus (contra id quod

in

in 8. phyſ. dicit: ſed ſenſu ſubiecti mobilis & actus mouentis diuerſo.) Vnde cum ex aqua fit aer, venit in ſuperum locum: & ſimul eſt leue; & non amplius fit, ſed illic eſt. Cum igitur ſit potentia ad actum proficiſcens, venit illuc & ad tantum & ad tale vbi eſt actus quanti & qualis. Hæc ergo videntur cauſas grauitatis & leuitatis ſat diſertè explicare. Quam à figura ſumpſerunt veteres, eam vt accidentariam repudiat philoſophus. Celerius quidem aut tardius fecerit ferri graue aut leue; ſed cauſa principalis figura non eſt. Hæc ex philoſopho placuit ad accuratam quæſtionis diſceptationem præmittere. Iacobi Martini διαπορήματα aggrediamur. In veſtibulo capitis ſtatum litis ita informat: Omnia Elementa aut grauia aut leuia aut vtraque qualitate prædita Ariſtoteles affirmat, non modo quia ad ſuperiora loca ſuapte ferantur natura, aut inferiora eadem duce petant, ſed multo magis quia calida & frigida ſunt. O ineptum primum in veſtibulo & Logicum & Phyſicum. Diſiunctio AVT, an non ſegregata & diſſentanea enunciat, quæ non poſſunt vim eidemq; inexiſtentia inter ſe conſentire? Imo ita eſt: vox, omnia, an nō κατὰ παντὸς eſt; imò κατὰ παντός. Si itaq; omnia Elementa ſunt grauia; nullum erit leue: ſi omnia leuiá; nullum graue: Ariſtoteles iſtud, omnia, non ita vſurpat: Scoti additamentum eſt. Melius ita; Omne Elementum; ſicut omne graue; & omne quod ſurſum fertur aut deorſum: aut grauitatem aut leuitatem aut vtrumque habet: vt equipolleat diuiſioni, quoddam graué eſt; quoddam leue; quoddam viciſſitudine quadam per relationem vtrumq;. Quę nos dicimus, Scotiſticum acumen in Rameis argutijs aliquantulum exercentes; vt intelligat ſi vellemus tã odioſe argutari, nobis inge-

4. Cælic. 6.

ingenium non deesse. Eius fecis & alterum est, in causarum congregatione; eæ debebant simpliciter copulari: sunt enim simplicis affectionis argumenta: at copulantur comparatè: Vulgo etiam vitium agnoscente in vocabulis; Non solum; cui respondet in Maiorum argumento; sed etiam; at hic noster, sed potius. Vnde non comparatione tantum Logica, sed & voculis Grammaticis ineptus est. Sed cur affectio non est comparata, cum eam indicent notæ Maioris, & enunciatio interdum à rhetoris arbitrio pendeat? Si res veræ sunt, itaq; dispositæ vt par est, qua enunciatione simplici, an comparata quis vti velit parum laboro. Verùm hic & dispositio & res ipsa falsa est. Etenim si calor & frigus causa esset grauitatis & leuitatis, sane non magis sed minus essent causa, quam naturalis & insita vis grauium leuiumq;. Vnde inuertenda esset comparatio; quod non frigus & calorem statuisset causam grauitatis & leuitatis propriam, sed potius cuiusq; naturalem procliuitatem, quæ ad formam refertur. Sed fictum & falsum est, quod Aristoteles asscripserit causam calori vel frigori, & locus ex 1. cæli. ca. 3. nihil tale habet. Ex superioribus constat; quod sursum ferri sit τὸ εἶναι τῷ κούφῳ, deorsum τὸ εἶναι τῷ βαρεῖ. Hæc itaq; omnium, quæ de causis afferuntur, potissima verissimaq; habenda est. Sed quo argumento probat Scotus philosophum id dixisse? Num aperto testimonio? neutiquam; Hic enim piscis est. Sed detorto: Quomodo verò illud? *Quicquid procreatur à calore, eius calor efficiens est causa. Leuitas procreatur à calore: Ergo calor est efficiens leuitatis. Similiter de frigore ad cōtrariam grauitatem.* Probatur assumptum: *Quicquid rarefacit, id causa simul leuitatis est: Calor rarefacit: Simul ergo est causa leuitatis. Et sic in frigore quod condensat & hoc modo*

In 8. Phys. textu 32. Actus leuis est alicubi esse vt sursum.

modo grauitatem producit. O Lepidum caput: Cur non similiter de humiditate & siccitate disputas: siquidem humida sunt grauia; leuia, sicca: Cur non & de duritie & molitie, &c.

Sed assumtum negamus ita simpliciter ab Aristotele dici. (Nã de hoc agitur, an Arist. ita locutus sit & causam exposuerit: ꝙ quidẽ ad veritatem nihil referre possit: ad disputationem autẽ præsentẽ refert, & deinde ad causæ accidẽtalis & per se inuentionẽ.) Argumentum petimus ex manifesto textu qui est in 8. phys. Vbi densitatem & raritatem principia facit etiam caloris & frigoris: Earum autem causarum facit disgregationem & congregationem, quæ sunt à motu & ἀκινησίᾳ. Dicitur idem in 1. Meteor. Deinde fallit omnino assumtum, quod leuitatis esse causam calorem dicit. Calor caloris causa per se est; Leuitatis neutiquam. Alioquin cur non aqua feruens & ferrum candens sursum feruntur? Nam si leuia sunt facta, quia calida; leuis autem ratio est sursum ferri: debebant subito subuolare? Tribuit sæpe Aristoteles in Meteorologicis calori vim subleuãdi exhalationes & vapores; sed id neutiquam per se & principaliter, quanquam coniunctus semper sit calor in halitibus istis. Hic est pulcher ille Elenchus τοῦ συμβεβηκότος. In munimento assumti idem est Elenchus. Caloris propria virtus est calefactiua & adiuncta segregatiua; Rarefactio autem ab Aristotele asscribitur motui, cui accidit calor. Atqui, inquis, vis extenuatoria in igni est, dum ex aqua resoluta facit aerem; ex pinguibus sæpe macros. Eodem, inquam, redis. Ex accidente hæc fiunt; per se neutiquam: quia nempe dum ad simile operatur, mutatio ad aliam formam existit; quam necessario antecedit materię pręparatio. Alioquin cur nõ incrasset

ignis,

ignis, atq; etiam condenset; & sic vim frigoris obtineat? Sanè coctio à calore est; Eâ autem humiditas in materia terminatur: Vnde ait philosophus, necesse est vt quæ coquuntur, crassiora & calidiora fiant. Sic calor pus facit ex tenui humore; album oui inspissat, seuum & adeps coctionis sanguineæ fines quidam sunt. Quod si hic effectus est ex accidente; cur non & oppositus aduersus? Communiter hîc in quibusdam asscribitur frigori & calori in 4. Meteor. 6. Neutri ergo proprius. Insuper quærimus quomodo hic possit calorem & frigus causas leuitatis & grauitatis facere, cum calorem frigusq́; supra negauerit inesse Elementis. Non ergo terra semper grauis erit, ignis semper leuis, &c. Fallitur ergo turpissimè Scotus in Aristotelea sententia explicanda: Atqui hoc est fundamentum: quid de fundatis agetur? Sed nōdum dimittimus exordiū. Mirificè philosophatur cū dicit: leuitas efficit, vt ea in quib. inest, superiora loca capessant. Perinde ac si quærenti, cur quid sursum feratur, respondendū sit, q. a leue; hoc est, de causa interroganti dicatur effectus. Est enim causa leuitatis hæc, quia fertur sursum; vtpote formaliter. Itaq; leuitas effecta erit à latione sursum; nō latio sursum à leuitate. Turpe est professorem philosophiæ Arist. tam fœde & pueriliter hallucinari. Illud quoq; primarij professoris argumentum est; quod raritatem cum tenuitate confundit. Tenue à philosopho repletiuum statuitur & in humidorum censu habetur. Quid ergo, an calor per se tenuitatis est causa? De effectu per se hic sermo est: Contrarium ergo contrarij erit effectiuum & non similis 2. de ortu 2. At in 3. cæli 5. ita: τὸ ἐπεκτεινόμενον ἐπὶ πολὺ, λεπτόν. Tale videtur esse & rarum: quid tum inquam: coniuncta hæc fuerint fortè: at non sunt idem.

3. de gener. animal c. 5. de gene. an: c. 6 4. de gener. an: ca. 1. 4. Mete. 3. 1. de part. ani. 9.

Sic lateres fiunt & olla, &c.

8. Phys. tex. 32.

idem. Et philoſophus ex veterum ſententia loquitur: τὸ γὰρ λεπτὸν, τὸ δὲ παχὺ βούλονται εἶναι πυκνόν. Denſior ſanè flamma eſt quàm aer, at penetrantior, ſubtiliorq́;. Denſa eſt cõſiſtentia argenti viui; ac quãta ei ei ſubtilitas? Vnde non idem erit rarum & ſubtile. Eodem modo aerem diurnum philoſophus dēſum appellat, qui tamē per quosvis poros permeat ſubtilitate. Sed & oblitus eſt hic Scotus illud ἀφοριστικόν: niſi quid obſtat; quod in frigore poſuit, non vt generale ſed vt huic peculiare, cum non cõmuniter vtriſq; inferatur. Inſuper hoc ipſum NISI q̃d impedit? proculdubio opponitur naturali motui. Nāvis, quæ eſt præter naturam, ſignificatur: vt ſi ferretur omne frigidũ deorſum, niſi vi ſurſum detineretur. Age iã Scote; Num aer frigidiſſimus ad medium ſui, natura ibi manet, an verò violēte? Vidētur & Aſtrologi quidam ex veterum ordine interrogare, Num Saturni Stella vi ſit in cęlo? Nũ ſol quia calidiſſimus, non debeat omnium ſummus eſſe? Atq; hæc omnia abſurda ſunt. An non igitur eſt conſequens, Scoti φανταστιῶδες falli, dum frigori per ſe aſſcribit, quod ei 133. proble-
cõpetit ex accidente? Audiemus paulo poſt ex hoc ma. ſect. 11.
fundamento Scoto dignam quæſtionem, cur terra 9. problema
nõ ſit dicta frigidiſſima omniũ, de qua ſuo loco. De te ſect. 25.
condenſatione & contractione frigoris ita hic iu- &c.
dicamus, quemadmodũ in calore dicebamus; nēpe hos effectus & accidētarios, & in quibuſdã materijs cõmunes, atq; etiam in quibuſdã caloris magis eſſe, ſicut cũ pili & cornu & alia cõtrahuntur ignis adurentis efficacia. Sunt etiam quædam quæ frigoris vi omnino inſpiſſari nequeunt, vt ſpiritus viui, &c. His poſitis ad põdera concluſionũ digredit̃ diſputator; aitq́;: *Quod ſi verum eſt*; vt certe eſt: parum abeſt quin iuramento aſſerat Ariſtot. ita ſcripſiſſe; cũ nihil ſit men-

mendacius. Sed heus physice mirifice, Si tuo iudicio vera sunt ea, quę scripsisse dicis eundem, nempe leuia quædam esse ideo quia ferantur sursum, cum sint calida; quædam grauia quæ feruntur deorsum cum sint frigida, &c. Cur quæris an omnia Elementa sursum aut deorsum ferantur? An non omnia siue propria siue aduenticia qualitate sunt calida aut frigida? Cur autem infra negas graue id esse quod deorsum fertur, leue id quod sursum? Hic ais leuitatem efficere, vt ea in quibus est, ferantur sursum, grauitatem omnia ducere deorsum: an non hinc consequens est leue esse id quod sursum pergit, graue, quod deorsum? Aut si non velis definitionem hinc petere tanquam ab effectu, vt tibi placet, an definies leue quod calidum est, graue quod frigidum? His profectò effectum fuerit, vt de leuitate disputaris in naturalium fide asserenda omnino euaseris leuissimus & fœda contradictione constantissimus. Quid autem tandem concinnaueris, si id ita sit verum, cum sit falsissimum? Cur non, inquis, vt supremum Elementum, calidissimum, ita omnium infimum, quod terram appellamus, Aristoteli frigidissimum existit? Quod si à suis decretis non discessisset, summum profectò frigus non aquæ sed terræ Elemento tribuisset. Parce grauitati Aristoteleæ Scote: Exemplum constantiæ arrodis & minimè vētosum ingenium. Sed quale est id, quod protulisti? Ita arguis: *Qui ex suis decretis terram frigidissimam statuere debebat, at id nō facit, is à suis decretis discedit: Aristoteles ex suis decretis, &c. Ergo à suis decretis discedit.*

Contradictio.

Probatur assumptum: statuit frigus esse causam grauitatis: ergo quod grauissimum, id erit frigidissimum; nempe effectus vehementia causæ vim arguere: Terra autem grauissima: ergo frigidissima, & non

non vt alibi dicit ſicciſſima. Placet exemplum: age imitemur: *Quod frigidiſsimum eſt, id eſt grauiſsimum: Aer ſæpe Scoto teſte, eſt frigidiſsimus: aer ergo ſæpe grauiſſimus*: inde conſequens eſt. Si iam hoc neget Scotus cum diſceſſiſſe à ſuis decretis capitis ſexti: oportet autem hæc firma eſſe; quia Scotus dixit, iſta de frigiditate certè vera eſſe. Vnde quam egregiè in ſuum autorem reuertitur telum. Atqui negamus aſſumptum ex paulo ante dictis cauſis perquam pertinaciter. Munimentum eius omni vi carere aſſerimus, cum nuſquam cauſam grauitatis frigus eſſe docuerit philoſophus. Frigori aſſcribit vim congregandi heterogenea & homogenea, quo facto accidit, ſi res, cōdenſata grauior facta fuerit. Miſcentur enim ei, quæ antea leuis erat, quædam grauia: Verum vbi talis ratio materiæ nō eſt, ibi nec grauitas ſequitur, quemadmodū in aere ſynceriſſimo frigidiſſimoq́ue & in ſpiritibus quibuſdam aqueis & oleis, quædam etiam poſt frigus euadunt leuiora; idq; non ignorant Lanij. Vnde carnes humidas libentius, quàm frigore exiccatas ad libram diuendunt. Nec hoc rationum ponderibus, ſed ſtatera, adhibito libripende, eſt probandum. Fiat autem periculum in ligno humido, quod poſt exploratum pondus ſummo frigore obriguerit. Apparebit veritas argumentorum Scoti. Idem manifeſte dicit philoſophus 3. cæli text. 57. quod nempe eadem magnitudo conſtrictione nō videatur fieri grauior, veluti ſi quis ſtupæ aut fœni faſciculum prius explicatum complicaret; aut in Spongia hoc idem faceret: tametſi non ignorem inter bibliopegos ortam quæſtionem, an charta ante complanationem coarctationemq́; ſit leuior quàm poſt eandem. Iuſſi periculum facere ad lances; inuentum eſt idem pondus. Putarunt quidam

Cōtradictio.

C. 7. *συμπιληθὲν* *inſpiſſatum denſatum cōpreſſum.*

dam aerem copiosiorem, priusquam compressa fuisset, leuiorem rem facere; Sed Aristoteles ostendit vtrem inflatum grauiorem esse inani. De ligno autem & vtre innatanti aquæ; sicut & oleo, alia ratio

4. Cæli ca. 4. 12. problem. sect. 25.

est. Quando manu fit exploratio, fides suspecta est: Nam ad situm rei & afflictionem neruorum pro debilitate aut robore eorum variatur pondus. Sed hæc ἐν διεξόδῳ sat prolixè. Patet frigus & calorem per se causas grauitatis & leuitatis non esse; sed potius totius substantiæ & potissimum formæ rationem. Diximus autem etiam de terræ siccitate & frigore aliquid in superioribus, vbi explicata est causa cur philosophus in Meteoris remotissima à cælo vocet frigidissima, ante Scotum idem fieri debere intelligens, quanquam summum frigus non in eadem eiusdem globi parte ponat. Quia cum terra & aqua vnum faciant globum, aquæ tantum frigus asscribit, nec violatum est axioma: Remotissima à cælo esse frigidissima: cum de globorum collatione sit sermo. Addimus autem quod etiamsi concederemus terram esse frigidissimam; tamen hæc qualitas ei nõ competeret per se aut inesset ob grauitatem summam: sed quia tale esset τὸ εἶναι terræ, in quo plura adiuncta conspirassent. Potest opponi ex Aristotele: motus calorem excitat; immobilitas frigus; quæ & ipsam crassitiem: quod igitur summe immotum est, id frigidissimum, veluti terra. Sed eodem res redit. Adiuncta causarum & effectuum pro ipsis sæpe sumuntur: & indicatur verum efficiens per id quod coniunctum est; neq; possunt hæc vniuersalia & perpetua esse, cum per se alterum alteri & primùm non insit, vt in superioribus dictum est. Exceptum pro dignitate in παρασκευῇ ad disputationem Antagonistam tractauimus: ad caput negotij per

tij peruenimus. Sed quid est, inquit, quod Elementa, quæ grauia aut leuia appellat, sursum aut deorsum ferri dicit, si hic mundi ordo illi ęternus sit, &c. Non negat Elementa esse grauia & leuia, sed sursum deorsumq; ferri negat. Atqui hoc ipsum τὸ εἶναι κούφῳ καὶ βαρεῖ supra dictum est? Negata itaque substantia, an non negatur res ipsa, & tota leuitas grauitasque, quantum in negante est, è medio tollitur? Imo tollitur: Sed Scotus dubitat, an hoc sit substantiale graui & leui; & ostensurus quod non sit, dicit omnino non esse. Quod enim non est, quomodo ratio τὸ εἶναι alterius esse potest? Notabimus autem statim, dum negatur sursum & deorsum motus, negari simul omnem motum rectum atq; adeo simplicem; quo facto fieri non potest vt consistat argumentum de numero Elementorum ex motibus simplicibus rectis, quod ipsum vsurpauit Scotus ipse in sexti capitis initio, idque pro veritate positum ibi, hîc turpiter euertit. Hæc sunt initia huius tam bellæ disputationis. Attendamus argumentum. *Contradictio.*

Qui mundi ordinem statuit æternum, is male statuit Elementa sursum ferri ac deorsum.

Aristoteles mundi ordinem statuit æternum: Malè ergo Aristoteles statuit Elementa sursum ferri & deorsum. Videtur enim quod æternum est, semper eodem se habere modo nec vnquam mutari: quæ est mens Scoti. Nihil autem refert, simplicem aut compositum connexum facias Syllogismum. Sensus vtrobique est idem. Quid autem ad tam insulsum fatuum & ineptum Syllogismum respondeas aliud, quàm in graui quæstione, vbi de veritate naturali & Aristotelea agitur, pueriliter ludere atq; adeo se risui omnium exponere autorem? O Tempelle, quem

commendaueris, aspice. Hominem rudiorem in tota Taurinensi Academia non esse credo, & qui tantæ sit audaciæ vt nugas futilissimas scripto commendatas posteris ausit obtrudere. Sed quam belle nobis ad iugulandam propositionem porrexit cultrum? Si hic mundi ordo ęternus sit, inquit; Qui verò ordo? nempe qui proximè nominatus est, latio sursum & deorsum: perinde ac si nugareris: Aristoteles mundi ordinem statuit æternum: malè ergo ponit lationem sursum & deorsum æternam. ἐκκόρακας cum istis ineptijs. Totus mundi ordo æternus philosopho est, etiamsi Elementa non sursum deorsumq; ferantur tantum, sed & singulariter transmutentur, per generationes, corruptiones, alterationes, augmenta, decrementaq;. An hæc cæli latio circularis ex eodem argumento esset concedenda? At defuit Scoto libripens, qui motum sursum ac deorsum non potuit ad oculum ostendere: an non lucubrando hæc exarauit, vt ex flamma coniecturam caperet? An nũquam noctu iter fecit, aut prospexit vt ἄστρα διάττοντα inspexerit? An nunquam puerilẽ lusum de flaccis stuppæ incensæ lusit? An fumũ nũquam vidit? Quid verò, an aquam ex superiorib. versus decliuiora progredi nunquam animaduertit? An motum violentum sursum versus nunquam obseruauit? At eidem oppositus est naturalis; sicut vicissim quod vi in imis detinetur, id natura subuolat; an euertet totam de meteoris doctrinã? omnia ista sunt constantia & perpetua; ex quibus colligitur totius perpetuitas. Nec refert si mutabilia sint singularia. Nam in hac mutabilitate quoq; æternitas inest, sicut isti loqui solent qui fortunam instabilitate sua stabilem esse pronunciant. Eodem modo de generantibus & corrumpentib. mundũ vicissim

Contradictio.

ſim dictum eſt, eos æternum ſtatuere eundem totum,&tantum diſpoſitiones mutantem. Elenchum itaq; κατά τι turpiter incurrerit Scotus, quin omnino falſum & eneruatum in propoſitione ἰσχέτισμα. Fœcunda hæc eſt ſophiſticandi ſeges, ideo accumulantur plurima ex quibus primum eſt confectum. Secundum adoriamur. Si perpetuo, inquit, Elementa in ſuis ſedibus quieſcant à motu recto, quamuis variè à motu corporum ſuperiorum commutentur & rapiantur. Suppeditant nobis hæc à pari argutiam quandam contra antecedens Sophiſma. Si non mutatur quies Elementorum raptu primi cœli, quo circumagitantur; æternitas quoq; eorundem non mutabitur, etiamſi ſurſum deorſumq́; ferantur: aut ita: Si περιφόρησις æternitatem non deſtruit, neque εὐθεῖα κίνησις eam abolebit. Eſt enim par vtrobique ratio: quin hîc longè valentior, cum hæc ſecundum naturam ſit latio, illa, ferè dixerim, violẽta; Et nullum violentum videtur perpetuum. Videat ergo quàm acutè diſputet Antagoniſta. Syllogiſmus autem ex quæſtione & argumento hoc efficitur talis:

Quod perpetuo in ſuis ſedibus quieſcit à motu recto: id perperam ſtatuitur ſurſum & deorſum moueri.

Elementa perpetuo quieſcunt in ſuis locis à motu recto: ergo ſtatuuntur perperam ſurſum & deorſum moueri.

Aſſumpto additur quædam declaratio ineptior ipſo ſyllogiſmo. Non enim ea eſt κατὰ παντός. Neque enim aqua neq; terra neque aer imus rapitur motu ſupero: ſed id quod vicinum eſt; vt teſtatur philoſophus 1. Meteor. 3. & alibi vna cum experientia, licet quidam admodũ imbecillum argumẽtum afferant de maris motu verſus occaſum. Taceo quod aliqui de ſupero quoq; aere & vocato igni diuerſum ſtatuant. Sed cur non roboratur aſſumtum argumentis?

 Vide-

Videtur enim admodum dubia eius veritas? Explicabimus id nos aliquantulum ex quo apparebit ſimul quid ſit leuitas, & quid grauitas. Quieſcere Elementa in ſuis locis ita docemus ex Ariſtotele 1. lib. 1. cæli c. 9. ſeu tex. 100. in fine ait: ἄπαντα παύεται κινούμενα, ὅταν ἔλθῃ εἰς τὸν οἰκεῖον τόπον. Instituit ibi collationem inter cælum & alia mobilia. Cælum inceſſabiliter moueri ait ideo, quia eiuſdem idem ſit locus: Reliqua ergo quæ diuerſis in locis eſſe coguntur, mouentur quieſcuntque viciſſim: Si mouentur per naturã in alienis; in ſuo ergo quieſcũt. Et hæc cauſa eſt cur naturaliter moueantur Elemẽta, quia appe-
4. Cæli 3. tunt loca ſua tunc, cum non ſunt in ijſdem. Appe-
4. Cæli 1. tunt autem tanquam finem naturalem, & formam
& 5. & perfectionẽ: quib. acquiſitis naturaliter res ceſſat
4. Cæli 4. moueri. Quod autem dicit philoſophus, quædã ad
4. Cæli 3. medium, quædam à medio ſemper apta eſſe ferri; id non de continuitate lationis in vno & eodẽ mobili intelligitur; alioquin nunquã ad finẽ perueniretur, fieretq; contra ac vult, in infinitum nẽpe lationem rectam eſſe. Sed & illud non obſtat ꝙ aſſerit, omnia Elementa in ſuo loco grauitatẽ habere pręter ignẽ, & omnia leuitatem præter terram, id quod videtur hanc repugnantiam gignere. Si leuis ſubſtantia eſt latio ſurſum; & ignis in ſuo loco habet leuitatẽ: ergo & ſuo in loco fereẽ ſurſum; & ſimiliter terra deorſum. Facilè apparet cõparaſſe Elementorũ rationes inter ſe philoſophum. Ignis enim reſpectu reliquorum Elementorũ ſemper eſt leuis etiamſi in ſuo loco ſit: verùm hoc nõ actu ſed potentia. Et ſimiliter de terra, quę reſpectu reliquorum ſemper grauis eſt; in alieno quidem loco, cum libera eſt, actu; in ſuo, potẽtia. Rurſum dũ inquit 8. phyſ. tex. 32. actus ipſius leuis eſt, alicubi eſſe, nempe ſurſum; videtur

itaq;

itaq; in suo loco etiam actu leue esse id, quod dicitur leue. Respõdemus actum pro perfectione & forma vltima, nõ imperfecta accipi: locus autem proprius velutiforma & perfectio est. Tunc itaq; leue erit actu, seu actũ suũ habebit, cũ in suo loco est. (Quanquam quidã illud εἶναι accipiant pro φέρεσθαι) per leue aũt intelligimus corpus cui accidit leuitas; ꝙ cũ ad locum suum rẽdit, tum actu est leue; in loco suo potentia; vt dictũ est. Hoc indicatur ẽt 4. cœli c. 3. ꝙ leue sit tunc cum venit generatũ corpus in locum superũ. Item c. 5. leuitatẽ habere negat leuia, nisi in his super quæ natant. Ignis igitur leuitatem habebit actu in terra, aqua, aere; in summo vbi locus eius est proprius nõ habebit. Terra grauitatem nõ habebit nisi in ignis, aeris, aquæ, regionib. &c. Potẽtiam declaramus ex 4. cœli 3. vbi mobile, quod iam nõ actu mouetur, Elementũ dicit potẽtia esse graue & leue: Vnde quod potentiam istã deducit in actum, id dẽ effectiuũ leuitatis & ponderis: Et sic paulo post in eodem capite: cum ex potentia in actũ proficiscens venit illuc, &c. Et sic in 8. phys. si auferatur impediens, agit, & semper superius fit. Ex his patet ꝙ in suis locis actu neq; grauia neq; leuia Elemẽta simpliciter possĩt esse: potentia aũt & relatè dicãtur tantũ. An cõfectum simul est, leuitatem esse motum rectũ à medio sursum: Grauitatem motum rectum ad medium deorsum? Si enim ferri sursum est actus & substantia leuis; ferri autem sursum est motus; cur non leuitas sit motus, & similiter grauitas? Idem approbat vulgi sententia: graue dicunt quod deprimit & deorsum fertur; leue quod facile tractatur & eleuatur. Si in terra quiescat res, incertum est, grauis sit an leuis. His dictis respondemus ad Syllogismum Scoti, quod assumptum fallat Elencho

4. Cœli 1. βαρὺ καὶ κοῦφον τῷ δύνασθαι κινεῖσθαι φυσικῶς πως λέγομεν. ταῖς δὲ ἐνεργείαις ὀνόματα αὐτῶν οὐ κεῖται πλὴν εἴ τις οἴοιτο τὴν ῥοπὴν εἶναι τοιοῦτον, &c.

4. cœli 1. ἔστι ἡ αὐτῶν θεωρεία τοῖς περὶ κινήσεως λόγοις οἰκεία. Et post, quod paulo ante ascripsimus: Et: διὰ τὸ τὴν φυσικὴν μὲν εἶναι πραγματείαν περὶ κινήσεως.

ἀμφιβολογίας. Propositionis sensus est quod quatenus Elementa quiescunt in suis locis, perperam statuantur sursum deorsumq; moueri, hoc est, grauia & leuia esse actu, id quod nos concedimus. At perpetuo quiescere Elementa in suis locis, hanc habet ambiguitatem, quod aut accipienda sint in optimo & maxime secundum naturam statu, summoq; fine & perfectione: aut cum aliquid violenti sunt passa, vel corrupta aut recens genita, cum vtriq; cōditioni sint obnoxia. Interire enim possunt & vi moueri. Siue ergo retrahantur per vim ex suo loco in alienum ibiq; libera permittantur, nemo ex plebe est qui non contestetur sensu, ea referri ad sua loca; siue ex alijs quouis modo corruptis fiant; cum generatio eorum in loco proprio, in quo nihil peregrini est, fieri non possit; necesse est, vt ex eo loco in quo nata sunt ad suum progrediantur, nisi quæ vis impediat. Sic inquit Philosophus. Flammam subinde genitam ascendere ad ignis locū & ne momento quidem hîc detineri eandem: Idem de aqua asserit, si genita fuerit in summo aere & per vim nō retenta. Terrena etiam quædam elata vi caloris & comitantis ignis, vt primum deseruit ea rector, decidunt rursum: vt de cadentium stellarum muco, lapidibus & alijs constat. Si itaq; Scotus philosophi verba de vnius & eiusdem secundum se totum reciproco transcursu, cum secundum naturam se habet, accepta vult, non boni interpretis, sed deprauatoris officio fungitur: Sin altero modo: Sophistici Elenchi nota carere nō potest. Adhuc secundum argumentum, in quo potuissemus etiam taxare illud, *Variè à motu superiorum commutentur & rapiantur*: sed relinquendum etiam est aliquid Ἰοῖς μήδοις. Tertium argumentum & re & nomine Scoti est. Adeo enim inuoluitur

2. Meteor.

1. Meteor. 9. Vbi vicißitudinem ascensionis huius & descēsionis describit. Vide & cap. 12.

uoluitur crassissimis intricatissimæ cõfusionis tenebris vt vix Delij ex Logica natatoris beneficio, sed non sine sudore (quod vix credibile est in tam frigidis vndis) enatare & postea Theseo filo adiuti ex tam perplexo labyrintho euadere potuerimus. Age ergo procedat ratio:

Si non est superior nec inferior in toto vniuerso pars, ad eam nihil potest moueri: Sed non est antecedens: Et nec consequens; & deinceps necesse est omnem lationem grauium & leuium vanam nullamque esse.

Propositionis connexio Axiomate tali firmatur: Ad id quod omnino non est, nihil mutari & moueri potest.

Assumptum firmatur quadruplici munimento. 1. Testimonio Platonis dum particulam quamuis circumferentiæ circuli paribus radijs à medio distare asserit. Secundo ex Aristotele: quia nulla est dissimilitudo inter partes; Consectarium vel signũ, quisquis sibi potest esse Antipes: contradictorium ex eodem: superior pars ab inferiore facultate & forma figurarum differt. Tertio quia designationes partium in cælo sunt falsæ. Nulla enim in cælo est longitudo: ergo nec pars superior. Patet hoc: cæli lõgitudo probatur per accretionem: at in eo nulla est accretio: ergo nec longitudo: item nulla differentia est inter longitudinem & latitudinem; quia in globo omnes partes à medio pari distant interuallo: item si lõgitudo est principium, at in cælo nec principium, nec medium nec finis est: in eodem nec longitudo erit. Quartus prosyllogismus: Aristoteles eas differentias assignat animalibus propriè: ergo in toto vniuerso non sunt. Hæc Scoti congeries est; in qua emergit & nouum argumentum ab inconstantia & contradictione

Aristotelea petitum. Merito sibi placebit Scotus cũ videbit sua ἀμεθοδικώτατα καὶ ἀσυλλογιστότατα in methodum & Syllogismos tanto cum labore redigi. Non enim solet esse negligenda laus si non assecutus sis quod velis, at nihilominus negotium hominibus facesseris; Et vt de Phaëthonte scribitur, qui fuit currus auriga paterni: quẽ si non tenuit, magnis tamen excidit ausis. Sed bene se res habent. Nam ne sperare quidem potest vlla sophistica concessuros sibi homines, etiã ex plebeia fece, Veritatẽ in assumto aliq̃, vel tenuissimã esse. Omnes. n. putãt nos habere caput sursum, pedes deorsũ; vnde partes cæli postea denominationẽ capiũt. Sed roboratur assumtũ; nẽpe propugnaculo plumeo & omnino flocceo seu arenoso, in ꝙ paruũ immitte halitũ, in Atomos Democriteos dissipabit totũ. Prima *vis eius* hoc vult: Si in circulo quælibet circũferẽtiæ pars parib. à medio distat radijs; in toto vniuerso non est superior aut inferior pars. Obserua floccos: negamus connexionẽ; & omnino cõtrariũ ex antecedẽte sequi affirmamus. Mediũ circuli nominat Scotus; nominat & περιφέρειαν. Esto totum vniuersum instar circuli licet Sphæra sit: habet ergo mediũ & circumferẽtiã. Cõfer inter se situs harũ partiũ (necesse. n. est vt sint partes cũ constituant vnũ totum) aut vna extra alterã est, aut vtraq; in eodẽ loco. Hoc nõ: illud ergo: Iam inter quæ talis est habitudo vt pars post partem sit, & quidem vna media; in ijs ea quæ mediã occupant, extremorum rationem habent. Dicitur enim medium extremorum respectu. Extrema autem nõ sunt infinita: circa medium ergo sunt; si duo extrema; sursum & deorsum; si plura, emergunt latera; aut si tota περιφέρεια continua est & vndique similis ratio; tota sursum erit. Si sursum est, est & pars superior

Scoti contradictio in eodem axiomate.

rior in vniuerso integro; si superior: ergo & inferior. Relata enim simul sunt. Vnde consequens est partem superiorem & inferiorem in circulo necessariò esse. Id quod probandum erat ex Scotico axiomate contra Scotũ; quanquam nos ridebunt philosophi & Mathematici quod manifestũ mendaciũ tot verbis oppugnemus. Sed dabunt aliquid ludo. Tam.n. puerilis est & inepta Scoti phantasia, vt nihil nisi iocos requirat pro refutatione. Quod ad Platonem attinet, is in Timæo loci differentias aperte agnoscit, vt nihil possit patrocinij ab eo sperare. Secunda πίστις ex Aristotele est talis: Si nulla est inter partes τοῦ ὅλου dissimilitudo, neq; superior neq; inferior in eo pars erit. Sed verũ prius: Ergo & posterius. Argumentũ hoc ex Schola veterum absurditatum referente Aristotele in 1. cap. lib. 4. de cælo huc traductũ est, & præteritus locus à Scoto ne animaduerteremus fraudẽ. Tam stupidos & credulos quæsiuit Lectores. verba philosophi: ἄτοπον τὸ μὴ νομίζειν εἶναί τι ἐν τῷ οὐρανῷ τὸ μὲν ἄνω, τὸ δὲ κάτω, καθάπερ τινὲς ἀξιοῦσιν. οὐ γὰρ εἶναι τὸ μὲν ἄνω, τὸ δὲ κάτω φασίν, εἴπερ πάντῃ ὅμοιός ἐστι καὶ πανταχόθεν ἀντίπους ἔσται πορευόμενος ἕκαστος αὐτὸς ἑαυτῷ. Horum amentiæ primum opponit philosophus rei veritatem. Nam absurda alio labore fere non sunt refutanda quàm instantia: vtrumq; enim sua vi manifestum est: Secundo argumentatur ex situs partium collatione: Dicit ergo: ἡμεῖς δὲ τὸ τοῦ παντὸς ἔσχατον ἄνω λεγόμενον, ὃ καὶ κατὰ τὴν θέσιν ἐστὶν ἄνω καὶ τῇ φύσει πρῶτον. ἐπεὶ δέ ἐστι τι τοῦ οὐρανοῦ ἔσχατον καὶ μέσον, δῆλον ὅτι ἔσται ἄνω καὶ κάτω &c. Similiter se habere vndiquaq; cælum ait: at inter partes eius aliã hîc, aliã ibi esse sitam ex natura continuorũ & experiẽtia pronũciat. Quid Scotus? Ex simili habitudine cæli negat partiũ diuersimode sitarũ differẽtiã, eo nempe argumẽto,

quod

quod propositam thesin omnino non arguit; sed contrarium potius probat. Nam similitudo etiam in situ simili est. putat autem fieri dissimilitudinem, si statuatur superius & inferius: vano admodum timore. Similitudinem necesse est inter diuersa seu plura esse. Vnum enim & idem quatenus tale, neq; simile neq; dissimile habet. Si ergo Scotus concedit in cælo similitudinem, necesse est vt ea vel sit in pluribus cælis vel in vnius partibus dissentaneis. Non illud: hoc ergo: Rursus aut in substantia hoc erit aut in affectionibus: Illud non; similitudo enim est in qualitate comparata: Ergo in affectionib. Si omnes percensuerimus, tandem peruenietur ad Situm: Situs enim materia est, de qua verba facit eo in loco philosophus. Positiones quæ sint manifestum est. Videat ergo Scotus quo iure concessa similitudine in genere neget situs partium similes atq; inde sursum & deorsum. Age verò ex eodem fundamento etiam nos aliquid producere monstri tentemus: Quarum partium similitudo est, eę inter se qualitate consentiunt: Omnes ergo cæli partes sunt calidæ, omnes frigidę, oēs asperæ, leues graues &c. Et omnino q̃ vni tribueris qualitatē, eā alteri quoque tribuere necesse: est iuxta Scotisticam ex paradoxo isto consequentiam. Quid quod rebus ipsis & diuerso situ concessis, nihilominus similitudo & dissimilitudo in eisdem, licet nō ad idem possit habere locum? Apparet itaque ἀσυλλόγιστον huius paradoxi. Additur ei declaratio, quod quisq; sibi possit esse antipes nempe non vno & eodem situ eiusdem: Habet enim vbicunq; gentium existat homo naturaliter, se eodem modo ad cælum & terram. At in ipsis locorum mutationibus, cælique & terræ distantia, est diuersitas. Extremitas enim mundi in summo est; cētrū in me-

in medio;quod eſt imum,ſi conferatur ad illud. Et hæc de collatione medij cum περιφερείᾳ. Eſt & alia expoſitio eiuſdem Axiomatis in 2.de cælo 2.Vbi diſputatur non de habitudine medij ad extremitatẽ ſed de ratione totius cæli quod ob rotunditatem ſe vbique ſimiliter habet.Vnde poſitiones loci nempe dextrum,ſiniſtrnm,ſurſum, deorſum &c. penitus tolli videntur,cum ob partium ſimilem poſitum in Sphæra nulla ſit ratio, cur altera dicatur ſiniſtra, altera dextra &c. Hoc tametſi plauſibile ſit, tamen philoſophus per potentiam & motus principium ſoluit.Verùm cum in mundo non vna tantũ Sphæra ſit,nec tantum περιφέρεια;ſed plures Sphærę & cętera; variare poſitum alterius ad alterum neceſſe eſt, vnde emergit illud ſummum & imum ſeu ſurſum & deorſum, quod in doctrina de graui & leui quærimus.Hæc de hac πίστει. Sequuntur iam plane contraria;quæ cur copulauerit iſtis Scotus,quę cauſa ſit alia quàm turpiſſima diſſentaneorum argumẽtorum confuſio? Copulantur enim naturâ tantum conſentaneæ.Sed eſto hoc conſilium Scoti quod voluerit abſurditatem rationum Ariſtotelearum indicare per contrarium axioma: an vera eſt contradictio?In explicatione potiſſimum in partibus Sphæræ, obijcit philoſophus rotunditatem vndiq; ſimilem,quæ non pati videtur diſcrimen ſuperi, inferi, dextri,ſiniſtri &c.Soluit ita : ἀλλὰ νοεῖν δεῖ,ὥσπερ ἂν εἴ τις ἐν οἷς ἔχοι τὸ δεξιὸν τὸ ἀριστερὸν διάφορον, καὶ τοῖς σχήμασιν:εἶτα περιθείη σφαῖραν.ἕξει μὲν γὰρ τὴν δύναμιν διαφέρουσαν, δόξει δ' οὐ διὰ τὴν ὁμοιότητα τοῦ σχήματος.Senſus eſt:quãquam non obſeruentur partes dextræ & ſiniſtræ in Sphæra, tamen ita accipienda res eſt, quod ſe habeat perinde ac ſi quis corpus aliquod,veluti ſtatuã, in qua pars dextra à ſiniſtra etiam figura differt,circum-

cumdaret Sphæra:non apparerent quidē tunc partes ipsæ,quia vbique eadem facies rotunda forinsecus occurreret;attamen potentiam differentem haberet reuera. Vbi hîc primum contradictio? Similitudo partiū in Sphęra manet:omnes.n.æqualiter sitæ sunt:atqui δύναμις diuersa est. Diuersimode vna eademq; res affecta, dissimilis similisq; apparet. Vbi contradictio? Deinde aliud hîc nempe vna Sphæra, aliud in doctrina de graui & leui tractatur. Tertio insigne mendacium est, dū philosopho attribuitur talis enunciatio: Superior pars ab inferiore non tantum virtute & facultate, sed etiam forma & figura differt. Falsum hoc est, & ab Aristotele alienissimū. Non ergo proficeret disputator, ni fidem quoq; suā prostitueret, & mentiri non erubesceret. Non ignoramus cæli vim aliam esse, quam terræ, formamque eius æternam singulariter seu specie sua differre à formis corruptibilium, quanquam genere tot sunt principia eademque in æternis, quæ in corruptibilibus: Veruntamen vbi ista disputantur, de cælo sermo est, vt propriè accipitur pro ambitu vltimo, in quo forma partium non differt. Omnes enim similiter se habent. In virtute quoque, quā dicit Scotus, aliquid ὕπουλον videtur latitare. Philosophus δύναμιν vocat: quod vocabulū quomodo accipiatur, non est obscurum. Astrologi differētibus cæli partibus, quas domos vocant, differentes facultates assignarunt. Sed videndum, ne, quod accidentarium est, pro eo quod καθ' αὑτὸ competit, arripiatur. Adhuc de secundo propugnaculo. Tertium prosequimur.

Si in cælo est longitudo, neque pars superior est: Verum prius: ergo & posterius. Patet assumtum, quia nec principium nec accretio, nec diuersitas in-

ter la-

ter latitudinem & longitudinem: Seu ſi non eſt latitudo, non eſt longitudo; altera enim ad alteram dicitur &c. Ex conſequente, ſi non eſt pars ſupera; neq; infera erit.

Diximus de toto hoc negotio in veſtibulo capitis: & recurrent hæc etiã infra. Negamus igitur breuiter aſſumptum; & contrariũ probamus per idẽ argumentum quod Scotus negat. Si in cælo eſt ſuperum, eſt & longitudo; ſed eſt ſuperum: Ergo & longitudo. Connexio probatur ex Analogia; quia in animalibus pars ſupera & longitudo cõſentiunt, ita vt alterum alterius ſit indiuulſum adiunctum. Superum enim cum ſit terminus primus, non poteſt eſſe niſi in ijs, quæ ſunt deinceps producta & longa, quâ talia. Initium itaque longitudinis eſt pars ſupera. In cælo vero partem ſuperiorem eſſe probat Ariſtoteles, quia ſit perfectum corpus, vt nos ſupra diximus, neque hoc negotiũ huc pertinet. Aliter enim hic ſuperum accipitur, aliter in doctrina de graui & leui. probationes ſimiliter negamus. In cælo enim non omne principium deeſt, quia id quod potentiâ eſt, ineſt. Altera πίσις ridicula eſt. Nam non ad cælum per ſe ſed animalia & plantas adhibita eſt accretio: ad cælum autem per ſimilitudinem motus. procedit ratio à pari: alioquin à Genere: Si in animalibus motus incipit à ſupera parte: Ergo & in cælo.

Probatur antecedens; quia accretio quæ eſt motus primus, incipit à ſupera parte. Si itaque principium motus in cælo eſt, inerit quoque pars ſupera. Quin & ſi cælo attribuatur accretio, nũ inde ſequeẽ cælũ creſcere & decreſcere? Minimè vero. Eaten⁹. n. tribueretur, quatenus per cæli vires omnes perficiũtur mutationes. Sed cur nulla eſt differentia inter

latitu-

latitudinem & longitudinem in cælo? An inter lineam; quæ ab vno polo ad alterum extenditur; & eam, quæ ab ortu versus occcasum porrigitur nulla est differentia? At in cælo omnia esse similia dictum est? Quid tum postea? de habitudine partium simili ad totum Sphæræ corpus, dictum est: an ideo inter se radij non differunt, quos tu supra confitebaris ex Platone? Elenchus hîc est à dicto κατὰ τὶ, quem tàm sæpe incurrit Scotus, vt non immerito falsitatis omnino sit conuictus. Adhuc tertius prosyllogismus. Ecquid quartus habet firmi? parum profecto. Negat in cælo esse summum & imum, quia hæ differentiæ sunt animalium propriæ. Malum Aristoteli ergo, qui tam peruerse nos instruxit. Putant homines ignem sursum ferri, terram deorsum: Si ergo differentiæ istæ tantum sunt in animalibus, q d prohibet corpus eorum ita fuisse constitutum, vt quidã scripserunt, quia simile ad simile fertur? Maximè si vera est pythagoreorum sententia de igni in medio. Sic de Empedocle in 2. de anima tex. 38. legimus quod partes superas plãtarum igneas, imas terreas fecerit, quia Elemẽta ita mouentur naturâ. Sed deprehendimus Scotum Sophisticum stratagema vsurpare, dum quod Aristoteles loquebatur de omnibus differentijs positionum conjunctis, is diuisè ad duas tantum astringit. Quàm bellus ergo Elenchus à coniunctis ad diuisa? Interim præterijt quod idem superum & inferum plantis non impropriè tribuat, sed itidem proprie, vt toti viuentium generi: imo omnibus perfectis ex quorum numero & cęlum est. Quid autem si cælum vocet animal? An nõ te Iudice habebit superum & inferum? Quid si cælo conuenirent ista non simpilciter sed comparate, respectu partium in animalibus? An non ita loqui licet?

2. de gen. ani. 4.

Cap. 1. de iuuent. & senect. id manifeste dicitur.

licet? Da istis vocabula καθ' αὐτὸ & doce nos proprijs quælibet enũciare vocibus; si sapies, te laudabimus. Interim cum veteribus non verebimur id quod supra nos est, superum vocare, quod infra nos inferũ. Taceo quod supra diximus de diuerso vsu horum vocabulorum in 2. de cælo 2. & doctrina de leui &c. Diuersus quoq; vsus in animalib. & cælo est. In hoc enim positura superum; in illis opere est. Vnde etsi dicatur superũ proprium animaliũ esse, illud tamen tantũ intelligeretur, quod opere superũ est: quanq̃ fortè nihil obstare possit, quin & opere superum in cælo statuatur, sed aliter ac in animalibus. In homine vtrunq; concurrit, vt & ratione operis, & positus eandem partem sursum habeat &c. Sed paulo post, quædam ex his redibunt. Colophonis gratia monemus Axioma hoc: Ad id quod omnino non est, nihil potest mutari & moueri: nõ esse καλὰ παντὸς. Quid enim? An non quod corrumpitur, mouetur ad id quod non est? Sæpè specie veri decipiuntur homines: id omnino non est; at ad id mouentur? Verum inquis, id quod corrumpitur non ad nihil mouetur; ergo ad aliquid quod quidem est. Id quod significatur etiam Axiomate hoc: quod omnis motus fit ex aliquo in aliquod. Mirum si ista res non generatio potius est quam corruptio; quæ est à substantia ad non substantiam, non respectu eius quod futurũ est, sed eius, quod cum sit, corrumpitur. Non autem substantia in physicis omnino non est: cum prima substantia remota, omnia reliqua tollantur: & quod sic corruptum est, nec potentiâ potest esse, nec actu. Deinde quàm Aristotelice enunciet idem, per *mutari & moueri*: quasi verò hæc vnum & idem significarent philosopho. Sed donandum aliquid fortassis inuidiæ. Quod de supero

pero & infero in animalibus & plantis attulimus, quod non positu sed opere istæ differentiæ sint accipiendæ, id non repugnat his quæ alibi de communi omnium facultatum animalium principio, corde nẽpe, quod non superum sed medium animalis est, à philosopho disseruntur. Intelligimus enim seu os superum seu quod vicẽ & opus oris præstat, veluti vmbilici sunt eæ venæ quæ nutrimentum fœtui ab vtero suppeditant. In plantis ea pars ima positu est, nempe radices: at quæ sunt superæ opere. Id quod sic exponit contra Empedoclem philosophus: Non bene sursum & deorsum accipit. Non enim idem sursum ac deorsum omnibus, & ipsi vniuerso. Sed vt caput animalium sic radices plantarũ sunt: Si congruit instrumenta dicere diuersa & eadẽ operibus. Vide quæ dicuntur de gener. ani. c. 4. cordis ratio nihil obstat. Est enim id communis omniũ facultatum fons: actiones vero distributæ sunt per instrumenta. Sic etiamsi semina intus habeãt principium vegetans, tamen pars officialis, cuius adiumento fit accretio, radix est; quæ & primum emittitur. In conceptu primũ fons constituitur; inde postea deducuntur venæ in vterum, quo fœtus vtitur vt plantæ terra: venæ itaque illæ donec perficiatur animal vicem partis superioris supplent. Legatur supra citatus locus. Variare ab eo videtur philosophus in lib. de Iuuent. & senect. cap. 1. vbi ita inquit: τῶν ζώντων πάντων διῃρημένου σώματος τῷ τε ἄνω καὶ τῷ κάτω. πάντα γὰρ ἔχει τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω. ὥστε καὶ τὰ φυτά. δῆλον ὅτι τὴν θρεπτικὴν ἀρχὴν ἔχοι ἂν ἐν μέσῳ τούτων. καθ' ὃ μὲν γὰρ εἰσέρχεται μόριον ἡ τροφὴ, ἄνω καλοῦμεν, πρὸς αὐτὸ βλέποντες ἀλλ' οὐ πρὸς τὸ περιέχον ὅλον, κάτω δὲ καθ' ὃ τὸ περίττωμα ἀφίησι τὸ πρῶτον: ἔχει δ' ἐναντίως τοῖς φυτοῖς τοῦτο καὶ τοῖς ζώοις. τῷ μὲν γὰρ ἀνθρώπῳ διὰ τὴν ὀρθότητα μάλιστα ὑπάρχει τοῦτο τῶν ζώων τὸ ἔχειν

3. depart. an. c, 4. & 3.

2. de anim. tex. 38.

Contra videtur disputare autor de plantis li. c. 2. Dicit enim ignem & aquam ascendere &c.

τὸ ἔχειν τὸ ἄνω μόριον πρὸς τὸ τοῦ παντὸς ἄνω. τοῖς δ᾽ ἄλλοις μεταξὺ. τοῖς δὲ φυτοῖς ἀκινήτοις οὖσι καὶ λαμβάνουσιν, καὶ τὸ καλούμενον στόμα τοῖς ζώοις &c. Alibi venæ vmbilici comparantur radicibus; hîc os: facilis conciliatio: Actio, non situs conueniens spectatur. Illustratur autem tota hæc disceptatio isto allegato loco. Non ergo oleum perdiderimus eum discribendo, præsertim quod ad discrimen superi ex diuerso respectu ad actiones animalium, & cæli ambitum attinet. Satis de his. Ad alia pergimus. Locum superum & inferum, quibus potuit argumentis, negauit Scotus, nempe à forma cæli, ab adiunctis, à genere definitionis, à disparato; misto simul argumento à relatis: Concedit iam aliam mundi partem esse superiorem aliam inferiorem, ad quarum hanc grauia, ad illam leuia ferantur. Dissentit in definitione vel potius designatione seu descriptione. Monitum lectorem volumus, ne obliuiscatur triplicem superi significationem paulo ante explicatam. 1. in cæli ambitu per se. 2. in collatione περιφερείας καὶ μέσου. 3. in animalibus: Consideret iam Scotistica argumenta; deprehendet omnia confusa. Sic describit philosophus suum τὸ ἄνω: ἡμεῖς τὸ τοῦ παντὸς ἔσχατον ἄνω λέγομεν, ὃ καὶ κατὰ τὴν θέσιν ἐστὶν ἄνω, καὶ τῇ φύσει πρῶτον. Hoc interpretatur Scotus ita: Nos extremam & summam vniuersi partem summum locum dicimus, qui & situ ipso primus est & naturæ ordine. Crassè offendit mirificus hic interpres, idque dupliciter: primum quòd τὸ ἄνω summum locum vocat, cum à philosopho nõ locus, sed aliqua loci differentia, nempe ea, quæ omnium vltima à primo ambitu terminatur hîc designetur; tametsi non ignoremus, quod ad totum respiciens 4. cæli 4. ita loquitur Arist: καὶ γὰρ οἱ τόποι δύο, τὸ μέσον καὶ τὸ ἔσχατον

ignis seu leuium & grauium seu terræ regiones seu spacia tota intelligens. Secundo quod locum hunc situ primum appellat, cum Aristoteles velit τὸ ἄνω esse situ sursum seu ipsa positione ἄνω, id est propterea ἄνω, quia ita situm est, vt ita discrimen statuat inter ἄνω τῇ ἐνεργείᾳ seu opere vt in animalibus; & quod δυνάμει inesse cælo aut toti globo ostendit. Sed donemus istos errores imperitię linguæ. Et si quid eo nomine peccauerit porrò, huc reuocemus. Definitio τοῦ ἄνω, breuis hæc est: sursum seu superum est extremitas vniuersi prima. Nam quod absolutè superum est, describitur, non quod relatè. Ideo explicationis dilucidæ gratiæ, vt discernatur ab alijs superis, additur θέσει; vt à Relato & altero extremo, apponitur φύσει πρῶτον. Nam hæc propriè non ad definitionem perficiendam sed ad declarandam tantum requiruntur adducunturque. Scotus definitionem oppugnat mirifica admodum Methodo. Cum enim in antecedentibus motum sursum negare vellet, ideo quia sursum non esset, quid tam erat accommodatum quàm negata definitione, definitum destruere? Iam postquam concessit leuia ferri ad partem mundi superiorem, grauia ad inferiorem; negat superiorem esse, tollendo definitionem. Siccine oportet datum vnâ manu, alterâ e-*contradict.* ripere vicissim? Ecquid inconstantius? Sed cedo argumenta. Omissa definitione conuellit eius interpretationem: *Si quauis pars circumferentiæ æquis spacijs à centro distat, non potest vlla esse prima situ & positione: Sed verum prius: Ergo & posterius. Et ex consequente definitio philosophi labascit:* Quomodo hoc Scote? nondum intelligo? Etsi enim concessero, non esse partem θέσει primam in circumferentia, nondum tamen euersum est τὸ ἄνω. Fluxa ergo omnino & vana est con-

connexio antecedentis & consequentis; concessumque argumentum Thesin non offendit. Propositio antecedentis de partibus circumferentiæ secundum situm vera est; si actum respicias: at non si δύναμιν, vt supra dictum est. Verùm hîc philosopho non accipitur sursum in vnâ & eâdem circumferẽtia sed in toto. Ait enim quod sit τὸ ἔσχατον τοῦ παντός. In toto, non vna tantum περιφέρεια est, sed plures; nempe terram ambit aër, hunc ignis; ignem cælestis natura, indeque omnium vltimo extremitas prima. De quo ergo, philosopho sermo non est; id euertere Scotus Sophismate suo ταυτολόγῳ & ex prioribus repetito, non potest. Vera nos loqui contestantur ea, quæ in I. cæli textu 96. extant, quæ sic habent: *Vno modo cælum dicimus substantiam extremæ vniuersæ circumlationis, aut corpus naturale quod in extrema est circumlatione vniuersi. Consueuimus enim maximè extremum & sursum vocare cælum, in quo & diuinum omne collocatum esse dicimus &c.* Vide quæ sequuntur: In his roboratur & definitio, & Scotisticum somnium de circumferentia tantum, refutatur egregiè. Aliud περιφέρεια est, aliud τὸ πᾶν: περιφέρεια ipsa dicitur sursum, non eius pars aliqua. Quod si nondum concedit id esse sursum; age explicet quænam sit illa pars, quam paulo ante superiorem dixit? Negat cælum dici supremum posse. Cur non Scote? Audite bellum Logicum. Consentiunt Grammatici cum Logicis, vocẽ, *enim*, illatiuam esse, & arguẽdi vim significare: Cũ dixisset Scotus; si quæuis circũferentiæ pars æquis spacijs à centro distet quæ prima situ & positione esse potuit? Cur hoc? Neque enim (addit) cælum potest dici supremum. Thesis est: Nulla pars in circumferentia potest esse prima situ. Argumentum: Quia cælum non potest dici supre-

ſupremum: Diſſentire ab aliqua quæſtionis parte debet argumentum negans, cum alterutra conſentire: atque ita innecti vt in aliqua Syllogiſmorum forma concludatur. Hîc mera ἀσυλλογιστία eſt: Sed etſi fortaſſis, vt ait philoſophus, εὔηθες τὸ τοὺς εὐήθεις τῶν λόγων λίαν ἐξετάζειν: attendamus tamen adhuc paulisper & hominis ingenium penitus cognoſcamus. Cęlum negat poſſe ſupremum dici; affert argumentũ: quomodo ENIM eò leuia, niſi corporum cæleſtiũ penetratio fiat, ferantur cum tamẽ ea ab omni mutatione ſint aliena? Prominet aliquantulum hîc Lux logica, ſed valde tenebroſè. Leuia non poſſunt ferri ad cælum: Ergo cælum non poteſt dici ſupremum. Arguuntur hæc ex vi ſubiecti & adiuncti. Nam ſupremum creditur id eſſe ad quod feruntur leuia. Probatur autem antecedens: quia non poteſt id fieri ſine corporum cæleſtium penetratione: At hæc impoſſibilis eſt: ergo & motus ſurſum. Valde argutè vt decet Scotum. Sed ne diu detineamus auidũ Lectorem; dicimus falſam & ſophiſticam eſſe affectionem iſthãc, quæ ſiue ex ſubiecto & adiuncto petitur, ſiue aliquo alio argumento. Etenim ad ſupremum nihil fertur; quod quidem natura primum eſt & poſitione vltimum; ſed verſus id aſcendunt naturaliter leuia. Itaque deſignatur quidem aliquo modo ſupremus ambitus per iſtum motum, ſed neutiquam definitur. Alioquin & aër & ignis & Errantia eſſent vltimum id in vniuerſo. perfacetus autem eſt dum metuit penetrationem cæleſtium in iſta latione. Non perueniũt eo, teſte Ariſtotele, Elemẽta. Nam ſubſiſtunt omnia intra ambitum Lunæ; quomodo ergo penetrabunt?

Deinde aſcendant vſque ad extremum; nam hoc tantiſper fingemus; an ideo neceſſe eſt penetrati-

onem

onem fieri? Quid si cederet ibi constitutum corpus quemadmodum apud nos aër? Sed cedere posse negatur. Quorsum enim? Non extra vltimum; neq; ad Elementarem regionem, cum naturæ ordo sit perpetuus; neque proprio loco excedere possint æterna; neque demitti, cum neque grauia sint neque leuia: Imo à teste philosopho, subtractis Elementis omnibus, ignis tamen non descenderet, quanto minus cælestia? Nos quidem istud non affirmamus; neque vlla necessitas cogit ad istud confugere: sed ideo ista dicimus, vt appareat, etiamsi concedatur ista penetratio, cum possit fortè fieri altero cedēte; nullam tamen induci mutationem in cælestibus. Veruntamen cogitandum erat, istam naturam nōdum nobis omnino esse exploratam: Et Mathematicos dum eleuant quasdā Spheras à terra altius, finguntque Epicyclos, Eccentricos orbes, & alia, non posse effugere consecutionem talem, quæ fit altero cedente: neque tamen penetratio, aut mutatio æternitatis concluditur. Quid autem illis respondendū fuerit, qui planetas volunt non in Sphæris sed circulis moueri, quique reliquorum centrum statuunt Solem? Ecquod corpus erit id quod explet vacua circulorum spacia, Et id quod præter circulos in summo est? Quin & supra æquauit motui mutationem Scotus? an neque motus in cælo est astruendus? Sic responsum est ad ista σοφίσματα. Notamus autem quod ex tàm malè cohærentibus & inter se non affectis argumentis, coniectura fit, voluisse disputatorem subinde nouis argumentis superiorem Thesin, de parte superiore conficere; at ea colligare aptè non potuisse.

Nam negata superioris partis definitione; negatē pars ipsa. Deinde si cęlum non potest dici supremū;

quomodo in eo erit pars ſuprema? Similiter ſi ſuperior eſt ad quam feruntur leuia; hoc autem fieri nõ poteſt; neque vt ſit talis pars, poſſibile eſt. Verum & contradixerit ita antecedenti conceſſioni; & nullã aliam reſponſionem argumentationis deſiderauerint. Poſtea attendendum eſt eum non ſat circumſpecte informaſſe ſua axiomata. Concedit centrum eſſe & circumferentiam: Cur negat ordinem in his ipſis? Inſuper leuem eſſe non negat, ſed id definit, quod omnibus emineat: quomodo effugiet quin cælo leuitatem attribuat; atque adeo Sphæræ vltimæ? Sed nondum ſat nugarum audiuimus: id quoq; reprehendit, quod philoſophus dicebat; ſurſum eſſe vltimum cæli quod natura eſſet primum. Ratio aduerſa hæc eſt:

Quo poſito non eſt neceſſe alia poni, id eſt natura prius.

In æternis ſemper poſito vno ponitur aliud: Ergo æterna non ſunt natura priora; vel in æternis non eſt prius natura.

Propoſitio declaratur exemplo vnitatis & binarij: Naturâ enim prior eſt vnitas; & hac poſita non neceſſe eſt poni binarium. Aſſumtum ita enunciatur: In æternis prius & poſterius ita reperiri nequeunt, quin interea retro commeet conſecutio, nempe ſi vnum ſit, aliud eſſe. Ponitur autem pro vero aſſumpto eius conſectarium ex contradictorio, quaſi ita aſſumeret: In æternis nõ eſt id, quo poſito non eſt neceſſe aliud poni: ſed ſemper poſito vno ponitur aliud.

Complexio ita: Qua fronte partem vnam vniuerſi Naturæ ordine primam affirmabit? Conſequens hinc eſt; ἔσχατον, quod eſt τὸ ἄνω, non poſſe eſſe τῇ φύσει πρῶτον. Verſatur potiſſimum cardo negotij huius in hac quæſtione: An ſummum vniuerſi quod ſupra dicitur

dicitur ſit natura primum? Nos diximus eſſe declaratiuam ſententiam aliorum, quę etiam ſupra ſunt, at per ea non eſt τὸ ἄνω abſolutè definiendum, quia haberent aliquid ſuperius. Id ergo quod natura primum & ſummum eſt, ſolum poteſt τὸ ἄνω abſolutè deſignare. Antagoniſta contendit cælum ne prius quidem dici poſſe, nedum primum. Argumentum petit à definitione prioris natura. De ijs quidem quæ dicuntur priora eſſe legatur 2. caput in ijs quæ ſubijciuntur Categorijs: item 2. de gener. ani. c. 4. & 1. Et 5. Metaph. ca. 11. cũ ſcholis Rami in eum locum. Scoti declaratio per vnitatem & duernionem indicat id prius eſſe natura quod philoſophus conſequendi lege prius vocat, ſeu quod non conuertitur ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam; vt cauſa eſt, etiamſi non ſit effectum; genus, ſpecie ita prius eſt: Si enim genus eſt, hoc eſt, ſi animal eſt; non neceſſe eſt ſpeciem hanc veluti hominem eſſe; At ſi homo eſt, animal eſſe neceſſe eſt: Et ſic inter vnum & duo (tametſi relationem reſpicientibus aliter videatur) At philoſophus natura prius id eſſe propriè dicit, quod eſt ſubiectum ratione adiuncti. Id etiam prius natura, ꝙ honore prius eſt, aſtruit. Et ſi natura eſt materia & forma, quæ conſtituunt eſſentiam; natura prius erit quicquid ſecundum eas eſt. Alibi aſſerit, quod natura ſeu forma aut eſſentia priora, ſint generatione poſteriora: verum hic modus tantum in generabilibus eſt. Homo enim ſingularis dum gignitur, poſterior quidem eſt generatione, at eſſentia erat prior. Homo enim generat hominem; ſeu ante hominem alius erat homo. Ex dictis patet, propoſitionem & Sophiſticam & infirmam admodum eſſe. Secundo enim modo non poteſt cælum dici prius eſſentia & natura: In primo

modo non consentit cum philosopho. Huic enim ob dignitatem cælum fuerit prius naturâ, qa formę rationẽ, dum omnia continet, obtinet. Sed & si subiectũ consideretur, cælum erit prius naturâ. Omnia enim suo spacio cõplectitur tanquam cõmunis locus: oportet autẽ locum locato esse priorẽ. Erratur ergo in definitione prioris naturâ. Sed in gratiã Scoti est vera propositio. Assumtũ negat omnẽ prioris rationẽ in æternis. Nam in quib. semper vno posito necesse est aliud poni; vno existente aliud esse; ea relata sunt, quæ dicuntur simul naturâ esse; etsi per mutuæ affectionis rationẽ alterũ alteri sit causa vicissim. Est ne igitur nihil naturâ prius in æternis? Sunt ne relata omnia? cedo æterna: Ea sunt cælũ, vniuersus mundus, planeta, stella, lumen; Deus, Angelus, &c. Nihil hîc relati, omnia sunt simplicia & absoluta. Quid autem, an necesse est, si Deus sit, aliud quid esse? Si sol, & dictorũ vnumquodq;, num requiritur simul aliud? an si posterius est, semper est prius quid? Num etiam in infinitum? Sed tam monstrosas absurditates ad Scotum remittamus, assumptumq; eo vsque negemus, quousque firmis rationibus id communiat. ἐνϑεστικὸν autem quo exornauit complexionem retorqueamus in autorem & simili modo quęramus: Qua fronte audet Scotus negare naturâ prius in æternis nempe mundi partibus esse & asserere cum portentosa absurditate vno existente necesse esse vt sit aliud? Deprehensa iam futilitate obiecti argumenti, adhuc pro philosopho pronunciamus cæli partem supremam esse naturâ primam, & positione summam nempe collatione instituta inter partes mundi, mediam & vltimam. Quæsiuit disputator post concessionem suam, quænam sint partes in mundo superiores, &

quæ

quæ inferiores;sententiamq; Axiomaticam Aristotelis ineptis problematis lacessiuit. Iã quasi indictũ; nullumq; datũ sit responsum, repetit eandem cantilenam: Veruntamen, inquit, quæ sit ista suprema pars,quæ infima, ex eo audiamus. At inquam bone disputator id definitiuè ostensum erat supra, cur Coccysmum repetis? Sursum est cæli extremum quod positu est sursum & naturâ primum: quid hîc aliud definitur quam pars suprema? Collige inde & quid sit infima; nempe quod sit opposita illi medium nimirum mundi, quod & positione medium est,& naturâ vltimũ. Ecquid requiris amplius? Sed σχαλίδ' ας ὥσπερ ὄρνις ἐν τοῖς τῦ Αρισοτέλυς, εὗρε μιὰν κριθὴν: Locum,inquam,inuenit alium, quem non poterat attexere aliter nisi per nouam quasi interrogationem,cum continuantia& connectentia orationem aptè vincula non admodum didicerit. Mota ergo quæstione,ita ex 4. cæli 1.respondet: *Quoniam est aliquid cæli extremum & medium, profectò eiusdem erit & pars superior & inferior. Nam si cælum vndiq; rotundum esse affirment,& medium vbiq; simili ratione vniuerso respõdeat; illum superiorem locum, medium autem inferiorẽ concedent.* Tam sępè nos fefellit interpretatione sua Scotus,vt fidem *suam* penitus apud nos amiserit. Ponantur ergo verba philosophi: ἐπεὶ δὲ ἔσι τι τῦ ὐρανῦ ἔσχατον καὶ μέσον, δῆλον ὅτι ἔσαι καὶ ἄνω καὶ κάτω: ὥσπερ καὶ οἱ πολλοὶ λέγυσιν ὐχ ὅμοιον εἶναι πάντῃ τὸν ὐρανὸν, ἀλλ' ἓν εἶναι μόνον τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς ἡμισφαίριον. ἐπεὶ προσυπολαβόντες, καὶ κύκλῳ τοῦτον, καὶ τὸ μέσον ὁμοίως ἔχειν πρὸς ἅπαν: τὸ μὲν ἄνω φήσυσιν εἶναι, τὸ δὲ μέσον κάτω. Ita arguit philosophus.

Si in cælo (in vniuerso) est aliquod vltimum & medium, erit etiam supra & infra: (seu superior pars & inferior.)

Sed est in cælo vltimum & medium: Ergo & supra & infra.

Ante-

Antecedens ſat patet ex prioribus: Complexio declaratur teſtimonio quorundam, qui idem fatebantur, ſed non ſufficienter. Cum enim putent in mundo eſſe vnicum tantum hemiſphærion, (Videntur notari hi quôs in 2. Meteor. 2. philoſophus vocat veteres Meteorologos, ſtatuentes ſolem circa terram non ſub terram moueri; Scotus credit ſermonem de Pythagoreis & Platonicis.) id nempe quod ſupra nos eſt; ideo voluerunt in vno hoc tantum eſſe Supra & Infra; non vbiq; in toto. Hos falſę opinionis ex propria ſententia ita conuincit philoſophus: Si cælum eſt circulo tale, & medium similiter ad totum ſe habet; ſicut in noſtro hemiſphærio eſt ſupra & infra: ita erit & in altero: Sed in noſtro cælum eſt ſurſum, medium deorſum: itaq; & in altero: vnde vbiq; ſimiliter ſe habet medium ad vniuerſum ambitum. Quomodo hæc interpretatus ſit Scotus, facilè apparet. Primum addidit illud *ὁμοπκὸν, profectò*; Secundo quæ interijciuntur ad complexionis declarationem, omittit callidè, cum ea ideo ponenda maximè fuerant, quia vis argumenti ſequentis potiſſimum ex iſta confeſſione deducta eſt. Etenim abſurdum omnino eſt, dicere cælum tale eſſe per totum ambitum, quale eſt apud nos, fateri etiam apud nos eſſe ſupra & infra, at tãtum vnicum hemiſphærium ſtatuere, & vna tantum in parte ſupra & infra. Manifeſtum enim eſt ſi cælum eſt circulus; oportere medium eodem ſeſe habere ad id modo vbiq;. Quod ſi apud nos eſt ſupra & infra; ergo & apud Antipodas. Tertiò malè redditum eſt & illud *πρὸς τὸ ἅπαν*, per vocem *vniuerſi*, quæ ambiguitatem hanc habet, quia vſitate totus mundus per eam accipitur; hic autem tantum cæli ambitus ſignatur. Deſideratur itaq; fides & prouidentia in

noſtro

noſtro interprete. Quid autem ad patrocinandum abſurditati veterum affert? Bone (inquit εἰρωνευόμενος.) Ariſtoteles prius concedunt, poſterius conſtanter negant. O infœlicem patronum; Quid concedunt? prius inquit, nempe cælum vbiq; rotũdum eſſe, & medium ſimili ratione reſpondere illi toti. Quid negant conſtanter? poſterius, nempe cælum eſſe ſuperiorem locum, medium autẽ inferiorem. Negant ergo conſequens, conceſſo antecedente? Age mirificarum ſolutionum Architecte; an non eum qui concedit antecedens, neceſſe eſt dare conſequens? Qui prius ait, non negare poſterius, modo ſit poſterius? Dabis ergo cælum eſſe rotundum, ad quod vbiq; ſimiliter ſe habet medium? An nõ quod vbiq; ſimiliter ſe habet, id nulla parte diſſentit, ſed quæ ratio eſt in vna, ea eſt & in altera parte: Iam autem confeſſi fuerant apud nos eſſe ſurſum & deorſum: An non vbique igitur hoc dederant? Apparet nempe qua fronte tu omiſeras interiectam confeſſionem, vt liberius in philoſophum poſſes dentem ſtringere; quaſi verò nemo foret, qui locum Ariſtotelicum inſpecturus eſſet, & impudentiam tuam deprehenſurus. Negas porro Ariſtotelem docere hic aliam inferiorem, aliam ſuperiorem mundi partem, quo grauia & leuia naturali motu ferri queant; cur autem? Nempe quia id ex aliorum ſententia tanquam confirmatum ſumat, quod illi inprimis negant, & in quo docendo ante omnia ei erat elaborandum. Non dicimus qua Logicæ vi illud tuum IGITVR effuderis: conſequentiam examinamus. *Qui ſumit aliquid ex aliorum ſententia tanquam confirmatum, cum id illi negent; is non docet id eſſe. Hæc autẽ nota inuritur Ariſtoteli. Non docet igitur: ſed in docendo eo erat elaborandum.* Mira Logica: poſcit vt doceatur id, quod tan-

tanquam confirmatum ſumtum erat: fuerit id falſum; at pro vero & demonſtrato erat poſitum: Si iam idem rudi alicui inculcetur, cur non doceatur? Quid autem ſumitur pro confirmato, quod tamen negatur? Nempe cælum eſſe ſurſum, medium deorſum; aut aliam eſſe partem ſuperiorem aliam inferiorem. At inquam Scote, hoc non negabatur omnino, quia dabatur in vno hemiſphærio. Mentiri ergo quis te iuſſit; aut quæ neceſſitas impulit? An illi tam ſtulti fuerint, vt qui conceſſerint ſupra eſſe & infra; negarint tamen aliam eſſe ſuperiorem partem aliam inferiorem? O bliteum ingenium. Sed & quid veri habet id quod ais Ariſtotelem non docere, quod ſit alia ſuperior pars, alia inferior; etiam ſine iſtorum aſſertione? Omnino equidem nihil. Totum enim fictum & falſum eſt, vt ex prædictis apparet, in quibus de definitione τῦ ἄνω καὶ κάτω diſputatum eſt: ne quid dicamus de oculorum teſtimonio. Breuiter hos duos Syllogiſmos ruminet Scotus.

Quod ſenſus integri conteſtantur; id ſcientificum & neceſſarium eſt.

Ferri leuia ſurſum grauia deorſum, atq; eſſe ſurſum & deorſum, oculorum ſenſus ſanus cōteſtatur: hoc ergo ſcientificum & neceſſarium eſt.

Aſſumptum eo firmius eſt, quod rationis ſimul iudicium cum oculis conſpirauit.

Secundo: *In quo partes ita ſe habent, vt altera prior ſit altera poſitione & natura ſecundum longitudinem; in eo eſt ſupra & infra: In vniuerſo partes ita ſe habent: Ergo in vniuerſo eſt ſupra & infra:* quæ omnia neceſſariò docuit Ariſtot. Quem ergo Elenchum, τὸ τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖν, Ariſt. obtruſit, eum cumulatum tot mendacijs Scotiſticis in Scotum retrudamus, dicamusq; cum id pro confirma-

firmato sumere, quod nos cōstanter negamus, quodq; ne, si ruperit se quidem, vnquam probabit. De Pythagoreis & Platonicis fabulatur eos esse, quos perstringat hoc textu philosophus. Petis principium Scote: Nam toties mentitus es, vt sine demōstratione tibi nihil credamus, præsertim cū philosophum videamus contradicentem in 2. cæli 2. Vbi pythagoreis tribuit, quod cælo assignauerint dextrum & sinistrum, non autem summum & imum. Hoc in loco quem iam tractauimus ex 4. cæli 1. asserit, esse multos qui supra & infra (summum & imum) confiteantur, verùm insufficienter. Platonis quoque doctrinæ manifestissima est. ponit is animam mundi in eius medio, quod Aristoteli est infra; Medium, ad aliquid medium est: Concedit ergo & extremum, quod est supra: Ait Sphæram vnam esse exteriorem; reliquas interiores: loca discerni per differentias à positu animalium sumptas; esseque supra infra, dextra sinistra, anteriora posteriora, &c. Mundus ipsi animal est; quid ni istas differentias habeat? Sed pergit dicendo; duo omnino loca esse, cælum & terram; vnde quod in neutro est, nusquam est; Aliò ferri leuia aliò grauia; Elementa locis distingui: & quæ plurima tum in Timæo, tum alibi contra consuetudinem Socraticam affirmat. Fecit ergo iniuriam Scotus non Pythagoreis tantum, sed & Platoni, à quo Academici veteres non recesserunt, quod ad hæc attinet. Audiuimus imò tactu deprehendimus offusas vni loco tenebras: ad alia ducamur.

Offertur caput 2. libri 2. de cælo: Ecquid ibi docetur? Nempe in globo, puta in ambitu cælesti, omnes differētias loci esse. Damus Scoto plenis buccis & vtraque manu, nihil ibi esse quod pertineat ad

τὸ ἄνω καὶ κάτω, id quod docetur in quæſtione de graui & leui, quam rem expoſuimus etiam in veſtibulo huius diſputationis. Paucis ſolertiam, qua vtitur diſputator, contemplemur. Verba philoſophi ita recitat: *ſuperior & inferior partes reperiuntur, dextra & ſiniſtra & poſterior, quoniam animatum eſt*: deprauatè & mutilate admodum: ita potius ibi extat: *quapropter non omni in corpore quærendum eſt ſuperum inferum, dextrũ ſiniſtrum, antè retro: ſed in hiſce, quæ cum animata ſint, motus in ſe principium habent*: Et: quod ſi cęlo tale quid adiungendum eſt, etiam id ipſi competere, quod primum in animalibus eſt, conſentaneum eſt rationi: Item in omni corpore perfecto πάσας τὰς διαστάσεις ταύτας εὔλογον ὑπάρχειν, &c. Accipit Antagoniſta, differentias locales ex doctrina Platonica & Ariſtotelea primum eſſe in animalibus. Verum concludit inde, *cælum ſiue totus mundus accipiatur, ſiue tantum ſuperior pars cæleſtis, debere dici animatum, quod nuſquam docuerit philoſophus, niſi quis ab aſſiſtente illi anima velit id attribuere cælo, quo pacto vocauerit omnia inanima animata, cum omnibus aſſiſtat animus atteſtante idem Virgilio, &c.* Hæc Scotus; cuius ſtuporem nō poſſis non mirari. Quærit bonus ille diſputator vbi docuerit philoſophus cælum animatum: at inquam ijs ipſis verbis quæ à te ſunt poſita. Cui enim differentiæ animalium propriæ inſunt, id non animatum tantum, ſed & animal eſt. Sic inquit Ariſtoteles: ἡμῖν ἐπειδὰν ὥρισται πρότερον, ὅτι ἐν τοῖς ἔχουσιν ἀρχὴν κινήσεως αἱ τοιαῦται ἐνυπάρχουσιν· ὁ δ' οὐρανὸς ἔμψυχος, καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχήν· δῆλον ὅτι ἔχει τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω καὶ τὸ δεξιὸν καὶ τὸ ἀριστερόν, &c. Quæ verba ſi non in eodem capite legit profeſſor ille, miror ſane.

Idem ferè dicit author librorum de plantis; qui in 1. cap. 1. principium in animalis vita conſtituit nobi-

nobile illud animal, quod cælum, ſolem, ſtellas & planetas circuit, &c. Platonicus etiam Theologię liber Ariſtoteli aſſcriptus lib. 9. ſimiliter loqui videtur. Et in 2. de cælo tex. 61. *Sed nos de ſtellis vt corporibus ſolum & vnitatibus ordinem quidem habentibus inanimatis autem omnino, cogitamus. Oportet autem ac ſi participent actione & vita exiſtimare. Sic enim id quod accidit, non videbitur eſſe præter rationem.* Item paulo poſt tex. 36. διὸ δεῖ νομίζειν καὶ τὴν τῶν ἄστρων πρᾶξιν εἶναι τοιαύτην οἵαπερ ἡ τῶν ζώων καὶ τῶν φυτῶν. In 1. de anima ſimiliter non omnino detrahit mundo animam; ſicut nec cum dicit formarum locum eſſe cęlum, & cauſam animalium. Videbitur enim fortè abſurdum (vt vult Plato) id anima carere quod animas præbet, &c. Hæc ergo ſunt argumenta philoſophi cælum eſſe animatum; quia differentias animales habet; quia actiones & & vitam, ſeu motum animalium varium; quia animarum cauſa, &c. Nos quidē hoc aſſerere formidamus, neque diffidimus quin Ariſtoteles contra diſputando non apud ſe tantum ſed & alios ſcrupulum relinquere voluerit. Verùm cum rationes exactas in cæleſtium quibuſdam non inueniret, coactus eſt ad Platonica ſomnia recurrere. Scoto verò iſta loca nō debebant eſſe ignota, ſi Ariſtoteleæ diſciplinæ profeſſor cum laude dici vellet. Sed pergamus. Negat Ariſtotelem demonſtraſſe eo in loco cælum habere ſuperum & imum; quia argumento vtatur falſo, progreſſus à dextro & ſiniſtro ad ſuperum & imum; cum æquè incertum ſit vtrumque. Iterum ergo τὸ ἐν ἀρχῇ petit philoſophus. Non parua moleſtia eſt, tot ſemper mendacia & calumnias audire: quin aliquid tandem veri in tanto libro à te cognoſcimus Scote? In inanimis, dextri & ſiniſtri & reliquarum poſitionum nomina eſſe, ait philoſo-

phus, inde quia πρὸς ἡμᾶς ἐπαναφέρομεν τὸ ἄνω καὶ κάτω, &c. ἢ καθ' ὁμοιότητα τοῖς ἡμετέροις, οἷον τὰ τοῦ ἀνδριάντος, ἢ ἐναντίως ἔχοντα τῇ θέσει, &c. Ex omnibus infert quod non immerito quis mirari possit pythagoreos, ὅτι δύο μόνας ταύτας ἀρχὰς ἔλεγον τὸ δεξιὸν καὶ τὸ ἀριστερόν, τὰς δὲ τέτταρας παρέλειπον, οὐδὲν ἧττον κυρίας οὔσας: Vult cui dextrum & sinistrum asscribitur, eidem debere potius sursum & deorsum assignari; quia hæ differentię non minus sint propriæ quàm illæ; cum non minus differat summum ab imo, anè à retro, quàm dextrum à sinistro in omnibus animalib. Quin & magis tribuēdum erat superum & imum; quia ista tantum δυνάμει differunt, hæc etiam σχήμασι: & in pluribus inest supra & infra; nempe præter animalia etiam in plantis; cum dextrum & sinistrum tantum animalibus insit. Insuper longitudo est prior latitudine; ergo superum prius dextro. Nam superum est initium longitudinis. Prioris autem principium est prius: superum ergo prius. Præterea si id quod superum est, est id ὅθεν ἡ κίνησις: τὸ δὲ δεξιὸν ἀφ' οὗ. τὸ δ' εἰς τὸ, πρόσθεν ἐφ' ὅ: Cum id vnde motus quandam potentiam principij habeat ad reliqua; idq; est prius quod principiū est; sequitur sanè τὸ ἄνω prius esse dextro. Meritò igitur si id, quod inferius, & posterius est, inest, inesse id quod prius & nobilius statuendū erat, & reprehendendi Pythagorei. Hæc repetiuimus ex philosopho, Pythagoreos impugnante ob id quod dextrum & sinistrum perperam inesse statuerint, reliquis neglectis, quæ erant potiora. Scotus putat philosophum pro fundamento sententiæ suæ posuisse dextrum & sinistrum admodum ineptè & ridiculè. Deinde adimit ei facultatē arguendi ex loco inartificiali seu testimonio; qa nēpe nō possit iuuari dicto pythagoreorū quos vbiq; vt deliros exagitet.

Bona verba Scote, non opus est philosopho authoribus pythagoreis: increpãdos eos docet ob paradoxum. Sed cur tu eodem Elencho turpissimè iterum laberis, & principiũ petis ineptissimè? vbiq; deliros pythagoreos ab Arist. affirmari, vbiq; mendacij argui asseris; quonam argumento? an eo quod in fine huius capitis tantum nõ damnet pythagoreos, vt etiam eis assentiatur, nos sc. in dextra parte & supra esse, si motum secũdorum mobilium respicias? Atqui hîc tuũ, vbiq;, corruit. Sic in 2. Nicom. 6. fine reprehensione eorum facit mentionem; & fortè in plurib. locis eos probaret, si decreta eorum omnia extarent. Quod autem ineptè stolideq; dixerunt, vt de cælo ex numeris constante; quod terram vnam stellarum esse & ferri circa medium; quod astrorum concentum lepidum confinxerunt; animas transmigrare statuerunt, &c. Cur ea non reprehenderet, suoq; appellaret nomine? An tu nobis succensebis, quod te sæpe stupidum, mendacem, Logicę ignarũ, physicæ corruptelam & alijs nominib. appellemus, cum res ipsæ in te vbiq; occurrãt, testenturq; idem, nosq; non aliter iudicare cogat lex iusticiæ? Inepti nempe homines erant Macedones, qui re proditores etiam nomine ita vocabant, hoc est, Scapham Scaphæ vocabulo rectè, iudicante Philippo, designabant. Exagitasti pro sapientia tua, quę sommatum est gurges, Aristotelicam ἐπίληψιν: cõcedis deinceps, dextras, sinistras, summas, imas partes, suprà maximo cum conatu quidem sed temerario negatas; perquam sanè liberaliter: sed cur quæso istuc? nempe non absurdum tantum, sed & ἀδύνατον deducturus es. Vt lubet: experire vires. Quæ sunt istæ superiores, quæ inferiores partes; quæris iam tertio, ὥσπερ πάνυ δυσμαθὴς ὤν. Respondetur superior pars

Vide & 5. Metaph. c. 5. & 7. Vbi plurima pythagorica non improbat. 13. Metaph. 2. Cæl. c. 13. 2. Cæl. c. 9. 1. de an. text. 53.

pars cęli eſt vertex, qui non apparet ſeu antarcticus; inferior: vertex, qui apparet: quod intercedit inter duos vertices interuallum, longitudo vocatur. Addamus & hoc: cur Arcticus polus, inferior cæli pars eſt, Antarcticus, ſuperior? Quia ſcilicet dexter ſitus, eſt oriens vnde progreditur cælum. Dexterũ enim id eſt, à quo motus. Iam ſi quis ita conſtitutus fuerit vt dextram obuertat orienti, faciem ſeptentrioni; is deſignat partem inferiorem in arctico polo; ſuperiorem in Antarctico: Et ſi à dextra motus redit verſus dextram; iam idem eueniet. Inuertitur autem hoc ipſum totum; ſi motus mutetur, reſpiciaturq; δευτέρα περιφορὰ, idem fatente Ariſtotele. Fruſtra ergo mordet Ariſtotelem Scotus, hoc ipſo tanquam oppoſito, cum ait; *at id non ſemper placet, &c.* quæ eo dicuntur, vt appareat Scoti prudentia qua proſpicit longius philoſopho. Verùm ridiculè. Id enim antè monuerat idem. Vertitur inde ad plauſtra abſurditatum quæ conſequuntur ex dictis; ſed nihil aliud ſunt quàm magno cum conatu magnæ nugæ prolatæ. Non enim hoc ſuperum philoſopho eſt idem cum eo ad quod leuia feruntur; vt præmonuimus. Sed attendamus. *Si alter polus eſt ſupera pars, alter infera. fieri non poteſt vt grauia & leuia moueantur motu recto: Sed prius: ergo & poſterius:* Probatur cõnexio; quia cum non omnia directè ſub polis ſita ſint, non poſſunt rectâ ad polos ferri. Caput Lepidum: Negatur aſſumptũ. Non enim in polis deſignatur ſummum & medium, de quo ſermo eſt in motu recto: ſed in centro & circumferentia: quo pacto vterq; polus erit ſurſum, ſed non ſolum pars ſupera. Teſtatur hoc quod ſcripſit in 4. phyſ. tex. 5. *Non quodcunq; contingit ſurſum eſt, ſed quo fertur ignis & leue: Similiter & deorſum non quodcunq; contingit, ſed quo habẽtia grauitatem, & terrea;*

rea; tanquam non positione differentia solum, sed & potentia, &c. Vide & 4. cæli 1. Sed perquam facetus es in argumentando, perge, & nobis aliquid oblectamenti crea. *Si alter polus sursum est, alter deorsum, grauia non mediam mundi partem sed alterum polorum, natura duce, capessent: Sed est antecedens: ergo & consequens.* Infertur his plenis velis: Si grauia capessunt alterum polorum, contendunt sursum. Totum enim cælum vndique sursum est: Sed absurdum posterius: Ergo & id ex quo consequitur.

Negatur prosyllogismi connexio; Esto enim antecedens verum; at consequens esse, minimè necesse est, ex eadem τῦ ἄνω homonymia. Falso iã anteceden te verum consequens non erit. Adde plura: Si alter polorum est sursum, alter deorsum, idq; permutatis vicibus pro motu primi & secundorum mobilium; eueniet vt vna & eadem res simul contrarijs motibus suapte natura agitetur, nempe sursum, cum respicitur primus motus; deorsum cum secundus respicitur: Sed impossibile est consequens: ergo & antecedens.

Iucundus profecto ludus: Macte puer cum istis tuis παιςικοῖς: ferè Protagorã ipsumq; Chrysippum & alios sophistas exuperas. Sed fallis connexione, quæ tota est κατὰ συμβεβηκὸς. Non enim necesse est duos contrarios motus fieri, etiamsi mutentur respectus: & tu perinde facis, ac si ioco fallendi tempo ris causa cum puero luderem: Tu lõgus es ad hunc; ad illum breuis: ergo simul & semel breuis es & longus naturâ. (Nam hæc vox sophisticè à te additur cum minimè id verum sit.) vel vt garrias: es longus breuis: à diuisis ad coniuncta: à secundum quid, ab accidente, & omnino per totum chaos fallaciarum sophisticarũ. Atqui hic ludus adeo placuit Tempel-

lo, vt exclamet de Scoto; *quàm ille neruosè disputat, quàm aduersus Aristotelem enucleatè concludit?* Equidem Tempelle, vt tu censes, vano odio in Aristotelem & turpi inuidia excæcatus. Sed audite Logicum in ijsdem paradoxis: addit; *quamuis diuersa ratione*: age verò mirifice disputator & Dialecticè subtilis; si diuersa est ratio lationis, quo modo possunt esse contrarij motus? An nō oppositorum omnium ratio hæc est, vt tunc verè sint talia, cum non dicuntur ad diuersa, non secundum plura, non ratione diuersa; vt docet Magister Ramus? Cur ergo id statuis quod esse non potest? Sed obseruat Elenchum ipse disputator; Itaque, vt reducat mendacium, asscribit: *Idne mini videri debet mirum; Nempe si contrarijs dicantur ferri ob respectum diuersum*; Quomodo verò aliâs erunt contrarij? Quo nomine inquit diuersi poli superiores & inferiores mundi partes constituent, eo contrarijs motibus grauia & leuia agitabuntur, non solum si inter se conferantur, sed & si sola & per se sumantur. Implicat se mirificè. Mendacia enim multis exornanda sunt. Repetit ergo propositionem ita.

Puto hunc nugatorem adeo sibi placuisse, vt que prauè scripsisset ex impetu animi, nō potuerit corrigere.

Si grauia semper ad inferiorē mundi partem tendunt, leuia ad superiorem, cum quilibet polus sit superior & inferior mūdi pars; profectò quolibet tempore grauia & leuia ad vtrumq, polū simul mouebūtur: Sed absurdum posterius: ergo & prius. Quid hîc aliud dixisti Scote quam prius? Non mirum dicebas esse si dicatur ad vtrunq; ferri pro diuersa ratione; cur id euertis? Sed falsum est antecedens connexionis. Non enim grauia feruntur ad imam mundi partem, sed ad medium; Falsa etiam est connexio propterea quia, vt dictum est, diuersæ rationes non admittunt contrarietatem: Falsum est & fictum, quod asseris, etiamsi citra respectum suman-

ſumantur ſuperius & inferius, ſed per ſe in polis, tamen iſtos motus contrarios fore. Nam talis ratio extra reſpectum abſolutè non ineſt: cum nihil ratione vna & eadem, ad idem & ſecundum idem poſſit eſſe ſummum & imum, naturâ contradictoria non admittente. Sed ridebimur à viris doctis, quod in tam intricatis nugis & frigidiſſimis luſibus tantum operæ ponamus: Ad finem accedimus. Complexio paralogiſmi prædicti ita informatur à diſputatore: *Profectò quolibet tempore grauia & leuia aut ad vtrumq; polum ſimul mouebuntur, vt contrarij motus vtriſq; inſint neceſſe eſt (quæ ineptiſſimè dicuntur) aut certè à motu recto in ſuis locis perpetuò quieſcentia motum ſuperioris mundi nunquam deſerent.* Vtitur diſiunctiua particula aut in bimembri partitione. Vult ergo vno cõtrario negato alterum ſtatuere? Ita nimirũ videtur: Alioquin bimembris partitio eſſe non poteſt, nec vlla neceſſitas concluſionis. Negat autem tota diſputatione hac ſuperiorẽ & inferiorẽ partem in cælo ſeu mũdo eſſe, ſiue totum vt totum, ſiue partes inter ſe collatas accipias: quo ipſo argumento confectũ eſt nullum eſſe motum grauium & leuium: ſed omnia à motu recto vacare, quanquã longè ineptiſſimè hoc tandem inferat, & aduerſum ſubiungat. Hæc enim opponuntur vltimo paragrapho: *Aut quolibet tempore grauia & leuia ad vtrumq; polum ſimul mouebuntur, aut omnino non mouebitur graue & leue motu recto.* Inter quæ nulla intercedit neceſſitas. Cur enim ſi ad polos non mouentur, omnino non moueantur? Sed eo reſpexerit Scotus, quod primum agitatum fuit; nempe ſi non ſit ſuperior aut inferior pars, tunc non poſſe eſſe motum ad eaſdem; & ex conſequente graue leueque quieſcere ſemper: At, inquam, falſum omnino deprehenſum eſt prius: poſte-

rioris ergo quæ fides? Aristotelis disciplinę consentaneum esse ait, si statuantur grauia & leuia in suis locis perpetuo quiescentia superioris mundi motũ non deserere. Ridetis Peripatetici; cur quęso? Nempe id asserit Scotus quod creditu est impossibile. Nã in omnib. paginis vbi de leui & graui, aut motu recto agitur, Arist. contrarium statuit: Et ipse Scotus motum rectum fassus est supra; & infra dum statuit ex aqua fieri aerem, necesse est vt cõcedat eundem; & sensus eundem asserunt. Qua ergo fronte iste tenebricosus homo nobis oculos perstringere ausit? Graue dicit perpetuò quiescere, vt & leue in suis locis: at inquam tũc nec graue est nec leue; Sunt enim hæ κινήσεις: vt in initio 4. de cælo dictum est. Motus quiescere non potest. Addit motum cæli superioris nõ deserere: quid hoc monstri est? Num mouentur omnia circulariter vt cælum? quid de terra & aqua? quo autem motu mouentur? num primo an secundo? si primo, falsitas statim apparet. Nã aer sępe mouetur contra motum primum; ne quid dicam de cometis & alijs quæ sequuntur interdum vel vnius stellæ motum, aut etiam per obliquum feruntur. Si ergo superiora magis mobilia cæli raptum non sequuntur; quomodo ima? Motus secũdus multo minus potest intelligi. At fortè non localẽ sed virtutis motum designat. Tollat ergo in inferiorib. omnem motũ localem: & perquam bellam nobis relinquet physicen. Cur autem tollere rectũ motum ex rerum natura est consentaneum magis Aristoteli? An quia Scotus dicit? neutiquam verò: sed graui de causa: Sic enim arguit.

Qui asserit huius mundi ordinem perpetuum & eodem modo semper se habentem, is statuat grauia & leuia semper quiescere suis in locis: Aristoteles asserit id: Ergo, &c.

Agnosce

Agnosce cramben: putidum enim hoc sophisma in superioribus iugulatum recurrit & connexionē fugacissimam gignit. Esto antecedens connexi; at consequens falsissimum est: quemadmodum demō strauimus. Ne autem graue & leue ex toto physicorum campo exterminet disputator, negat quidem ideo dicta esse quod sursum aut deorsum ferantur Elementa; sed multo magis quod alia alijs subiecta sint aut emineāt. Omnia hæc sufficienter à nobis supra sunt explicata & χρησφύγετα hæc solidè intercepta. Nihil igitur repetimus; tantū monemus extra motum nihil graue vel leue dici ne à rudissimo quidem & fatuo. Deinde notamus αὐτοχαλκεισίαν Antagonistæ: *Multo magis dicit Elementa grauia & leuia esse &c.* Videtur enim non excludere eam rationem posse omnino, quæ à motu sumitur, cum hæc dicatur magis esse, id quod accipi potest respectu eius, non quod omnino non est, sed quod minus est. Nā ad id quod non est, temeraria est comparatio à maiore, quæ instituitur semper inter duas quantitates, quarum altera excedit, altera exceditur. Aliqua ergo grauitas & leuitas motu definita, teste Scoti cō scientia, in Elemenis statuenda est. Insuper ita argumus; Quod definitionis ambitu comprehenditur, ei definita res adimi non potest; Cælum itaq; intra extimam circumferentiam partibus suis comprehēsis, graue & leue omnino erit astruendum: siquidem pars parti, circulus circulo substat & eminet. Eademq; ratio in qualibet parte reliquorum Elementorum locum habet, eruntq; in igni, leuissimo absolute corpore, partes quædam graues, quædam leues, quædam vtriusque participes affectionis. Et in terra absolutè graui itidē leues admittuntur particulæ. Et quo magis ratio eminētię, aut subsistentię

ineſt,eo magis leue & graue. Fiet itaque, vt ignis ſit grauiſſimus,terra leuiſſima; ſiquidem partes in igni vaſtiore corpore magis altera alteri ſubiacet quàm partes terreæ,quæ cum paucæ ſunt,toties ſubſiſtentiam non admittunt.Hoc etiam accidet,vt terra lõgè ſit leuior aqueis quibuſdam , & aëreis partibus, quin & igni in medijs faucibus terræ inuento : Et quæ plurima ex iſto paradoxo enaſcuntur portenta. Diffidit autem authoritati ſuæ & veritati apparenti.Itaque in commercium vt eo plauſibilius veriſimiliusq; decipiat,trahit Ariſtoteleam ſententiã. *Scribit Ariſtoteles*,inquit, *omnibus id placere. Graue enim id abſolutè eſt quod omnibus ſubſternitur,leue quod ex omnibus extat & eminet:Alio autem modo grauia & leuia dicuntur quibus vtrunque conuenit. Nam & quibuſdam eminent & ſubſternuntur,vt aër & aqua,quorum neutrum graue eſt aut leue omnino*. Horum verborum ſedes citantur 8. phyſ:cap.1.vbi nihil de graui & leui:lib.3.cæli c.2. & 4. cæli. 4. In tertio cæli multa ſunt quæ Scotum penitus confundunt; ex quibus conſiderare hæc iubemus.ἐπεὶ φαίνεται ἰιμένον ἐπὶ τοῦ μέσου, εἰ μὲν κατὰ φύσιν δῆλον ὅτι καὶ ἡ φορὰ ἡ ἐνταῦθα κατὰ φύσιν αὐτῷ.Per motum ad medium,problema ſuperius euertitur de polorũ ſitu. Per lationem ad medium euertetur quies illa perpetua à Scoto producta. Sed addimus plura. Si eſt quies ſecundum naturam alicubi , neceſſe eſt vt etiam ſit motus ad idem ſecundum naturam. Scotus autem probata quiete motum tollit:Hoc autem videtur arripuiſſe quod ſequitur in diſputatione contraPlatonem:ἀνάγκη τὰ κινούμενα μὴ βίᾳ ἐν τοῖς οἰκείοις ἠρεμοῦντα τόποις ποιεῖν ἥνπερ ἔχουσι νῦν τάξιν· τὰ μὲν βάρος ἔχοντα ἐπὶ τὸ μέσον· τὰ τε κουφότητα, ἀπὸ τοῦ μέσου. ταύτην δὲ ὁ κόσμος ἔχει τὴν διάταξιν. Vult ſi Elementa ante mundum ſint mota, oportuiſſe ipſa aut naturaliter aut

aut violentè moueri; ſi naturaliter, non potuerunt inordinatè moueri, ſed vnumquodque eo in ordine quieuit &c. Aperte loquitur de ſtatu Elementorum ante mundum factum, qualis is debuerit eſſe, ſi verè dixerit Plato; & reuera etiam hodie idem ordo ſeruatur in Elementis. Neque enim aër extra ſuum mouetur locum, ſed in eo quieſcit; qualiter omnia Elementa ſe habent. De motu autem recto, quo vnumquodque genitum contendit ad ſuum locum, & inde dicitur graue & leue; hîc nō loquitur. Quod autem non tollat motum rectum, indicatur ſequentibus: οὐδὲ νῦν φέρεται εἰς τὸ αὐτὸ πάντα, ἀλλὰ τὰ συγγενῆ μόνον. Item: ὅτι δ᾽ ἔχειν ἔνια ἀναγκαῖον ῥοπὴν βάρους καὶ κουφότητος, ἐκ τῶνδε δῆλον· κινεῖσθαι μὲν γάρ φαμεν ἀναγκαῖον εἶναι. εἰ δὲ μὴ ἕξει ῥοπὴν τὸ κινούμενον, ἀδύνατον κινεῖσθαι, ἢ πρὸς τὸ μέσον ἢ ἀπὸ τοῦ μέσου: Et quæ ſequuntur omnia, leuitatem & grauitatem contra Scotum teſtantur, à motu ſecundum locum eſſe, quemadmodum etiam ῥοπὴ exponitur in 1. cæli lib. 4. Latio ſurſum fit, qua leue, deorſum, qua graue &c. Et quę plurima per totum caput. 2. lib. 3. dicuntur, vt mirum ſit qua impudentia Scotus auſit id pro ſe arripere, quod ex Diametro repugnat. Ex 4. cæli 4. plurima transſcripſitque quæ ſic habent: πρῶτον μὲν οὖν διωρίσθω καθάπερ φαίνεται πᾶσιν βαρὺ μὲν ἁπλῶς τὸ πᾶσιν ὑφισάμενον· κοῦφον δὲ τὸ πᾶσιν ἐπιπολάζον. ἁπλῶς δὲ λέγω, εἰς τε τὸ γένος βλέπων, καὶ ὅσοις μὴ ἀμφότερα ὑπάρχει· οἷον φαίνεται πυρὸς μὲν τὸ λοχὸν μέγεθος ἄνω φερόμενον, ἂν μὴ τύχῃ κωλῦον ἕτερον, γῆς δὲ κάτω. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ θᾶττον τὸ πλεῖον. In vocabulis, ὑφίστασθαι & ἐπιπολάζει, horumque interpretatione vertitur cardo. philoſophus interpretatur ita: *Veluti, quælibet magnitudo ſeu moles ignis ſurſum fertur niſi quid prohibeat; quælibet moles terræ deorſum.* Eſt ὑφίσασθαι ergo idem quod deorſum ferri; ἐπιπολάζειν ſurſum contendere: ſumpto nimirū fine motus pro

ſequra

forma ipsa; aut potius adiuncto. Accidit enim, dum feruntur sursum absolutè leuia vt post finem motus omnibus incumbant. Nec videtur vtrumq; verbum omnino nullum continere ad talia motũ. Nã sæpe vnâ actus significatur; quem aptè expresseris in emergendi vocabulo & subsistendi. Possemus & hac explicatione vti qua supra in 1. de cælo c. 3. nempe de potentia graui & leui, sicut ibi ea definiuit. Insuper definitio definitionem explicat commodissime; siquidem eadem res verbis tantummodo variatur: vtitur autem in 4. Cæli. 1. verbo φέρεσθαι ἀπὸ μέσου καὶ πρὸς μέσον. Et, βαρὺ καὶ κοῦφον τῷ δύνασθαι κινεῖσθαι φυσικῶς πως λέγεσθαι, asserit. Eodem vocabulo definitio 1. de cælo c. 3. constituitur. Quid ergo Scotum compulit vt tam manifestè expressam mentem vnius vocis apparente ambiguitate deprauare non erubesceret? Quin & in eodem capite 4. cæli 4. repetit definitiones easdem eodem verbo, φέρεσθαι, vsurpato: βαρὺ ὃ ἀεὶ κάτω πέφυκε φέρεσθαι &c. quod paulo post, πρὸς τὸ μέσον φέρεσθαι, interpretatur: ita vt non hæc tantum amentia satis sit cõuulsa, sed & illa superior de voce ἄνω: Adhuc manifestius inquit: ὁρῶμεν ὅτι ἀ γεηρὰ πᾶσιν ὑφίσταται, καὶ φέρεται πρὸς τὸ μέσον. Vbi coniungit vtrunque, vt nimirum alterum pro altero sumi indicaret. Nam alioquin quæ ineptia esset subsistere & ferri vno & eodem actu idem asserere; cum fieri hoc non possit? Alterum enim motum, alterum finem motus, id est, quietem Scoto significat. Idem de igni legimus: πᾶσιν ἐπιπολάζει, inquit, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ ἀέρι ἄνω φερόμενον &c. δῆλον ὅτι τοῦτο φέρεται πρὸς τὸ ἔσχατον. Idq; deinceps aliquoties repetit: τὸ ὑφιστάμενον φέρεται ἐπὶ τὸ μέσον ὃ πᾶσι τοῖς φερομένοις ἐπιπολάζει. πᾶν ὑφιστάμενον φέρεται πρὸς τὸ μέσον: τὸ πᾶσιν ἐπιπολάζον φέρεται πρὸς τὸ ἔσχατον τῆς χώρας ἐν ᾗ ποιοῦνται τὴν κίνησιν. Sic ergo contra

Sco-

Scotũ hęc quoq; ſententia explicata eſto. Monemus vltimò ꝙ etſi cõcedatur iſta ſignificatio, quã verbis, *ſubſternitur & extat*, exprimit, tamen non poſſit fieri quin turpiſſimam contradictionem incurrat. Nam ſubſterni inferum, eminere ſuperum locum, quem ſupra negabat, ſignificant. Hæc volunt antea inaudita mundo obijcere, belliſſima tragemata, quæ ita putamus excepta, vt decet noua figmẽta. Hactenus Caput ſeptimum Scoti.

QVAESTIO VII.

Ex capite octauo Scoti: An omnia Elementa ex ſe fiant mutuò.

PRincipio huius tractatus contra Iacobi Martini Scoti invecti in Ariſtotelem conatus τὸ κεφάλαιον τῆς συζητήσεως ſyllogiſmo generali complexi ſumus, cuius ſententia erat; cum neque in ſimplicibus neque miſtis locum haberet generatio ſimplex, eam omnino nullam eſſe, ſed ficta vanaque omnia, quæ à Philoſopho ad nauſeam vſq; de ea forent repetita. Probare argumentum & ab experientia rationeq; petitis propugnaculis communire inſtituerat autor. Hoc itaque iam perſequitur adhuc hærens in priore aſſumti parte confirmanda. Aut ex materia formaq; generatio Elementorum ſimplicium eſſe videbatur, aut ex mutuis. Illam exploſit, & quo ſuccreuit opus, quibuſdam alijs quæſtionibus de definitione Elementi, de numero, de qualitatibus primis, de graui, leuiq; fidem ſuam roborauit, vt nimirum, cum toties fefelliſſe deprehẽſus Ariſtoteles fuiſſet, eo facilius cauſa generationis ſimplicis caderet, & totam perderet litem. Reſtat quærere vtrum ex mutuis fiant ſiue omnia ſiue

aliqua. Negatur quod omnia; quod quædam, conceditur, vt patebit progressu. Monemus πρὸ τῆς μάχης capite tertio Antagonistam confessum esse, Elementa ex mutuis fieri: idem hîc declarare videtur; quod non sit κατὰ παντὸς sed κατὰ μέρος. Tribuitur enim mu-

contradict. tatio mutua, tantum aquæ & aëri. Sed quî sic communicetur argumētum primarij Syllogismi? Si enim quædam per transmutationem ex se mutuis fiunt, cur non sit generatio simplex? An hæc simplex non est, sed quædam aut alius motus? philosophus sanè vt exposuimus suprà in his quoque generationem simplicem agnoscit & statuit. Et quanquam ista saltem de materiæ formæque vnione accipienda foret, hîc tamen excludi nullo modo posset. Vt enim fiat aër ex aqua, necesse est formam in materia interire, & succedere alteram; quæ cum coniungitur materiæ primæ, fit generatio simplex ad Essentiam. Sed in arenam descendamus. Proponitur materia litis de transmutatione Elementorum mutua ex 2. de ortu c. 4. Sæpe dicit philosophus στοιχεῖα γίγνεσθαι ἐξ ἀλλήλων, οἷον ἐξ ἀέρος εἶναι ὕδωρ θατέρου μεταβάλλοντος. Poterat itaque videri Elementum ex Elemento esse, qua Elementum. Hoc ipsum explicat in vestibulo Scotus & simul Thesin informat. Non fit Elementum, inquit, ex Elemento, sed materia eadem quæ tamen Elementis non est prior, ab vnius Elementi forma in alias mutatur. Argumentum; quia materia sola permanet, forma perit. Infert idem etiam ex hoc enunciato: *Si naturales sunt Elementorum qualitates contrariæ, profectò re ipsa subiecta salua & integra mutari nequeunt.*

Vix video quomodo afficiantur ad arguendum hæc, aut quomodo alterum ex altero sit deducendum. ponitur quidem Illatiua vox *itaque*: at vbi vis? Esto:

Esto: non possint mutari qualitates istæ naturales citra subiecti corruptionem: Nam ignis neutiquam amittere potest calorem suum ita vt maneat ignis: quomodo verò intelligam inde sequi, non Elementa mutari, sed materiam quæ superioris Elementi formæ subiecta fuit? De consequentia inconsequẽte loquimur, de rerũ veritate mox dictùri. Sed quomodo putat fieri mutationẽ philosophus? nẽpe alia celerius alia tardius in se mutuò transeũt; fiuntq; cõtraria ex contrarijs; cũ actus in contraria ex contrarijs progrediatur. Elementa autem omnia sunt contraria inter se ob differentias contrarias, siue illæ vtræque sint tales, siue alterutrà tantum. Omne ergo Elementum ex quolibet, naturæ vi oritur, quę conclusio quater totidem paragraphis inculcatur. Videtur autem Scotus non tam explicare (quod ante dicebamus) quàm corrigere velle sermonem illum: Elementum omne fit ex omni; Ideo tanq̃ contradictur' opponit: *At si naturales hæ sunt facultates, &c.* Sed nos putamus id æquipollere huic: Elementum mutatur, fitq́; ex mutato aliud Elementum; vt non qua Elementum est, sed qua mutatur & alteri materiam tradit, res sit accipienda. Ramum qui prius idem cauillatus est, imitatur Scotus: Sed parui hæc sunt momenti; illa maioris, quod Scotus corrector in vno & eodem paragrapho se ipsum ita corrigat, vt putidissimæ contradictionis notam effugere vix possit. Sic ait: *Itaque quod mutatur non est Elementum sed materia quæ prioris Elementi formæ subiecta fuit: Ea namq; sola permanet:* Et ταυτολόγως paulò post: *Non igitur Elementum ex Elemento fit.* *Apparens contradictio qua Arist. potest explicari, Scotica non potest.*

Sed materia eadem, quæ tamen Elementis non est prior, sed vnius Elementi, forma in alias mutatur. Materia subiecta mutatur: materia subiecta manet, hoc est,

non mutatur: quomodo hęc non euertant se mutuo, vix intelligitur. Materia, formæ respectu, mutata; cur non est idem ac si dicas, Elementum mutatur? Forma enim facit Elementum. Quàm distinctè verò dictum est, quænam sit illa materia, primane an secunda? Illa mutari seu abolescere nequit; hæc verò vnâ interit cum forma. Materiam dicit Elemẽtis priorem esse: nimirum id est, quod Aristoteles ait; *materia est inseparabilis ab Elementis*: quam supra agnoscere Scotus præ tenebris calumniarum & cauillationis odiosissimæ non potuit. Verum enimuero etsi ita interpretata philosophi oratio enuncietur: nihilominus tamen Scotus tum ratione tum experientia ostendere vult, id fieri non posse; hoc est fieri non posse, vt materia eadem ab vnius Elementi forma in alias mutetur. Et sic informata est quæstio, de qua litigandum deinceps. Attendendũ autem est ad sermonem, quo vtitur ne videamur ipsi iniuriam facere. Negat materiam, nempe commune illud subiectum, cuius tota ratio in potentia est, ab vnius Elementi forma in alias mutari. Non mutatur materia ipsa nisi quatenus formam habet; de qua hoc nisi de cōmuni? Hæc autem quid aliud nisi vt descripsit eam philosophus? Nec mutatur in alias: atqui ex aëre fit aqua? An hoc est non in alias, *contradict.* sed in aliam mutari? At, inquam, duæ sunt formæ penes quas mutari ab ipso Scoto asseritur: Demonstratio ergo conficiet contradictorium Theseos. Et sic duplici nomine offendit in ipsa quæstione disputatur ille circumspectus, primum aduersans assertionibus suis superioribus, & postea generali thesi data cui infrà contradicetur dimidia parte. Proferantur argumenta: Ignis non potest verti in aliud (hoc est si respicias solam materiam, ignis materia non

non poteſt mutari ad aliam formam) neque terra: Quid inde? Nempe quædam Elementa non poſſunt ſecundum materiam verti in aliud. Atqui diſſentit quæſtio? Itane iuxta eam erat inferendum? Fieri nõ poteſt vt materia eadem ab vnius Elementi forma in alias mutetur. An aër & aqua Elementa non ſunt ſed tantum ignis & terra? Atqui Scotus ipſe vocat Elementa? Et potius ignis ipſi Elementorum numero eximitur? Sed probetur propoſitio. Ignem non mutari in aliud ita patet;

Si tranſmutatur ignis, aut in ſuperius aliquod abit, aut in inferius; In Neutrum poteſt: Non ergo tranſmutatur.

Aſſumptum firmatur; quod non poſſit in ſuperius; quia illud non eſt. Quod non in inferius; Quia aut non mutantur ſuperiora in inferiora, aut per condenſationem mutantur: Hoc non: illud ergo: patet aſſumptum. Cauſæ condenſationis in igni locum non habent: ergo nec effectum ipſum ſeu condenſatio. Patet antecedens: Solum frigus cauſa condenſationis eſt: at nullum poteſt eſſe tantum vt vincat vim caloris. De hoc dubito.

Adde robur & fidem: Calor, inquis, ſummus eſt: At inquam, & ſummum frigus eſt. Contrariorum itaque par efficacia cur non pugnet? Aut cur non fieri poſſit vt calor ſit in materia imbecillior? Non poteſt vinci, inquis, citra interitum vniuerſi: at inquam, hoc minimè eſt neceſſe. Quomodo enim vniuerſum intereat, ſi igneus calor aboleſcat præſertim adhuc reſtante calore cæli & animalium, qui toto genere differre dicuntur ab igneo? Quid ſi Scoto interprete, Ariſtoteles non totum Elementum ſed particulatim generari & corrumpi dicat? An totum tunc poterit interire parte ſaltem corrupta? Hîc ergo aqua, quod aiunt, hæret: ex

principio caduco ſurgunt concluſiunculæ fragiles & momentaneæ, necdum probauit aſſumptum diſputator. Interim axiomatum quę veritas eſt? Experientiæ teſtimonium appellauit; Ecquam illa de tribunali ſuo ſententiam dicit? Nihil in nihilum mutari res ipſa loquitur: Ignis cedit in aërem cum corrumpitur aut in terrea quædam atoma, Si ita loqui fas eſt: mutatur ergo: Scotus experientię ne gry quidem attulit, faciliusque eam promiſit, quàm præſtitit. Et hoc primum. poſtea qualem nobis materiam fingit? Negat eam poſſe ad alias formas mutari. Vnam ergo perpetuò obtinet, cum fieri non poſſit, vt ſit ſeparabilis. *contradict.* Atqui non tantum ex vapore fit aqua & viciſſim ex hac vapor; verùm etiam cũ miſta corrumpuntur variæ in materiam formæ, prout diſpoſita eſt ipſa proximè inducuntur, idque rerum ſenſus euidentiſſimi conteſtantur. Siccine vtitur experientiæ argumento, vt nihil tam aduerſetur, quàm ea ipſa? De aëre & aqua facilè tu ipſe conceſſeris mutationem, atque adeo veſanam contradictionem ſtabiliueris. Verùm ſi omnium Elementorũ communis vnaque primum eſt materia; quid cauſę eſt, vt ea in aere & aqua ſaltem mutationem ſuſtineat, & non tota vbiuis, quanquã non pari procliuitate? Sequitur de cauſa conuerſionis Elementaris: ea ſtatuitur condenſatio ſuperiorum, vt inde fiant inferiora. Vnde iſta? per frigus nempe: hoc enim conſtringit, veluti cum fit ex aëre aqua. At inquam, Scote, hoc omnino accidentarium eſt. Elementorum enim tranſmutatio per ſe ad formam aliam eſt, cuius materiam ſingularem, tenuem aut craſſam &c. fieri vnâ contingit.

contradict. An verò oblitus eſt Scotus ea, quæ antea diſputauit de qualitatum primarum origine à motu &

ἀκινησίᾳ, rarefactione & condensatione? Hæc si vera sunt, contrà potius accidere necesse est, vt nempe frigus effectum sit condensationis à motus priuatione exortę, non autem causa vt disputabat philosophus 8. phys. Quid autem, si intereat calor citra contrarij obsistentis oppugnantisq; vim, quemadmodũ interire posse naturaliter ignem scripsit philosophus, nosq; id experientia cõprobamus? Iugulata profectò sic quoq; Scotistica foret sententia, vt omni absurditatis metu à Scoto excitato facili remedio liberemur. Hi ergo sunt illi belli Elẽchi κατὰ τὶ καὶ κατὰ συμβεβηκὸς, καὶ ὡς αἴτιον ὡς ἄτιον: quos tã portẽtosorum sophismatum genitores patronosq; fideles habet. Sed & hoc nõ intactum est relinquẽdum: quod cum effectu, rarefactione scilicet commutet causam, nempe calorem, id quod ijsdem impugnatur machinis, quibus antè dictum frigus. Non enim tribuit Scotus Elementis calorem proprium, sed eum gignit per motum & affrictum Aristotelico sensu non vsq; adeo ab omnib. approbato, si κατὰ ταυτὸν ita enũcietur. Si itaq; est rarefactionis effectum, cur hîc statuitur causa eiusdem? De hac re etiam supra. Repetere odiosè quid supersedemus. Ignis calorẽ non posse vinci à frigore, ante quidẽ negauimus; hic addimus experientiã, non tantũ quam absentia calorifici mõstrat, sed & quicunq; flatus Aquilonij, quos subinde vel maximũ ęstum mutare posse cõperimus. Ipse quoq; disputator eundem effectum in plantarum & animalium internecione negare non audet. Elementũ ignis non habere q̃d superius, tam facilè nõ credimus, q̃ id pronũciatur audacter. Cælũ, Elementũ philosopho est igni superi⁹. Recentiores quidã non adeo abhorrẽt à Platonis, Macrobij, & aliorũ ex vetustiorib. iudicio de ętherea regione. Contradict.

Quid si enim naturam cælestem igni finitimam asserere m, quæ purior aut impurior facta, modò hoc, modo illo designaretur vocabulo? De astris certa est veritas: de illo corpore in quo feruntur astra: vellem vt aliquando diligentior esset naturalium indagatio. Sed de hac re fortè alibi. Adhuc primum argumentum quod ignis verti in aliud non possit; In quo miror cur non vsurpetur illud quod ex Cardano disputant; ignem omnino non esse; aut illud quod Scotus de materia mundi medij supra commentus fuerat. Ab illis enim videbatur fortior aliquanto peti posse ratio. Secundum argumentum à philosophi testimonio sumptum ita syllogismo comprehenditur.

Valde enim dubium est sitne aliqua regio ignis Elementaris prope lunam.

Forma non transit in materiam:

Ignis (teste Aristotele) reliquorum Elementorum est forma: Ignis ergo in reliqua Elementa non transit:

Item: *Quodcunque mutatur in aliud, id per putredinem naturaliter interit. Ignis interire per putredinem non potest. Non itaque in aliud mutatur.* Loca quibus munitur assumptum citantur ex 4. Meteoror. cap. 1. 2. de ortu cap. 8.

Ad hæc respondere δὶ ἐνςάσεως promptissimum fuerit primum. Quis enim ignorat philosophum in secundo de ortu palam contrarium statuere, quod ipsum ad hæc proferenda induxit Scotum? In libro περὶ νεότητος καὶ γήρως, c. 3. ita ait: πῦρ ἀεὶ διατελεῖ γινόμενον καὶ ῥέον ὥσπερ ποταμὸς, ἀλλα λανθάνει διὰ τὸ τάχος. In 2. de ortu 4. ita ait: ὁμολογουμένη δὲ καὶ τῇ αἰσθήσει ἡ τοῦ πυρὸς γένεσις. μάλιστα μὲν γὰρ ἡ φλὸξ πῦρ· αὕτη δ' ἐστὶ καπνὸς καιόμενος· ὁ δὲ καπνὸς ἐξ ἀέρος καὶ γῆς &c. Addimus etiam ea quæ de meteoris in summo incensis & rursum extinctis scribuntur; Et quæ in secundo Meteororum. Summa 1. cap. 2. & alibi ad rauim vsque

2. de Mete. 2. Vbi de igni & aqua ita pronunciat.

incul-

inculcantur; quorum copia & frequenti repetitione ad oculum demonstratur, philosophi sententiam eam non esse, quam conclusiuncula quadam acuta ex vnico dicto extorquet disputator. Nec latuerat Sophisma Aristotelem, fore nempe quosdam qui negarét ignem in summo corrumpi posse, quia ibi nihil esset contrarij. Ideo anteuertit id data solutione ἐνστάσει, impossibile scilicet esse materiam habenti (corruptibilem) non existere aliqualiter contrarium. Quando autem simul fuerint actiuum & passiuum, hoc semper agente illo patiente fieri non posse, quin mutatio eueniat. Certum itaque est philosophum transmutationem ignis non abiecisse, postquam semel eandē statuerat. Ad Syllogismos nos vertimus: Ex horū priore idem argumentū contrarium conficere potest. Si enim Elementorum reliquorū ignis est forma; & Elementa reliqua intereunt, teste Scoto de aqua & aëre; cur non subiecta materia corrupta corrūpi necesse sit formā ipsam? Ignis ergo ab interitu non est immunis. Deinde nihil tam oppugnat Scoti figmenta, quam is ipse locus de igni, quod sit forma ad reliqua Elementa. Esto enim formæ hoc, quod non possit transire in materiam, vnde consequens sit ignem non posse in in vllum mutari Elemētum; at, inquam, idem dicēdum erit de aëre & aqua: Nam & hæc in 4. cæli tex. 23. à philosopho formæ nomen acceperunt. Terra sola materiæ rationem obtinet, quæ Scoto est mutabilis secundū formā. Quid ergo obstat, quin terra sola sit corruptibilis, reliqua Elemēta neutiquā? Sed quem latere potest iam manifestum Sophisma in assumpto? Relata forma non absoluta dicitur ignis, nempe quod ita se habeat ad reliqua Elemēta sicut forma ad materiam, non quod sit absoluta eorum

2. de ortu tex. 00. De long. & breu. vitæ c. 2.

forma; nisi quis omnia dicat ignem esse. Præclarum ergo nobis parturiuit τῆς ὁμωνυμίας καὶ οὐχ εἴδους ἢ ἀἰτίν, ὡς εἴδους ἢ αἰτίν Elenchum. Posterior paralogismus statim se prodit propositionis imbecillitate: Quin ipsum animum suus prostituit, & manifestæ ἀσυλλογισίας arguit sermo. Ita enim inquit Scotus: *putredo vel sola, via quædam est naturalis ad naturalem interitum ducens.* Si quædam est via; vox autem hæc indicat distributionis membrum: erit ergo alia insuper huic opposita. Qui enim, quædam, dicit: is non omnia eiusdem generis complectitur. Quid ergo refert si putredine nō interit (id quod & de aëre syncero & supero asserit philosophus) cum alijs modis corrumpi possit, nempe quos in 3. de iuuent. & senect. μάρανσιν καὶ σβέσιν appellat: et eo ipso in loco 4. Meteororum violentam corruptionem opponit naturali; Et τῆς σήψιος duas habet species, alteram, quæ φθορὰ dicitur generali nomine; alteram quę σαπρότης, quam & ἰδίως σῆψιν vocat, τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων. Hæc de Syllogismis.

Miramur autem non iniuria, vbi extet id apud philosophum quod ait Scotus: in ignem omnia cōuerti posse, cum ipse tamen in aliud non vertatur; hocq; tribuit Aristoteli, quod nec apertis verbis dicit, nec ἑπομένως. Loca annotātur ex 4. Meteoror. 1. 2. de ortu 8. 3. de Gener. ani. vltimo. In nullo tale quid inuenimus In 4. Met. asseritur quod ignis non putrescat, sed reliqua Elementa cum sint igni materia. Idem ferè in 3. de Gener. τὸ πῦρ ἀεὶ φαίνεται τὴν μορφὴν οὐκ ἰδίαν ἔχον, ἀλλ' ἐν ἑτέρῳ τῶν σωμάτων· ἢ γὰρ ἀὴρ, ἢ καπνὸς, ἢ γῆ φαίνεται τὸ πεπυρωμένον: *ignis formā non habere propriam nisi in alio corpore videtur &c.* In 2. de ortu nutriri ignem statuit, cum solus ac maximè formæ sit. Quibus locis etiam cōtrarium reperimus. Quo-

modo

modo enim omnia in ignem vertuntur, si est is forma omnium? An materia abit in formā? Vbi de nutritione eius disputat. de eo igni loquitur qui generatur. Sic. n. inquit: εὔλογον ἤδη τὸ μόνον τῶν ἁπλῶν σωμάτων τρέφεσθαι τὸ πῦρ ἁπάντων ἐξ ἀλλήλων γενομένων &c. Quod si in numero gen. est: ex aliquo certè generabitur, cum nec ex se ipso nec ex alio possit oriri. Sic & in 2. Meteo. 2. Flammam fieri dicit continuo, nec ali, cum eadem non maneat ullo tempore: & nutritio sit proprium animæ vegetantis ἐνέργημα: argumēto, illam veram nutritionem non esse, sed genera. ex materia, qua videtur tanquam nutriri & conseruari. Non succurrit aliud quid ex tanto opere ꝙ patrocinari Scoto videri possit. Vt fictum igitur & mēdax totum istud enunciatum reijcimus. Surgit porro aliud ex diuisione argumentum, non posse ignē transmutari omnino; quia nec in aërem nec in terrā vertatur. De aëre instituturus πίστιν, prolepsi vtitur ex authoritate philosophi opposita enunciato præcedenti, quo dicebatur ignis teste eodē in trāsmutabilis. Cum enim asserat eum in aërem transire, siccitate in humiditatem conuersa; qui poterit effugere corru. Irridet ratiocinationē Aristotelicā Scotus: *Nihil dictu facilius*, inquit; *at id certè cum natura ipsa & communi experientia pugnat.* Audio facilius enunciatum: demōstra id pari promptitudine. paratus est; auscultemus, animum interim non declinantes ab ab illo grandi iudicio, quod cū natura ipsa & comuni experientia pugnet mutatio ignis in aërem, id quod demonstrandi erit materia. Syllogismus informatur talis.

Si ignis in aërem vertitur, aut motu cæli, aut vi aëris vertetur: A neutro: Omnino ergo non vertitur.

Connexio patet, quia consentaneū maxime est, cū

nõ à remoto sed à vicino eoq; tãgente transmutari, cum nihil sibi ipsi vim inferat sitq; sui motus causa.

Assumptum firmatur primum de cælo:

Quod ignem procreat, id eum in aërem non transmutat.

Motus cæli ignem procreat; non igitur in aërem eum mutat.

Probatur assumptio huius testimonio philosophi triplici; ex 2. de cælo 7. Ex 1. Meteor: 4. Et ex cap. 5. postea de aëre. Si ab aëre mutatur; necesse est vt id fiat ab humiditate eius, vtpote contraria siccitati. Sed hoc fieri nequit: ab aëris ergo vi non mutatur ignis. Probatur assumptio. 1. Quia nunquam tantus est aëreus humor vt siccitatem ignis vincat. 2. fouet potius ignem & ei alimentum præbet. 3. Omnis humor aëreus facilè in flammam ab igni conuertitur. Quod ipsũ illustrat per vim disparati: Sicut aqueus humor igni aduersatur & in eo ad extinguendum ignem vis maxima est. Repetitur & complexio sed cum auctario? *Nunquam ignis in aerem vertitur, etsi cum eo summam habeat affinitatem.* Hæc Scotus. Ratiunculam quandam contrariam & conclusiunculam valde sophisticam audiuimus; Vbi experientia? Scilicet caute est surdior Icora magisque muta quàm piscis in cerebro Scoti; nobis alioquin vtrãq; aurem perpetuò circumsonat & in oculos tactũq; ita se ingerit, vt contrariũ omnibus fĕrè horis videamus & percipiamus ignem subinde transmutari. Propositio Syllogismi Elẽchũ insufficientis diuisionis causarũ plenis velis incurrit. Quasi enim à duabus tantum causis mutari ignis possit, constituitur, contra quàm rei veritas docet. Notabimus itaq; primum, Scotum non ex naturæ veritate disputare sed ex Aristoteleis dictis, contra ac policitus fuerat. Esto enim, non consequatur id ex assertione philosophi: an inde

an inde omni modo negandum ſit ignem tranſmutari? Deinde ψεῦδος committit etiam in teſtimonio Ariſtoteleo vſurpando. Etenim aut naturaliter aut violentè interire ignem diſputat iſte: Naturaliter per μάρανσιν; violentè per σβέσιν. Illa veluti ſenectus eſt ignis deficiente vel non apto pabulo, vel nō data perſpiratione; hæc violenta oppreſſio quæ fit à contrario. Addimus immobilitatem & condenſationem, quæ opponitur motui & rarefactioni quæ ignem interdum producit. Vbi hæ cauſæ in Scotiſtica propoſitione? Firmamentum eatenus quidem verum eſt, quatenus actiua paſſiua ſe tangere mutuo neceſſe eſt: verum quatenus tantum cælum ſuperius aerem inferius tangere aſtruit, eatenus falſum. Quid enim ſi ignis dum fit in terra vel aere, imo & in aqua fit, in quibus ineſſe eum par eſt, modo forma eorum tanquam materiæ dicatur? Propoſitio ergo hoc quoque nomine deprehenditur Sophiſtica. Sed & alia quædam cumulatim ſe offerunt. Motus cæli non vnus eſt & idem ſed alius primi ambitus, alius circulorum; adeo vt etiam ex oppoſitis regionibus ſibi mutuo contranitantur. Quo ergo motu fit ignis? Solis, dicit philoſophus: Sole ergo abſente corrumpetur; aut motu cæli: Cōtrarij enim contrariorum effectus. Quomodo itaque ex tanta obſcuritate aliquid lucis afferet argumentum? Cogunt dicta, ne omnino poſſimus admittere aſſumptum. Non enim ſimpliciter motus cæli non corrumpit ignem; ſed qua generat, attritu vt placuit Ariſtoteli, juxta expoſitionem Scoti. Ab aere non corrumpi ignem, quâ calidus humidus eſt naturaliter, fortè poſſim donare, ſed certè experientia teſtatur tum motu aeris impetuoſiore tum feruore tum qualitate quadam alia, eaq; peſtifera, flammam

iugulari, si præsertim simplex est. Alioquin inuenire est, quæ aereis quibusdā infusis, vt oleo copioso vel etiam pauco in quibusdam artificiosè comparatis, itidem extinguuntur.

Probatio assumpti de cæli motu nihil habet firmi. Etenim quatenus procreat eatenus non interimit. Interim non euertuntur aliæ dictæ causæ. De philosophi authoritate postea dicemus. De aere responsum est modo. Et Scotus nihil attingit, nisi quod primum & simplex est, quo pacto necesse est ignem in aerem transire quacunque causa agente. Non enim aeris humiditas id operatur tantum, imo in flamma ne operatur quidem, cum ea etiam in humidissimo aere viuat. Atquì ignem, vt naturaliter se habet & verè Elementum est, proxime lunam contemplare; cur is si incidat humidum aerem non possit mutari? Sensus fortassis id non docent adeo manifestè: at si ignis verè Elementaris proximus spiritui seu tenuissimo halitui est, qualem sæpe etiam in inferiore aere ex flammis egressum percipimus, nisi communitus fuerit & adiutus materiæ propugnaculo: nos autem tactu quoque percipimus à copiosiore aere cum halitum vinci: cur id adeo ab omni sit alienum experientia? Negas vnquam tantum esse humorem aereum, vt vincat siccitatem ignis: Atqui si summus est, vt supra statuebas, quî non sit tantus? veniat etiam pars ignis minor invastum aerem, an non quod superat, alterum inferius in sui naturam commutabit? Tam stolidum ne ipse quidem putabas Aristotelem esse, vt tota potius quam secundum partes mutari Elementa existimauerit. Cur istius liberalitatis oblitus hîc contradicis? Ignem ab aere foueri quadam tenus scimus & fatemur: verùm hoc non

Hæc ex Arist. fundamēto disputamus: nēpe ignē esse peculiare Elementum, sicut Scotus iam id non negat.

Contradict.

non perpetuum, ſi quidem violentum; nec in omni quantitate & diſpoſitione: Id quod teſtatur ſequens etiam Axioma; aereum humorem in flammam verti; hoc ſi verum eſt, fomentum nihil aliud ſignificat quàm materiam aeris quæ tranſmutatur in ignem; quod ſi perpetuo fieret; an non omnia in ignem dudum eſſent conuerſa? Sed & in hoc enunciato generalitas ſeu καθόλου locum non habet. Non enim omnis humor abit in flammam: ſed oleoſus tantum, qui viſciditate ſua & ſpiſſa cõſiſtentia caloris exceſſum ſuſtinere poteſt. Alioquin cur non inflammetur totus aer vno igni? Imo ex flamma prodit aer; ſiue corrumpatur ipſa ſiue materia quæ eam alit: Teſtis riſus vulcanius, quem vocant & incendiorum magnorum tempore ſubito exortæ aeris commotiones.

Si etiam te teſte facilè in flammam abit aer, cur non etiam facilè ad ſuam naturam redeat, cum momenta ad vtrunque effectum poſſint eſſe paria? Et ſi ſerio iſthoc dicis, cur poſtea contradicis negans omnem tranſmutationem Elementorum, præter aeris & aquæ? Illuſtrationem huius problematis ſtolidè admodum informaſti. Vox (*quemadmodum*) ſimilis qualitatis comparatæ eſt.

An ergo ſicut aqua extinguit ignem; ita aer in flammam conuertitur? conferantur modi: Aer abit in flammam cum viſcidus & coactus eſt, quin exhalatione pingui concreſcit, vt in Meteoris videmus motu, vel caloris vi antecedente.

Aqua ignem (flammam potiſſimum) extinguit neutiquam modo ſimili, ſed occupando alimentum eius, & principium generationis ſuffocando, quo facto ſubito euaneſcit; nam non amplius

plius fit. Sed iſta inepta mittimus. Scire autem debebas nõ quamuis flammam ab aqueo humore extingui; veluti ea quæ compoſita eſt ex naphta, cera, ſulphure, caphura, calce, limo maltha, terebinthi reſina, colophonia, & alijs, varijs modis vſurpãtur, quæq; terra potius, quàm aqua domantur. Alij erumpere flammas etiam ex aqua tradunt; conficiunt pulueres, etiam ſub aqua ardentes, & quæ ſimilia paſſim leguntur. Fateris aquæ vim eſſe maximam ad extinguendum ignem: hoc facto quorſum abit? an in nihilum? non opinor. In aliquid ergo; id ſi Elementare quid non eſt, tu expone quidnam ſit, vt cognoſcamus in nullum Elementũ tranſire ignem; alioquin inconſtantiæ & contradictionis te arguere non abſtinebimus. Addis ignem ſummam habere affinitatem cum aere; quin ergo facilem trãſitum eumq́; reciprocum eſſe admittis? Summa affinitas ferè ad ἀυλωσίαν accedit. Tam procliui lapſui quid obſtat? Aer in aquam tranſire, te teſte, poteſt; cur non ob eandem vel maiorem, ſiquidem ſumma eſt, cognationem, ignis in aerem, & hic in illum viciſſim? patet ergo nihil omnino concluſiſſe neceſſariò Scotum, ſed frequentiſſimè imò in omnibus enunciatis Elencho κατὰ μέρος deliquiſſe. Ita reſponſum ad hunc quoq; paralogiſmum eſto. Sunt autẽ quædam, in quibus accuratius explicandis, nõ paruum operæ precium nos facturos putamus. Itaq; & iſta addamus. Motum cæli eſſe ignis procreatricem cauſam, ex 2. de cælo & 1. Meteor. Pronunciat Iacobus Martinus & vocabulo ignis Elementarem illum intelligit, non quæ aliàs flamma, & feruor ſeu exceſſus caloris appellatur. Sit ne hæc vera eorum locorum interpretatio, attendamus. In 1. Meteor. c. 3. de aere dicit philoſophus: ὁ περὶ τὴν γῆν οὐ μόνον ἀήρ ἐστιν, ἀλλ'

Plinius lib. 2. c. 110.

Contradictio.

ἀλλ' οἷον ἀτμὶς. aliud ergo eſt vapor, aliud aer, cum nihilo minus ſint in vnâ regione.

Par ratio eſt de exhalatione, quę in loco ignis cōſiſtit, quam putamus ſignificari à philoſopho per σῶμα μέχρι τῆς σελήνης ἕτερον πυρὸς τε καὶ ἀέρος: In quo partes quædam ſint puriores, quædam verò impuriores, maximè qua deſinit verſus aerem. φερομένου δὲ τοῦ πρώτου στοιχείου κύκλῳ, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ σωμάτων τὸ προσεχὲς ἀεὶ τοῦ κάτω κόσμου καὶ σώματος τῇ κινήσει διακρινόμενον ἐκπυροῦται ποιεῖ τὴν θερμότητα. Primum inquit id eſſe diuerſum ab igni; poſtea verò igneſcere à motu: Vnde ſint Meteora ignita. Confeſſum autem eſt hæc non fieri ex igni Elementari. Itaq; non putandum eſt, cum philoſophus calorem motu excitari ſcribit, eum loqui de Elementari, cum ipſi ſit ſermo de feruore, quo igneſcit materia; vt à motu excitari ſit idem quod in actum prouocari & flammam concipere. Quis alioquin tam ſtolidus eſſet, vt putaret aerem tam violentè affricari à corporibus cæleſtibus, vt inde ignis generaretur Elementaris? Manifeſtius ea extant in c. 4. θερμαινομένης τῆς γῆς ὑπὸ τοῦ ἡλίου, τὴν ἀναθυμίασιν ἀναγκαῖον γίγνεσθαι μὴ ἁπλῆν, ἀλλὰ διπλῆν, τὴν μὲν ἀτμιδωδεστέραν, τὴν δὲ πνευματωδεστέραν, τὴν μὲν ἐν τῇ γῇ καὶ ἐπὶ γῇ ὑγροῦ ἀτμίδα, τὴν δὲ αὐτῆς γῆς οὔσης ξηρᾶς, καπνώδη. Hìc apertè denotat non ignem aut aerem ſed vaporem & fumum, quorum ille ex aqua, hic ex terra ſecernatur, per vim ſolis calefacientis terram, & aquam. Non autem ignis & aer poteſt deſignari. Etenim his non exiſtentibus, Sol in terram exercere vim ſuam nō poteſt. Inter ea enim eſt actio & paſſio mutua, quæ formam in materia habentia ſe tangunt mutuò. vt in 1. de ortu ſcriptum extat. Porro ignem vocat id quod elatum ſub latione circulari conſiſtit, etiamſi tantum potentiâ

ſit

ſit ignis, inflammabilem habens materiam, ſicut ait: διὰ τὸ μάλιστα πεφυκέναι τὸ τοιοῦτον ἐκκαίεσθαι τῶν σωμάτων: vnde ὑπέκκαυμα. τὸ νῦν λεχθὲν πῦρ appellatur, quia ſi fortè paruam motionem conceperit incenditur ſæpe vt fumus. Quæ etiam de igni Elementari intelligi nequeunt. Hunc enim mundo coæternum facit, quod fieri non poſſet ſi à motu cæli primum exoriretur. Mouens enim prius eſt re motu producta. Paulo poſt vocat σύστασιν, quæ, ſi quo modo à circulari latione moueatur incendatur. Item diſcernit ſuccenſiones eas poſitione τοῦ ὑπεκκαύματος, ἢ τῷ πλήθει. Quæ itidem de igni Elementari, circulo extenſo circa aerem, accipi non poſſunt. Quod enim circulo ſitum eſt, eos poſitus non admittit: ſed id quod in eo conſiſtit, id poteſt confirmari. Idem videtur & ex his ſequi. Si per id corpus, cuius σύστασιν in ſummo deſcribit, ignem intellexiſſet, generationem eius non per rarefactionem ſed potius per condenſationem fieri ſtatuiſſet. Quod enim conſiſtit, id craſſius efficitur. Quin idem docet Solis motu diſgregari; quod eſt rarefieri & dilatari; Ignem verò aſſerit omnium ſubtiliſſimum eſſe, qui reſpectu Elementorum reliquorum maximè eſt incorporeus; Quomodo ergo rarefieri magis poſſet? Ex his itaque patet, quinam ignis per motum cæli efficiatur; nempe non Elementaris, ſed flamma Meteororum. De calore res diuerſimodè ſe habet. In 1. Meteor. 3. quomodo ad nos ex ſummo perueniat docet, non quomodo primum generetur in igni; niſi id velis κατά τι accipere, vt generari apud nos dictum ſit id quod antea exiſtens, huc peruenit. verba eius hæc ſunt:

περὶ τῆς γιγνομένης θερμότητος ἣν παρέχεται ὁ ἥλιος, μὴ τοιούτων ἐκείνων τὴν φύσιν, λεκτέον καὶ νῦν, &c. Et ferè

ſub

ſub finem: διὰ ταύτην, αἰτίαν ἀφικνεῖται πρὸς τόνδε τὸν τόπον ἡ θερμότης, &c. De Solis calore, non de igni Elementari ſibi diſſerendum ait. Stellas enim putat actu & naturaliter calòrem non habere. At nihilominus præſente Sole incaleſcit aer actu: abſente tollitur & calor. Refert cauſam in ſegregationē ex motu. Et de eodem hoc calore etiam in ſecundo cæli, ſeptimo agitur. Qua fronte ergo Scotus de Elementari qualitate, quam & ipſe toto genere à cæleſti calore diſtinguit, nugari audet, cum apertum ſit philoſophum de cæleſti docere? clariſſimè aſſerit idem eſſe ſcriptum capit. quinto libri primi Meteororum: Atqui ibi de phaſmatis inſtituitur oratio, diciturque ſuperus aer adeo conſiſtere vt flagret, an συνιστάμενος ἀὴρ καὶ διακρινόμενος ſunt idem? Hæc de Ariſtotelea ſententia paucis libuit annotare.

Sunt autem quidam philoſophi, quibus iſta attritio vana admodum & friuola eſt. Etenim quomodo cæleſte corpus æternum Ariſtoteli ab Elementari ita poſſit affici, vt ex confrictu mutuo calor producatur? An eadem eſt materia cæli & Elementorum, quæ quidem requiritur inter agentia & patientia mutuo? Deinde ſi media aeris regio frigida eſt maximè, quod ab igni non adeo calefiat; ſi radij ſolares prope terram refracti, eò non pertingunt quia in vaſtum aerem diſperſi, euaneſcunt vt capite tertio ſcriptum legimus; quo pacto poterit calor ab attritu & motu genitus huc peruenire? Quæ viciniora ſunt motui ea atterantur vehementius neceſſe eſt. Aer itaque medius longè foret calidior quàm imus. Ob hæc & ſimilia, quæ alibi exponuntur abſurda, potior videtur eſſe eorum ſententia, qui Soli δύναμιν primæui

mæui caloris asscribunt, cuius vis non nisi in patiente crassiore percipiatur corpore, in quo ob crassitiem multiplicatur & intenditur. Operatur autem fortius secundum rectam lineam & situm directum. Itaq; sequax corpus, quod subijcitur, alteratur ab ea virtute & in radios colligitur luminosos, qui ad solida refracti vim fortiorem insuper acquirunt. Et sic ipse calor Solaris est; in imo fortissimus, nisi quæ causa, qualis potest esse à flatibus frigidis, & ineptum ad suscipiendam vim reddentibus acrem & alia, impediat. In medio tum ob raritatem aeris, tum quia refractio ibi non est, aut paucus est, aut si comparetur cum imo, vix vllus. Quæ omnia pro præsentia vicinitateque & distantia Solis variari videmus. De ignis generatione ex eodem hoc fundamento statuere quid certius posse videmur. Etenim dum calor solaris in aerem terramq; agit, cum non possit simile & cæleste producere, id quod potest, efficit, attenuandoq; & disgregando, quin & informando ignem gignit. Disgregatio autem motus quidam esse videtur, vnde non immeritò poterat motui, sed non affrictui illi, asscribi generatio ignis Elementaris. Rursus Sole absente, aut distante longius, caloris vis exigua admodum est: & si omnino etiam reliquiæ expulsæ fuerint per contrarium frigus; omnino effectus consequitur nullus in extenuando; sed potius ob causam contrariam (quæ immobilitati poterat asscribi) effectus cõtrarius, hoc est, ignis corruptio, mediante condensatione, modò fas sit condensationem istam ex accidente quidem motum, at per se motus priuationem, aut potius quiddam consequens, cessationem appellare. Videmus enim quod quę inflata primùm sunt motu aliquo; ea, si cesset mouens, considant

Non quid ignem esse consentaneum sit.

rur-

rurſum. Vnde reſpectu mouentis abſtinentis poterat eſſe ἀκινησία: κίνησις autem ratione motus accidentarij. Conſentiunt his ea quæ ſcribuntur de adiunctis & effectis per certa mundi loca. Intra tropicos enim pauca vel nulla ferè collectio ſiue exhalationum καὶ ὑπεκκαυμάτων, ſiue nubium (niſi per ventorum impetum hæ aliunde deferantur) eſt. Itaque ignis corruptio nulla; ſed tantum generatio. Extra tropicos autem, quibus vicinus eſt Sol, illis in locis generari poſſit ignis; à quibus verò diſtat remotius; in illis condenſatio & corruptio eius, perpetuiq; in aerem tranſitus, quid obſtat quin ſtatuantur? vnde non immeritò fluuium quendam ſemper reciprocum regionẽ aeris & ignis appellaueris. Verùm hæc vt obiter inſerta pluribus non perſequimur. Ad diſputationem redimus. Ignem in aerem mutari temerario conatu negauit Scotus: ad aquam & terram progreditur, argumento primum comparato maiore: *In aerem verti ignis nequit: Ergo in aquam terrámve multo minus.* Videtur enim ibi cognatio & procliuitas maior. Sed antecedentis fragilitas falſitasque antea eſt oſtenſa. Rurſus: Si tranſit in aquam vel terram, frigore id fiet: Sed falſum conſequens: Non itaq; verum antecedens. Aſſumptum roboratur, quia frigus nullum poteſt eſſe tantum, vt vincat calorem ignis Elementaris: Item ignis calor æternus eſt, vtpote æternæ cauſæ effectus: Item frigus nullum, nec frigidum Elementum eò poteſt peruenire vbi ignis eſt, ſi quidem locus is, qui cælo proximus eſt perpetuo motu non modo igneſcit ſed etiam feruorem & flammã concipit. Hęc Scotus cui adeo perplacet lepidus ille & omnium Sophiſtarum fermè aſylum, Elenchus κατά τι, vt toties eum repetere non grauetur. Cur enim à frigore tantum

& non etiam ab humore, vel potius ab vtroq; mutari ignis debeat; cur non ab ἀκινησίᾳ & condensatione? Apparet versutia. Si enim humorem aqueum appellasset, turpi contradictione seipsum implicuisset. Antea siquidem dixerat, in humore aqueo esse maximam vim ad restinguendum ignem. Ecquis autem huic homini laudem candoris aut sinceritatis velit possitve tribuere, in quo ne mica quidem candoris philosophici emicat? Talis est connexio. Assumptum cum sua πίστει falsissimum est; experimur enim subinde, quanta vis sit frigoris Aquilonij. Flammam quidem omnino vis frigoris nulla possit extinguere. Non enim nuda in ea qualitas spectatur; sed vnâ materia, forma, & adiuncta alia. Aduersatur autem, inquit philosophus, primo de ortu, septimo, corpus corpori, sapor sapori, calor calori, & omnino homogeneum homogeneo. Hac ratione frigus citius genitam flammam corrumpere calore euicto possit; est enim feruor: sed principium generationis & pabulum intercipere solum nequit. Qua ratione flamma etiam frigidissimo in aere dato pabulo continuatur. Vertat autem cogitationem ad verum ignem, materiatumque opponatur materiato; effectum cognoscet. Ignis calorem æternum esse, quid huc pertinet? specie æternus est, at non singulari & per partes: item generatione est æternus, vt Scotus ipse dicit. Semper enim procreatur à sole: quod si contra nihil ex eo interit, cur non, vt supra docebamus, omnia inflammata sunt? Frigidum Elementum non posse ad locum ignis peruenire, si concesserimus, an inde sequetur ignem non interire? Imo si, quod falsum est, à frigore Elementari tantum interiret. At poterat etiam in inferioribus statim,

tim, vt genitus est corrumpi, antequam ad suum locum perueniat: an ne tunc quidem frigido Elemento tangitur? O Scotũ mentis inopem. Quam acutè vero hoc exaggeratum est; locus cælo proximus nõ modo ignescit, sed & flammam feruoremq; concipit; quasi philosopho ἐκπυροῦσθαι adeo differret ab ἐκκαίεσθαι, aut ignitio ab inflammatione tam longis distaret interuallis? Porro de ignis in aquam aut terram cõuersione, proximè aut tandem facta, non obscura est philosophi sententia. Scotus tam forti Syllogismo concinnata tota victoriæ spe excidit; & magis excidet si cum superiorib. assertionib. quod omnia Elementa reliqua sunt ignis pabulũ & materia, quodq; nulla qualitas naturâ inſitElemẽtis, &c. placuerit hæc tã friuola cõmittere. Hæc de igni. De terra sequitur. *Nec verò terra in aquã, inquit, verti potest, quamuis ex ea si cum aqua misceatur, lutum possit oriri.*

Quęstio his verbis cum prolepsi cõtinetur: Quasi enim aliquis data ἐνστάσει opponeret; at si misceatur aquæ, in eam transit: habet enim vnumquodq; Elementum vim quãdam in se, si excelluerit, transmutandi alterum, præsertim quod procliue est & magis simplex. Negat Scotus transmutationem: quia nihil inde factum fuerit aliud præter lutum. Verùm responsio hęc haudquaquam satisfacit. Vsitato Elencho κατὰ μέρος peccat, nec ita accipienda erat ἔνστασις, quasi quoduis terræ genus in aquã trãseat mista aqua; cum id tantum videamus resolui, quod simplex maximè est & concretione in terram ex liquore conuersum per vim ignis seu caloris aut etiam frigoris. Arenulę & cõbustorum cinis in aquã verti non facilè videntur, nisi quatenus vel longa maceratione vel vi ignis compages arenosa soluitur; Cinis autem paulatim irrigatus liquescit.

Imo persuasum est, nullam esse terram, quæ non in aqueam speciem possit resolui, etiamsi quædam non sine artificio adiuuante fundantur. Est enim quibusdam mixtura quædam peculiaris, alijs aliud obstat, tam latenter vt id non facilè obseruaueris; quę impedimenta si remota fuerint arte, rata liquatio est. Exemplis rem declarabimus paulo post. Argumentum Scoti videamus.

Si terra in aquam transit, aut à calore aut à frigore eam verti necesse est: At neutro vertitur: non igitur.

Propositionis connexio roboratur: quia istæ solæ sunt causæ agentes. Assumtum munitur primum de calore prolepsi: prẹditus est facultate rarefaciendi: at ex terra aquam non facit. Ratio ab effectu disparato: nam habet vim consumendi humoris: quod de igneo calore sentit: (Axioma) Quicquid humorem consumit, id terram in aquam non vertit. 2. Quia omnis aqua frigida est: omne aũt per ignem effectum calidum: (Axioma) Cuius effectum omne calidum est, id non potest producere aquam frigidam naturâ.

Quod autem caloris ignei effectum sit calidum, patet axiomate; quia agens naturale agit ad similitudinem passi: patet exemplis cinerum, calcis, sanguinis, excrementorum ex 4. Meteo. c. 10. & vltimo. 3. Ignis terræ adhibitus potius in fumum, aerem, ignẹm seu aerem ignitũ eam vertit quàm in aquam. 4. Omnis aqua non sempiterna fit à frigore: ergo non à calore: (partitio) Quædam sempiternæ sunt aquæ, quædam generabiles; illæ à nulla causa mutantur; hæ tantum à frigore efficiuntur. Ergo nulla a calore. Testimonia sunt pluuiæ, fluuij, fontes, &c. Hæc de calore. De frigore similiter. Terra in aquam per frigus nõ transit: Argumentũ ab effectu.

Quod congregat heterogenea & homogenea, solidatq́; id terram in aquam non vertit: Efficit id frigus: Ergo, &c. Propositio roboratur: nam debebat rarescere, nõ densari, id quod frigoris est. 2. Contrà aqua in lapidem à frigore transit, vt verè scripsit Plato: ergo terra nõ in aquã (arguit ab effectu contrario in subiecto opposito) 3. Aqua non potest verti in terram cum liquescit, sed in aerem transit, & spiritum, &c. Probatur idẽ de succino & alijs lachrymis, Myrrha, Thure, gummi. 4. Frigus terrestria omnia siccat; dum expellit calorem, cum quo humor vnâ euanescit. 4. Meteor. 5. Aqua in antro quodam destillans, vertitur in candidiss. lapidem. Plantæ siccantur frigore & demum recreantur. Idem Aristoteles materiam impressionum aqueatum, aerearum & ignearum non terram aut terrestrem concretionem facit, sed vaporem aqueum, &c. Hactenus Scotus; qui nobis experientiæ latissimum aperuit campum & summo conatu negare tentauit, terram in aquam verti. Sed qua propositione? Scotistica planè & insufficiente causarum enumeratione constante. Omittitur enim humor & motus qui rarefacit, sumitur & Solitaria causa pro coniunctis & Socijs. Iste est Elenchus imperitiæ proprius, ex palma de mundo iudicare, ex virgultis de sylua. Firmamentum propositionis stupidissimi cerebri characterem habet. Solus calor & frigus agunt nempe si eas qualitates compares cum actione humoris & siccitatis; illæ dominium occupant; hæ pati dicuntur. Interim has omnino non agere grande est postulatum. Quomodo enim omne agens, dum agit, pati vicissim possit? supra dixerat Scotus, Humorem aqueum maximam vim habere ad extinguendum ignem: An hoc non est agere? *Contradictio.*

Assumptum mendacissimum est. Aut enim siccus est calor aut humidus; ab vtroque terra vertitur in aquam, prout natura cuiusq; respondet. Igni calido sicco liquescunt molares & alia terrea, ita vt fluant; vnde eas Plato aquas concretas & fusiles vt aurũ & alia metalla vocauit, duas aquæ species constituens; humidam & fusilem. Sed fortè lapides non sunt in terrarum genere? Quid tum? at maximè sunt terrei, pluresque ex terra habent partes. Toto iam liquescente, quid obstiterit quin & partes liquescant? Arena terrea maximè est, at hæc in aquam fusilem redigitur, vnde vitra conficiuntur. Metallici fossores, quicquid lapidum ex terra effodiũnt, illud liquefaciunt vi ignis, etiamsi sit siccissimum. Ita enim agunt in stanni fodinis; primum effossos lapides igni domant, tundunt, separant adulterina quantum possunt per vim ignis primum, postea aquæ, quod reliquum est torrent; tosta colliquant. Vnde metallum sincerum ab excrementis & Scorijs similiter liquescentibus seiungitur & purum consistit. Nihil de fluoribus vocatis dico; qui promtissimè soluuntur: nihil de alijs innumeris potissimum gemmis; imo & cineribus, quorum quidam liquati ingrediuntur vitrorum materiam. Hæc caloris sunt sicci effecta, in liquanda terra & terreis. Calor humidus itidem plurima dissoluit. Tartarum, Misy, Sory, & quicunque ex terreo genere calore sicco concreuerunt, ex quorum censu sunt Sales vt Alexandrinus Gemmeus, Ammoniacus, Vulgaris, Marinus & quiuis ex Muria lixiuio, mari alijsque excoctus: Omnes liquescunt fluuntque prorsus aquei facti per calorem humidum aquæ; aut potius humorem cui coniunctus est calor aut frigus. Nam in his potissima vis est humoris,

Sal Indus, Alumen.

moris, qui ea quæ ſiccitas ignea ex aqua coagulauit, promptè reſoluit. Quædam etiam in aereo humore liqueſcunt; vt vulgaris Sal; plurima vapore, qui itidem aeris ſpecies eſt. Aſſentitur his omnibus Plato in Timæo; vbi de tranſmutatione Elementorum loquitur, cuius teſtimonio cum vſus ſit Scotus, nos quoque frui decet. Ita ergo is inquit: *Terra cum in ignem inciderit, eius acumine diſſoluta fertur in ignem, aerem, aquam: quouſque partes ipſius congreſſæ iterum ſibique inuicem copulatæ terram reficiunt, &c.* Vide & reliqua quæ exponuntur generali Axiomate: quod maiora mutent in ſui naturam minora: frigus ſiccum ſolum ex terra aquam nullam facit, ſed potius contra ex aqua terram. Patet ergo Scoti aſſumptum plurima ex parte falſum eſſe: & in ipſis cauſis efficientibus, nos debere non tantum naturam & diſpoſitionem ad patientia conſiderare, ſed & cauſarum concurſum & varia impedimenta. Ad munimenta aſſumpti facilis reſponſio eſt. Prolepſis Platonem perſtringit, ſed inefficax eſt eius argumentum.

Rarefaciendo enim ignis non ſemper eò peruenit, vt omne humidum reſoluat, atque in aerem & ſibi ſimilem naturam conuertat. Citius enim dilabitur materia liquefacta, quàm vt eò poſſit mutatio fieri. Adde quod rarefacta tam calorem fortem habere nequit; qua occaſione facilè euaneſcit is qui ineſt, ſicut in niue & glacie conſpicitur. In quibuſdam ne liquatio quidem ſequitur; vt in Adamante, Asbeſto, &c. quæ quod aliquid humidi habeant, teſtatur eorum continuitas.

Secundo valdè pueriles requirit iudices, dum iuxta portentum ſuum, hactenus ad nauſeam vſque repetitum (Elenchum nempe κατά τι) de igneo ca-

lore tantum id enunciat: cur non de calore ſimpliciter? Quid ſi calor cæleſtis aut calor humidus ex terra aquam produceret? Axioma de conſumente humorem vi, quatenus conſumit, accipimus: quid autem quatenus reſoluit antè concretum? Nix, glacies, & alia, humida actu non ſunt, ſed potentia; at calore tam igneo quàm humido, Solis & animantium in aquam actu vertuntur; non certe quatenus conſumitur humidum; ſed quatenus contraria cauſa pulſa per rarefactionem & calorem ignis liqueſcunt. Ad rarefactionem autem iſtam quod attinet, diligenter attendenda eſt materia. Salem, alumen, atramenta, & alia, ignis nunquam rarefaciendo in aquam vertat, ſed potius conſtringat, quemadmodum & lateres arctius compinguntur calore; alia verò contrà & mollit & reſoluit. Cauſa potiſsima creditur eſſe in efficiente concretionis. Quæ enim igni concreuerunt ſeu calore, ea igni neutiquam liquefiunt, ſed potius ſi vis maior adhibeatur, comburuntur: contrà, quæ frigore cōſtiterunt, ea causâ contrariâ reſoluuntur, & funduntur. Vtrâque causâ concreta, neutrâ ſunt reſolubilia vt ollæ, lateres, &c. Seruetur autem diſcrimen inter frigus caloremque ſiccum & humidum vt ante dictum eſt. Aſſumpti fides ſecunda varium Scoti ingenium in aiendo negandoque idem manifeſtè arguit. Omnem aquam eſſe ait frigidam: Atqui ſupra ne frigidam quidem eſſe permittebat natura; cum nullam omnino natura, non ei tantum, ſed omnibus Elementis conceſsiſſet qualitatem. Quid ergo retulerit ad naturam aquæ ſiue calida ſit ſiue frigida iuxta ſententiam Scotiſticam? Deinde ſophiſticā homonymiā agnoſcimus in voce, *Frigida*: Philoſophus in Elementorū cōparatione

Contradictio.

aquam

aquam vult esse frigidissimam:atqui comparatè, ad glaciem, niuem &c.potest eadem esse calida.Inde altera cum altera comparata,prout afficitur à circumstante, frigidior est. Nec natura simplicis absolutè considerati mutatur extrinsecis. Tertiò, axioma de effectu ignis in aqua interpretamur de illis in quibus feruor siccus acrius operatus vim impressit valentius; aut quæ aliquid calidæ materiæ percolatione attraxerunt: quod tamen tempore admodum solet diminui,& tanquam omnino alienum aliquãdo euanescere. Vnde aqua cocta, etiam frigidior, postquam ad naturam redijt,solet euadere, vt quæ, dum cito conglaciat,indicat parum sibi esse ad resistendum caloris. In quibus autem non tanta mora caloris operantis fuit,vt in niuosis; illæ quo pacto efficiantur calidæ naturâ? Sic pluuia aqua & fontiũ, quanquam ex calido vapore est, calida tamen ad stabilitatẽ neutiq̃ quanq̃ est momẽtanea quadã qualitate possit esse imbuta. Apparet itaque Axioma intelligendum de effectu absoluto agentis calidi,sicci per se, non de eo qui producitur inter agendũ tanquam primus finis sine quo ad vltimum non perueniretur,qui tamen ab agẽte destitutus relinquitur. Nec de eo quem calor humidus producit. Hic per se in hanc classem non cadit. Sed videntur obstare adducta exempla.Excrementorum,calcis,cinerum & omnium quæ ignis vim perpessa sunt. Hæc enim à calore relicta nihilominus calida existunt.Enimuero fatemur magnam esse eiusmodi diuersitatem pro materiæ synceritate,mistione, raritate alijsque dispositionibus.Alchymistæ spiritus ex rebus varijs producunt,eius subtilitatis vt ignem ferè assequantur;in quibus nos dicimus ignem diutius & fortius esse operatum,& subiectum ferè ad finem vltimum

produxiſſe. In cineribus & excrementis & calce miſtum quid ineſt, tametſi hîc quoque ratio non eſt eadem. Nobis ſermo eſt de aquis quæ à calore non tam ſicco quam humido producuntur citra iſtam tam vehementem tranſmutationem, quæque ad ſimplicitatem & naturam aquæ accedunt propinquius; vnde & fluxiles illæ Platoni vocatæ aquæ in harum cenſu propriè eſſe non poſſunt. Sin citra frigoris calorisque rationem de conſiſtentia aquea eſt pronunciandum: extra dubium tota res eſt. Tertia πίςις prima quidem confeſſione nobis eſt grata: manifeſte enim concedit terram in aliquod Elementum poſſe tranſire, nempe in aërem cuius ſpecies fumus eſt: Et videmus quod fumus viciſſim in terram redeat, vt in caminis, præfurnijs & fumarijs officinarum liquatoriarum, imo in ipſis etiam focis manifeſta fide comprobatur. Euerterit itaque ſuum ipſius de terræ immutabilitate inane admodum & futile commentum diſputator. Verum quanquam hoc veriſſimum eſt; apparet tamen ἀσυλλογιςία, dum excluditur inter effecta diſparata eiuſdem cauſæ id, quod, licet non eâdem penitus ratione, attamen produci poteſt interdum eodem etiam actu; veluti ignis ſimul plura in diuerſis operatur. In fumum vertitur terra nempe per calorem ſiccum, idque ferè ex accidente, dum quod ineſt actu humidum proximè in aërem tranſit, aut cum actione durabiliore prius in aquam & inde in halitum fuerit conuerſa; aut ſi in ignem via eſt ſtatim eo quod idoneũ eſt per attenuatas ſummè partes educto. Id autem non fit per calorem humidum, nec excluditur in aquam conuerſio alia actione diſpoſitioneque. Poteſt enim ita terra eſſe diſpoſita, vt in aquam potius quàm in aërem transmutetur,

tetur, cum ſit procliuis, & pro cauſæ agentis efficacia viq; maiore, interdum admodum celer alterius in alterum tranſitus. Multis itaque imperitiæ admodum puerilis Elenchis rerum veritatem ex hominũ oculis eripere machinatur fruſtra & ſtolidè diſputator. Quod quarto loco dicit, omnem aquam non ſempiternam eſſe à frigore; bellam nobis diſtributionem inducit aquæ, penes adiuncta corruptibilitatis & æternitatis. Non itaque tota aqua eſt in genere Elementari, ſed pars quædam eius. Nam omne Elementum intra ambitum Lunæ comprehenſum ſingulariter corruptibile generabileque eſt viciſſim. Aquarum quædam cæleſtes ſunt, quædam terrenæ (inquit Seneca.) Cæleſtes, non quas Theologi vltra firmamentum ponunt ſed quas nubes procreant vocamus. Terrenæ, quæ circa terræ ſuperficiem inueniuntur ſiue extantes ſiue demerſæ, aut ſtagnant aut fluitant. Omnes ſunt corruptibiles & in perpetua generatione corruptioneque ſecundum partes ſingulares. Quæ ergo ſempiterna? Num mare? Experientia repugnat. Non enim tantum per artem excocta marina corrũpitur, ſed & naturæ cauſis vel in terream naturam concreſcit, vel reſoluitur in halitus. Fontes autem & fluuios perpetuo gigni, cum ſenſu teſtatur philoſophus. Intellecta fortè eſt aqua ſyderea, firmamento, vt vocant impoſita, quæ, qua ſit natura, nondum exploratum habẽt homines. Sed in hoc tractatu de ſublunaribus agitur. Verum enimvero ſit penes autorẽ expoſitio & fides. De fontium, fluuiorum & nubium aqua diſſerit omnem eſſe à frigore. Concedimus hoc κάλλι, quem Elenchum ſexcenties iã obiecimus. At primaria cauſa calor eſt, etiam ruſticis idẽ non ignorantibus. Frigore enim nix, grando, pruina

ina &c fit potius; calidis temporibus pluuia & ros: Materia etiam vapor est calidus; Causa efficiens etiam primaria est calor resoluens; vt abunde coctiones tum artis tum naturæ, vel in nostris corporibus contestantur, id quod notum est omnibus Metallicis, Spagiricis, Coquis, catarrhosis, & si quod aliud est hominum genus quod vim caloris in humido experitur. Sed attendite Scotisticam cõtradictionem. Confessus est terram verti posse in aërem vel ignem per calorem; fatetur & iam de frigore, quod possit aquam progenerare. Cur supra simplicem generationem adeo obstinatè impugnauit? Sed & cur hoc ipso in capite negat terram posse à frigore in aquam verti? Si omnis aqua corruptibilis à frigore fit, & quædam talis etiam ex terra est; cur terram mutari sit impossibile? Nihil autem refert siue terram cogitatam potius, quam vulgo confessam, siue id quod terreæ naturæ est accipias. Sequitur .n. terreum naturã terræ. Fac iam periculum in sale, fac in lapidibus illis, qui ex lixiuio excoquuntur, & alijs permultis; frigore profectò humido vertuntur in aquam. Nec refert si plures causæ ad vnũ effectum concurrant. Natura rerum ita coniunxit. Vnde nec aliter philosophus statuit. Scotus autem si frigus mihi tale vellet obtrudere, quale cogitatur potius quàm est, & inde velit negare effectum naturæ: vesanus merito habebitur nugator & sophistica rum ineptiarum machinator. Confecimus argumẽta de calore: accedamus ad frigus. De hoc quidem non magnopere laborandum nobis censemus. Nã ad reuictionem sufficit vna transmutationis causa. Attamen & hîc quid veri subsit, sine fastidio contemplemur. Frigoris definitio ab effectu sumpta colliquationi siccorum nihil obstat. Siquidem eorum

contradict.

rum

rum causa fuit igneus feruor, aut, quemadmodum zucharum Candi, & alumen fieri per artem solent, moderatus calor: ita tamen vt cuiusque consentit materia & concretio, per viscida vel friabilia. Ille enim effectus per se frigoris & potissimum sicci est; hic accidentarius ex adiumento humidi. Et cum etiam in humore siue is calidus siue frigidus sit, coagulant quædam, id fit non vna & solitaria de causa sed ob plurium concursum. Esto itaque in his iudicium circumspectum. Nos quædam duntaxat resolui posse frigore aëreo vel aqueo videmus. Et hac ipsa instantia negamus Scotisticam assertionem esse καθόλυ. Frigus præterea ex aqua lapidem potius quàm ex terra aquam facere: id egregium admodũ est ad oppugnandam iterum Scoti tot modis caducam opinionem, quæ negat Elementorum generationem, & postea tantum aquæ aërique eandem tribuit; hîc & terræ sicut paulo ante igni. Esto enim, frigusq; ex aqua lapidem faciat, an non contrariarũ causarum cõtraria effecta? Frigori opponitur calor; concretioni ex aqua in lapidem, resolutio lapidis in aquam. Lapis ergo à calore iterum in aquã trãsibit. In lapide autem plurima pars terrea est, ex terra constans; id ergo toto mutato simul mutabitur? si quædam terra potest in aquam mutari; cur id tanto cum studio negatur? Nulla est ea excusatio, Platonem id dixisse: Scotus testatus est verè eũ scripsisse; experientia idem comprobauit. Sed & in hoc obseruandum est illud χαλὰ μέρος. Non enim omne frigus ex aqua facit lapidem, sed tantum in disposita materia exiccans, & id quod excessu gelationem haud facile solubilem inducit. Nec is effectus solius est frigoris: sed & caloris est sicci, vt in varijs cõspicimus, in quib. incrassatur partibus tenuioribus *contradict.*

diffi-

dissipatis humor. De Succino, Myrrha, thure & alijs lachrymis non est quod valde laboret Scotus: materia earum viscosa est. Cogitur ergo, non tam frigore quàm calore, exiccante quod reliquum est humiditatis, seu potius resoluente & ex accidente siccante.

Testimonio est, quod in calidissimis regionibus; vnde ad nos pretiosissimi liquores concreti vt Benzoinum, Bezoâ lapis, Gum. Arab. Ammoniacũ, opium & alia plurima deferuntur: & apud nos æstiuo tempore potius concrescunt, quàm cum frigus est. Id nõ ignorant ij qui, quę viscida sunt, apricant & neutiquam frigori exponunt. Et quid diceres Scote, si istud totum de lachrymis constanter negaremus? Nulla enim videtur à frigore effici, licet frigus habeat inspissandi facultatem per congelationem.

Requiris experientiam? prompta est. Nihil enim tale gignitur hyeme. In saltibus piniferis, ex quibus colligitur pix, resina &c hyemis tempore nihil inuenitur. Imo si extillauerit fortè aliquid, id liquidum est & inconcretum. Debebat autem eo magis concrescere quo maius est frigus. Historia succini iucunda est; sed à scopo Scoti álienissima. In mari concrescit succinum, cum spuma viscosa scopulis illisa adhęrescit. Eam dico calore maris atque aëris ambientis indurari non frigore, nisi ex accidente, cum à circumstante coercitus calor fortius absumit digeritque humorem. Atqui inquis, liquescit calore: quid tum inquam? Excessu caloris liquescit & funditur: paulatim autem agente post exhalationem resoluti humoris constipatur. Idem accidit in Colophonia, nostra pice, resina cerasi, & aliarum plurium arborum. Vnde intelli-

gimus

gimus violenti feruoris aliam rationem esse, quàm moderati caloris: Et hi si inter se tantum conferantur; alter poterat dici frigidus; alter calidus: at absolutè in Elementorum collatione neutiquam. Adde & hoc, humoris vim non parum conferre ad cócretionem. Liquatum plumbum etsi in feruentissimam infuderis aquam, tamen concrescit. Idem faciunt reliqua metalla. Virtus itaq; terminandi etiá in humore est.

Atqui pluribus causis concurrentibus ad eundem effectum; non ita simpliciter vni erat is asscribendus. Placet etiam exemplum de concretione aquæ dulcis in antro quodam Scotiæ: sed eiusmodi lapides plærunque sunt friabiles; interdum etiam durissimi, si viscosa fuit destillans materia. Et nos possemus sexcenta, quæ nos his oculis vidimus, & ex alijs, experientia in fodinis Metallicis edoctis cognouimus enumerare. Intra nos ipsos eiusmodi lapides concrescunt; quos si triueris, quid aliud sunt quàm terreus puluis? Excutiantur thermę, acidulæ, lacus Morani, Itali, & alij in quibus eiusmodi Metamorphoses sunt frequentissimæ: mirabor si quid dubitaueris de aquæ in terram cõuersione; et viciſſim. Sed exponitur causa quæ facit, vt frigus ex aqua gignat lapidem: *Frigus terram*, inquit, *lutum terrestriaque omnia deſiccat: Calorem expellit, quo recedente, humor in quo ille consistit, vná euanescit*. Citatur huius sententiæ firmandæ gratia, Aristotelea in 4. Meteororum assertio.

Pertinent hæc quidem eò, vt testetur autor frigus ex terra aquã nõ producere, quia nempe cõtrariũ isti in terra & terreis prętat effectũ: sed addam' aliquantulum explicationis. De frigore sicco cõcedimus

dimus id promptè: at non de humido; ſed & nec per ſe verùm ex accidente, vt manifeſte iſto in loco philoſophus ſcriptum reliquit, omnem ξήρανσιν calori acceptam referens: ξηραίνεται ἅπαντα ἢ θερμαινόμενα ἢ ψυχόμενα, καὶ πάντα θερμῷ ἢ τῷ ἐντὸς ἢ τῷ ἐκτὸς συνεξατμίζοντι τὸ ὑγρὸν &c. Non autem oportet accipere quaſi ſentiat philoſophus omnem in humido calorẽ exiſtere; aut ſemper fieri exiccationem hanc, cũ frigus calorem hunc expugnauerit; ita vt contra humectatio aut διάχυσις redeunte calore, vt in niue & glacie ſolet fieri, contingat. Sed tantum in illis quæ exiccantur hoc locum habet. Illa enim oportet humida eſſe, ſiue ſint aqua, ſiue ſpecies eius; & humiditatem vel ἐπακτὸν habeant, vel συμφυῆ. Quæ ſicca ſunt, aut quæ omnino exiccari per naturam non poſſunt, quin non alterentur, ſed tranſmutentur omnino, de his nullus hic eſt ſermo. Quod dicitur fieri concretio à frigore in terreis, humore vna cum calore euaneſcente; valdè circumſpectè intelligatur. Nam conglaciare quædam videmus citra iſtam ἀποπνοὴν; in quibus ſi humor euanuiſſet, non reuocaretur per calorem. Deinde nõ omnis humor euaneſcit, ſed is tantum qui abundantia ſua διάχυσιν contrariam πήξει efficiebat. Oportet enim tantum ſupereſſe, quantum continuitati ſufficit. In quibuſdam autem etiam ſoliditas & durities ſequitur, in quibuſdam non. Itaque natura materiæ cuiuſq; diligenter circumſpicienda. Sed de his nihil attinet plura addere. Illud monemus dum diſputator de terreis loquitur, nobis id valde acceptum eſſe ideo, ne poſſit confugere ad ſimpliciſſimam nullique fortè hominum viſam terram. Sic quod de lapide ex aquea deſtillatione concreſcente ſcribit, id nobis tranſmutationis Elemẽtaris argumentum inſigne eſt.

est. Nam ille lapis proculdubio non amplius est aqua. Discessit igitur in diuersam naturam per transmutationem. Et sic ex aqua poterit fieri terra seu terreum corpus. Cur autem non contra? Plantas frigore siccari non p se sed κατὰ συμβεβηκὸς, vt ait philosophus, scimus. Sed hic quoq; effectus non obstat, quin ex terra possit fieri aqua. Vellemus etiã distingui inter excessum frigoris siue humidi, siue sicci; & naturalem constitutionem, & alia quæ materiæ quoque ratione consideranda veniunt; quemadmodum & illud quod dicitur: FRIGVS terrea siccat omnia. Est enim varia singularium natura: variæ concurrunt causæ adiunctaque, vt tam generalia axiomata haud facilè videantur admittere omnia. Quod porro philosophus aquearum impressionũ & causam generationis fontium, pluuiæ & aliorum non ponit terram, sed vaporem, cum tamen aliquã causam etiam terram ponere oporteret, si ex terra fieret aqua: dicimus hoc argumentum nihil habere roboris, fallereque Elencho κατὰ μέρος. Nam etsi neque fons neque pluuia educatur ex terrea resolutione, tamen inde nulla necessitas cogit transmutationem terræ in aliquam aliam aquæ speciem, vt muriam, marinam aquam aut etiam qualem Thermæ & acidulæ profundunt & quas fusiles aquas Plato facit, omnino negare. Limpidissimæ purissimæque promanãt aquæ ferinæ, & aliæ medicatæ plures: at postea in lapidem concrescunt: quod ipsum de fonte quodam & lacu intra viscera lapidescente frequẽter memorari solet. Vrinæ quoque sæpe maximè pellucidę, & subtiles lapideum quid seponunt adeo vt Lyncis lotium Lyncurio dicatur origo esse. Cur non sit credendum istam aquam primum ex terrea resolutione prodisse, cum in terreum quid redeat? *Fluuius Ciconum.*

Vaporem philosophus materiam fontium pluuiæque facit; nempe causam adducens manifestissimam & maxime omnium apparentem. Interim alteram neutiquam tollit omnino. Sed hæc de hoc Syllogismo. patuit malè Scotum à particularibus quibusdam effectis de toto pronunciare, & causas potissimas omittere. Vnde inanis & futilis euadit tota ratiocinatio. Additur: *quod & ipsa rerum experientia confirmat*. Ecquid Scote? An quòd vapor aqueus sit materia impressionũ aquearum, aërearum & ignitarum, non terra aut terrestris concretio? an quòd terra in aquam omnino non vertatur? Vtrumque expugnatur, euertiturq́; solidè ipso eodem argumento. Et prius præter falsitatem ex parte, manifestam facit Philosopho iniuriam. Aqueum vaporem is statuit impressionum humidarum, quas, aquea, vocas, causam: at ignearum aerearumq́; nõ vaporem aqueum, sed fumum & exhalationem calidam siccam, quod tam manifestum est, vt tu ipse cum rubore & inconsideratè scripti pœnitentia id fateri procul dubio coactus fueris. Falsum itaque dixisti, hoc ipsum comprobari experientia, cùm nihil minus cum rebus conueniat. Iniuria affecisti Aristotelem, id ei asscribendo quod ne per febrim quidem somniauit. posterius experientiæ singularibus exemplis dudum est conuictum; nec tu tantum vales experiundo, vt vel vnicum expromere ausus fueris. Adhuc de secunda transmutatione, terræ in aquam. Sed est ne tertia, qua ex aqua reciprocus fit in terram transitus? Negat Scotus iisdẽ argumentis, quibus superior mutatio est impugnata. At inquam ex Platone paulò antè id confirmauerat; addita obtestatione; Platonem verè scripsisse, aquam in lapidem & terram à frigore con-

re concreſcentem mutari. O Vertumnum poſt tam paucas lineas ſibi non conſtantem. Quid autem ſibi voluit iſta aquæ in caſtello Glanislaius λίθωσις? An non iſta terreſtris quædam concretio fuit? Sed quo argumento vtitur? A pari nempe.

Sic libro 13. Strabo de Thermis Hierapoleos quod facilime concrescant in tophum. Et nostri homines etiam rustici experiuntur idem.

Terra non vertitur in aquam : Ergo nec aqua in terram.

Ruit antecedens ex prædictis impulſum & euerſum. Quicquid enim ex aqua in terram vel terreum quid conuertitur, id cauſa contraria poteſt in aquam redire. Quæ ſiccitas coëgit, ea reſoluuntur humore: vt ſales, lachrymæ plures, & alia, quæ calore ſicco induruerunt, frigore ad priorem naturam redeunt, ſed non ſine humore. Quæ frigus conſiſtere fecit, ea ſoluit calor & dilatat: Et ſic in omnibus ferè naturæ operibus, exceptis his tantum, quæ vtroq;, calore nempe & frigore, ſunt coacta. Mutuũ itaque inter hæc eſt iter; et fallit Scotus Elencho petitionis principij. Profertur aliud:

Aut calore aut frigore fit tranſmutatio.

Neutro fit modo: ergo omnino non fit.

Propoſitio eodem morbo nempe iniquæ partitionis cauſarum vt ſuperior parologiſmus decumbit. Cur enim omittitur ſiccitas? Cur ἀκινησία, quibus concretio ſeu condenſatio quodammodo aſſeribitur? Aſſumptum vtraque parte eſt falſum.

Frigus quidem κατὰ συμβεβηκὸς ξηράνσεως καὶ πήξεως cauſa eſt : calor per ſe; dum quod ineſt humidum ſuperfluum diſſipat educitque per diuaporationem; quo facto quod reliquum eſt, partes glutinat & cogit. Et ſic humidum ſicco addit terminum in miſtione & concretione.

Aa 2 Cur

Cur ergo negat hoc Scotus, quod in omnibus resinis, pice, bitumine, lapidibus excoctis, calculis renū ex assato sanguine, humoribus, & infinitis alijs liquidissimè constat? Calore vertitur in fumum & aërem inquit. Quid tum inquam? diuersæ sunt partes in concretili humido. Quod tenue est, discedit rarescitque facilè: at quod aptum est cogi & densari, in lapidem terramque transit, quod excoctoribus lixiuiorum & salium est notissimum. Deinde quomodo in fumū potest abire aqua, cum fumus sit exhalatio calida sicca; aqua vero frigida humida? Coniunctum quidem aliquid vapidi fumo, qui ex terra non ex aqua producitur, potest esse; vnde philosophus fumum vaporemq; aëris materiam constituit cum dicit: ἔστι δ' οὔτε τὸ ὑγρὸν ἄνευ τοῦ ξηροῦ, οὔτε τὸ ξηρὸν ἄνευ τοῦ ὑγροῦ. Et paulo post: ἡ ἀτμὶς, ὑγρὸν καὶ ψυχρὸν· εὐόριστον μὲν γὰρ ὡς ὑγρὸν, διὰ δὲ τὸ ὕδατος εἶναι, ψυχρὸν τῇ οἰκείᾳ φύσει· ὥσπερ ὕδωρ μὴ θερμανθὲν· ὁ δὲ καπνὸς, θερμὸν καὶ ξηρὸν· ὥστε καθάπερ ἐκ συμβόλων συνίσταται ὁ ἀὴρ ὑγρὸς καὶ θερμὸς &c. Sed aqua in fumum quomodo verti possit nō apparet. Quod autem in vaporem transit, causa est vis caloris agentis & motus in respondente materia, & ad dilatandum apta. Contrarias ob causas ἀκινησίαν nimirum, siccitatem, frigus, quin & calorem potissimum, qua parte consentit materia, siue omnes concurrant causæ siue aliquę tantum, consistere & in terram seu terream concretionem abire solet. Quā itaq; explicate dictum est ab Antagonista, *Frigore in glaciē & lapidem mutari aquam*, vt inde consequēs sit in terram neutiquam, eam verti? Glaciei quidem violenta effectio est à frigore excedente: at sunt qui putent vlteriore operatione etiam lapidē fieri; vnde Græcorum κρύσταλλος, silici pellucido & glaciei com-

communeinuenitur nomen. Quod si lapis fit per istam vim,cur non terra, cum lapis plurimum terreæ obtineat naturæ; cum Scotus terream concretionem non multum à terra distinguat, nec id iure facere possit?Monemus autem de glacie;non videri hanc concretionem eo modo fieri quẽ philosophus in 4.Meteo.5.loco nempe à Scoto producto,describit. Ibi enim per se causa tantum calor nominatur; frigus ex accidente: præsertim cum,vt inquit,sit τῶν παθητικῶν μᾶλλον. Quomodo autem calor per se potest esse causa glaciei aut niuis? De concretis igitur illis ibi sermo est,quæ sunt σύνθετα; at non de frigoris excessu, quæ est glacies. Hæc disputauit Scotus. Concluditur iam ex tam præclaris principijs; non omnia Elementa in se vicissitudine quadam verti, sed tantum aquam & aërem, idque non obscurè. *contradict.* Admonemus hic disputatorẽ vt recordetur quod initio huius tractationis policitus sit;nempe ostensurum se viuis argumentis nullam esse generationẽ simplicẽ,quia nec in simplicibus nec mistis esset.At qui hîc aliqua statuitur; quam turpi cõtradictione? At inquiet,discretè id enunciatum est, nempe aut non esse aut non Aristotelicè esse, vnita materia & forma.Verum inquam hîc quoque cum ex aqua fit aër,talis est vnio seu generatio ex materiæ & formæ coitu,qualem simplicem vocauit philosophus. Nã illa altera putidum omnino figmentum est, nec dignum homine physico, cum ne Theologi quidem ferre possint aut debeant, ex separata materia & forma ab æterna existentibus aliquid prodire.postea si quædam Elementa dicuntur transmutabilia, seu quod idem est generabilia & corruptibilia; cur nõ, cum ęternis opponantur,de toto genere enũciatur idem?Aërem à frigore condensatum in aqua[illegible]

transire: philosophus de aëre aliter, de vapore quodammodo loquitur similiter. Si enim excessus frigoris est, pruina, nix, glacies; fit, si mediocre, nempe pro comparatione ad vaporis calorem, causis alijs concurrẽtibus, nec quoquam obstãte, abit in aquã. Interim aër non simpliciter vertitur frigore, nisi quis velit hybernum, cum serenus est, totum in aquam concrescere. Miror autem cur Aristotelicè locuturus, frigus condensationi anteponat tanquam effecto causam, cum philosophus contra, sicut rarefactionem caloris, ita condensationem frigoris faciat causam, nisi ab Aristotelea sententia, quã nos supra declarauimus, discesserit. De aquę mutatione superfluò diximus. Ignem in reliqua Elementa mutari cur negas Scote? Asserueras suprà, terram in fumum, aërem, aut aërem ignitum mutari; quid si hoc ipsum quod mutatum est, rediret in terram, vt in fumo videmus? Si in aqua maxima vis est ignis restinguendi; et in nihilum nihil potest transire: restinctus, hoc est corruptus(nisi quid aliud est restingui quàm corrumpi) in aliquid sane mutabitur. Si & te confessore maximè cognatus est aëri ignis, cur non possit alter in alterius secedere naturam? De terra & aqua nihil demonstrasti, sed turpibus Elenchis veritati vim fecisti, adeo vt ne vulgus quidem istud ignoret. De aëre autem & aqua cum dicis hæc sola Elementa esse transmutabilia, cur non in alia quoque sed in se tantum mutuo abeant? propter symbolum dices: at inquam summam cognationem cum igni habet aër: in hunc ergo mutabitur promptius. Et quod symbolum est aquæ cum aëre, idem est ipsi cum terra. Cur hæc non mutantur mutuo? Equidem tam mirabilem physicẽ assequi satis non possum. Vale illud tuum nos amplecti-

plectimur rectius, & sophistica ista τερατίσματα ex toto naturæ campo extirpare nunquam cessabimus; contrà verò experientiam ratione munitam, strenuè defendemus. Ecce autem bellum physicum, de physicæ artis subiecto valdè populariter imo brutè differentem. Disciplina naturalis, inquit eorum est quæ sub sensum cadunt: at inquam Scote; ita non erit disciplina aut scientia quæ est rerum homogenearum per generalissimum, subalterna, specialissima, comprehensio & ordinatio: est tantum mentis; omnia præcepta habet καθ' ὅλου, κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, si verè sentit princeps vester Ramus. Quæ autem sensus sunt, ea sunt singularia, quorum nulla est scientia; talia etiam brutis quoq; nempe omnibus animalibus sensu definitis pariter sunt obuia. An vespę & culices etiam sunt physici? Singularia quidem neutiquam physicam scientiam constituunt, sed eius sunt vltima, & exempla quibus pręcepta illustrantur. Itaque philosophus motu & statu definit naturam & considerationem eius, sensu neutiquā: cum perpetua scientia ipsa sit, singularia vero materiata semper mutabilia præter cælum.

Locus quem annotasti ad marginem, axioma illud non habet; de causis agit, quatenus ad physicam pertinent, quatenus nempe cum motu considerantur, ita vt motum subeuntes moueant ex ratione efficientis; in alijs semper cum materia & motu. Ita loquitur in 6. Metaph. 1.

Naturalis scientia circa talem substantiam est, in qua principium est motus & status qui in ea est. Ibidem intellectui speculatiuo asscribit eandem. *quod sit speculatiua circa tale Ens, quod possibile moueri est, & circa substantiam secundum rationem vtplurimum inseparabilem solum.* Item: *naturalis non est sine materia &c.* 11. Metaph. summa 3. c. 1. & summa 2. c. 1.

Aa 4 Vide

Vide ibi plura vt & alibi. At inquies illa materia, primæque substantię sensibiles sunt; quid tum, inquam? at earum non est physica scientia quatenus sunt sensibiles. Itaq; nō sensibile physicæ subiectum est, sed mobile in materia. Verum hæc aliena sunt, & præter rem à Scoto cumulata.

Conclusuri caput hoc testamur Scotum adeo nihil obtinere contra Aristotelem, vt etiam plurium sophismatum mendaciorumq; reus sit peragendus.

QVAESTIO VIII.

Ex capite nono.

De modo quo putat Aristoteles ex se mutuo fieri Elementa facili difficilive transmutatione.

ELementa non omnia transmutari mutuò quibus argumentis negatum sit, præcedente capite deprehendimus. Ad eorum gregem accedunt, quæ hoc capite pertractātur. Videtur enim hoc agere Scotus, vt negato transmutationis modo seu forma negetur ipsa transmutatio: quanquam id operam dat, vt omnino abrogata Aristotelica veritate sua sophismata inania & fraudulenta portēta scholis physicis obtrudat. Scripserat Philosophus, elementorum quædam facilè, quędam difficulter transmutari: illud eorum est, quę altera qualitate conueniunt, atq; ita symbolū transitus habent: hoc eorum quorum vtraq; qualitas aduersatur, atq; difficilem omnino transmutationem exhibet. Scotus oppugnat primùm contrarij in contrarium mutationem: postea quod de symbolicis dicitur, id ait potius verum de contrarijs omnino. Tertio idipsum falsum esse ostendere annititur. Quarto mutationem fieri vi qualitatum negat, tum

tum quod vnius Elementi vis alterius vincere qualitatem non poſſit, tum quod iſtæ ſint effectiones ſyderum, motus & immobilitatis: quibus abſolutis in Ariſtotelem mirè debacchatur & veterem Coccyſmum de inanitate doctrinæ Ariſtoteleæ recantat, crambenq́; miſerum occiſurus magiſtrum reponit. Omnia facit miro ordine & tautologia, in quibus refutandis non erimus valde prolixi. Fit Thema Ariſtoteleum: Omnia Elementa oriuntur ex omnibus. Argumentum huius: quia contraria omnia: Explicatur hoc, quod ſint contraria vel vna vel ambabus qualitatibus: Vnde accidit vt quædam propè ſeu facilè, quædam tandem ſeu difficilè in ſe mutuò vertantur. Si ſyllogiſmum conſtituas; propoſitio erit: Contraria fiunt ex ſe mutuò; vel omnia fiunt ex contrarijs; quæ ad vnum axioma redeunt. Scotus propoſitioni ſe opponit ita:

Si contraria ex contrarijs fiunt, vel contrarium vnum erit alteri materia, vel ſubiectum, poſt vnũ contrarium abolitum, excipiet alterum.

Prius omnino falſum eſt, poſterius particulare eſt: Contraria ergo ex contrarijs κατὰ τὶ *tantum, &* κατὰ μέρος *fiunt.*

De aſſumpto dicit, quod priore parte docuerit pluribus, eius aſſertionem impoſſibilem eſſe. Contrarium enim ex contrario vt ex materia non fit. De poſteriore ait, ſe conuiciſſe, quod non omnium Elementorum ſit tranſmutatio; ſed tantum aeris & aquæ: ignis in nullum; terræ non in aquam nec viciſſim aquæ in terram.

Hæc prima congreſſio primusq́; eſt conflictus; in quo quod ad priorem aſſumpti partem attinet, facile ei aſſentimur. Nam contrarium vt contrarium neutiquam fit contrario materia. Non enim vt loquitur philoſophus contrarietates ipſæ in ſe ſolent 2. *De ortu* 1. 1. *De ortu* 7.

transmutari, cum calor frigori & hoc calori materia non sit, sed id quod vtrique subijcitur. Vnde fit vt, quod alibi scribit, generatio eo pacto in cōtrarium fit, quando patiens mutatur in id, quod agendi vim obtinet, hoc est, in id quod contrarietatem habet; cum dupliciter accipiatur contrarium, aut quod contrarietas ipsa est, vt calor frigus, aut quod contrarietatem habet, vt ignis aqua, materia ipsa hîc simul comprehensa & qualitates aduersas sustinente. De his itaq; iam non contendimus. De altera parte, quod asseuerat non in omnib. Elementis talem esse transitum; id falsum esse & temerè prædicatum, nos antecedente capite reuicimus, quo remittimus lectorem, & simul admonemus contradictionis quæ in hoc ipso capite ponitur de restinctione ignis per vim aquæ, quod attingemus etiam suo loco. Illud etiam non prætereatur quod supra c. 3. visus est asserere; Elementa non fieri èx materia & forma, sed ex se mutuis, quæ, si seriò scripsit Antagonista, his ita consentiunt vt album nigro, lux tenebris. Est autem insufficiens & dubiam mentem arguens repetita distributio. Voluit superius tantum aeris & aquæ mutuam generationem esse. Exclusit ergo omnem aliã, nempe aquæ in ignem, aeris & terræ in eundem, terræ in aerem & viciſsim; non tantum ignis in nullum aliud, aut aquę nō in terrã & contra, mutationem, &c. Aut igitur dubitat, aut ob inertiam reliqua addere noluit. Sed hæc mittimus. Addimus illud, ꝙ dum hęc scribit partem glorię in initio libri sibi arrogatæ perdat magnam. Policitus enim erat ea argumenta, quæ à nullo essent hactenus scripta & prodita. Atqui inuenimus Petrum Ramum longe ante in eadem hac causa Aristot. aduersatum esse, cuius argumenta non grauabimur retractare.

Contradict.

Scoti gloria inanis.

Locus

Locus in ſcholis phyſicis eſt lib.1. cap.5. ex quo breuitati ſtudentes, quatuor potiſſimum argumenta, quibus Theſis (*omnia fiunt ex contrarijs.*) impugnatur, eruimus. Primum eſt, contraria ex contrarijs ideo non fieri; quia ex homogeneis vel ſynonymis teſte philoſopho alibi fiant: quia eodem dicente contraria non ſunt ex ſe ipſis.3. quia in 5. Metaph. 24. dicitur poſt fieri, non ex.4. quia beſtia non fit ex homine etſi ſit aduerſa. Hæc cum affert, cõuitijs pro more non parcit; & tam Ariſtoteli quàm Platoni, quem ferè pro Deo habet, quique idem in libro de ſummo bono ſtatuit, parem affert iniuriam. Sed facilè patet ſophiſma Rami σοφιστικωτάτου· dum putat contraria ex contrarijs fieri, non qua ſubiectum habens contrarietatem mutatur, ſed qua alterum fit alteri materia, quaſi illud ex, vt in Logica, ſemper materiam ſignet. Hic Elenchus homonymiæ eſt ſophiſtarum maximè proprius. Deinde ſi contrarium contrario eſt homogeneum, vt aſſerit philoſophus (πέφυκε ὁμογενὲς ὑπὸ τοῦ ὁμογενοῦς πάσχειν.) quo pacto pro diſſentaneis ponuntur quæ conſentiunt, vt genera & ſpecies? Contraria, vt talia, diſſentiunt quidem, quod philoſopho eſt τῷ εἴδει ἀνόμοιον εἶναι: at vt eandem habent materiam, primam nempe, conſentiunt. Exempli gratia: Elementum patitur ab Elemento ob materiæ Elementaris conuenientiam & qualitatum agentium diſſenſionem: quæ materia non conueniunt, ea per ſe, niſi interuentu ſimilis, actionem paſſionemque mutuam non ſuſtinent. Notanda autem eſt diſcrepantia inter primam & ſecundam materiam. Materia ignis ſecunda patitur ab aqua, non quia eſt eadem ſingulariter, ſed quia genere conuenit: vt ita etſi ſecunda materia ignis intereat, maneat tamen materia

1. De ort. 7.

Elementi, quę transmutationem in contrarium sustinet: sed de his alibi. Alterum Rami argumentum ex 1. phys. 5. sumitur, vbi de principijs disputans philosophus ait, ideo ea non esse ex se mutuò, quia sint contraria. Ita videtur loqui & in 1. phys. 7. vbi, fieri non posse, inquit, vt mutuò patiantur contraria. Vtrobiq; de contrarijs vt contraria loquitur, non vt in materia sunt passibili & genere eadem. Principia illi sunt materia formaq; designata per contrarietates; & priuatio seu absentia in materiam successuræ formæ. Horum nullum alterum ex altero fit; sed semper materia contrarijs subiecta. Requirimus itaq; in Ramo candorem, cumq; odiosissimi Sophistæ carbone notamus. Tertium argumentum offendit καλὰ τῷ Elencho turpissimo. Quartum aperit Rami φαυλαστιᾶδες & imperitiam. In generatione hominis certum est primum inesse vitam stirpium (quod dicit philosophus actus secundi ratione) inde bestiarum; vltimò perfectionem finemque imponere ἐντελέχειαν ἀνθρωπίνην. Quid hîc obstat, quin ex bestia dicatur fieri homo; neq; ex qualibet materia, vt ex boum visceribus enascitur; sed ex humana. Hæc enim est synonyma & homogenea. Sed quomodo ex homine fit bestia? Ioco dicemus perquam facilè, si ex Ramo fiat canis, rationis vsu amisso. Attamen repentè sublato principio primario desinit & homo esse & animal & stirps: vnde cognoscimus non eandem rationē esse ortus & interitus aut mutationis ex imperfecto ad perfectum, & ex perfecto ad imperfectum. Porro bestia vt talis, hominis materia neutiquam fit, idq; in nullo contrariorum locum habet, sed qua vtraq; materia homogenea est. Vellem legisset Ramus ea quæ de animalium ex terra generatione tum Plato tum Aristoteles scripserunt,

3. De gener. anim. 17.

runt,& attendisset: non adeo absurdum (vt & Cęsalpinus disputat) hoc credidisset, si ex semine fiat vermis vel tale quid, quod postea naturæ opere pro ficiat in hominē. Videmus vicissim ex homine prodire bestias, sed non vt homo quemadmodum diximus. Hæc de Scoti & Rami contra Axioma Aristoteleum, quo contraria ex contrarijs dicuntur fieri, ineptijs. Quæ sequuntur, παρασκευὴν quandam sed ineptam & puerilem habent, quà nihil, nisi quod sępe dictū est, repetitur. Illud ampullosum est, quod tam sæpè prædicat à se copiose demonstratum esse, omnia ex omnibus oriri nō posse, qua demonstratione nihil vanius & imperitius poterat produci. Itaq; arrogātiam hominis miseramur potius quàm confutamus operosè. Res ipsa primum in hoc axiomate exagitando versatur: Quæ inter se communione quadam alterius qualitatis cognata sunt, ea celerius, quæ non sunt, tardius, inter se commutantur. Ratio: quia vnum facilius quàm duo vertitur, (philosophus ἢ πολλά:) Huic ait Scotus aduersari rationem & experientiam. probat ita:

Hæc quoque Aristotelis esse putantur, de quorum fide nos alibi.

Quæ æquè celeriter transmutantur, in illis celerioris aut tardioris transitus ratio est nulla:

Symbolum habentia & non habentia contraria æque celeriter transmutantur.

Nulla itaque est in his ratio celerioris aut tardioris transitus.

Assumptum patet: quia duo cōtraria ad duo eandem vim habent, quam vnum ad vnum; cum vnum tantū vni sit contrarium, & contraria, qua ex parte contraria sunt, pari vi & facultate prædita sint. Explicantur hæc dilucidius argumento à pari.

Si vnum vni oppositum facit celeriorem mutationem; ergo & cum duo duobus.

Nam

Nam qua ratione vnum aduersatur vni; eadem duo duob. Hæc prima Scoti ματαιολεσχία est.

Negamus autem illi assumptum: & probationem dicimus esse ἀπροσδιόνυσον. Nam symbolum habentium & planè contrariorum nequit esse ratio eadem: quod tamen probare debuerat munimentum, quod sic euertimus: vbi par est contrarietatis ratio, ibi locum habet id quod assumpti πίστις dicit, nempe æquè inter se agere plura contraria opposita & commissa pluribus ac vnum vni. Inter habentia autem symbolum & non habentia non est eadem ratio contrarietatis: ergo in ijs non locum habet id quod assumpti prosyllogismus garrit. Et ex consequente noster Scotus vitreo ariete ferreum murum turpiter oppugnauit. Propugnaculum assumptionis nostræ hoc est: quod symbolum habentia altera parte claudicent & consentiant, altera aduersentur hostiliter: at contraria mera & nuda vtrisque partibus sibi obsistant mutuò. Iudicent de his quibus experientia fidem fecit, vtra infestius & diutius pugnent, & vtra citius reconcilientur. Nobis primum hoc persuasum est, tres hostes facilius expugnare vnũ, quam cum vnus vni pugnat æqualis virtutis robore. In symbolicis duæ qualitates statim consentiunt & adiuuant vim tertię. Quarta oppressa cogitur promptè cedere. Postea experientia idem monet. Nam siccum & aridum lignum, etsi frigidum sit, ab igni tamen longè promptius expugnatur, quam frigidum humidum. Docuerunt nos etiam σβέσεις in nubibus & candentium inflammatorumque omnium, cum in aquam inijciuntur, strepitus. Hector diutius pugnat cum Achille quàm Diomedes cum Glauco. Et hæc prima responsio est, quod Scotus diuisionis coniungendorum Elencho

cho peccet; & ita loquitur de ſymbolicis, ac ſi nudæ & ſeparatæ eſſent hoſtiles à non hoſtilibus.

Secundo loco non prætèrimus materiam ſine qua nec agunt nec patiuntur qualitates contrariæ. Notum autem eſt eam materiam ad tranſmutationem longe aptiorem eſſe, quæ vna qualitate iam cum altera conuenit, vt ſicca ad ſiccam amicius ſe habet quam ſicca ad humidam. An non igitur facilius tranſmutabitur à calido ſicco id quod frigidum ſiccum eſt, quàm quod frigidum humidum? ipſa contraria vt talia in ſe mutuò non mutantur; ſed ſubiectum ſuſtinet mutationem. Illud autem longè munitius eſt à vi contrarij, quod duplici vi defenditur, quàm quod vna tantum. Huc ergo mentem aduertere, non in contrarietatibus morari debebat diſputator. Hæc de æquali pugna, quæ nos tantopere nolumus vrgere, quanto poteramus opere. Nam ſtatim labefactantur ab ipſo Scoto: Sic enim inquit: *At etiam tanto celerior videtur fieri mutatio, quanto actio & paſſio atque adeo tota repugnantia maior exiſtet. Et eſt maior quando duo contraria duobus conferuntur, quàm ſi vnum contrarium cum vno conferatur.* *Contradict.*

His ineptijs euertit primum id, quod antea de æqualitate diſputauerat, vt ſciamus eum veluti Vertumnus quidam, in varias caſq; contrarias formas poſſe diſputando ſe vertere & nihil non probare. Ecquid Scote ſentis? Aequalem ne inde oportebat ſequi pugnam an celeriorem? nam eadem ratione vtrumq; non competit. Deinde quàm ridiculus eſt cum laruato ſuo axiomate, quo dicit ibi celeriorem eſſe mutationem vbi maior *repugnantia*: Cita mutatio non requirit magnam repugnantiam, vt ſtipulæ aridæ ab igni facilè abſumuntur.

Non

Non enim est magna repugnantia; at si eædem fuerint humidæ, ignisq́; proportione respondens, maior sanè repugnãtia est & tardior trãsitus. O turpissimarum igitur absurditatum architectum absurdissimum, qui, cum contrarium verum sit & experientia comprobatum, audet tamen contrarium astruere. Nõ addimus quam ineptus sit in enunciationibus expediendis, dum bonus ille Physicus collationem seu comparationem quandam pro commissione fingit. Nec illud attingimus, quod cũ experientiam policitus fuerit, ab eadem turpiter destituatur. Id quod infertur per, igitur, examinamus. *Aut igitur*, inquit, *celerior futura est mutatio Elemẽtorum inter se quæ vtraque qualitate inter se pugnant, quam aliorũ: Aut certè alterius interitus sequi solet, quod in aqua igni infusa videmus euenire.*

Adhuc Scotus. Prius disiuncti membrum videbatur ex mendacio isto absurdo consequi: quomodo autem posterius? An vt contradictio, si alterum contrariorũ non sit, alterum statuatur esse? At, inquam, mutari inter se, & interire alterum, sunt vnum & idem, nec differũt. Quid ergo bonus noster Dialecticus disiunxit? quid tam bellus physicus statuit? Accipimus illud per, certe, contestatum Axioma, quod alterum necesse sit interire; at hoc Aristoteli est mutatio? Ignis autem non in nihil transit; mutatur ergo in aliud siue proximum siue remotum. An Scoto ista mutatio alteratio est? non opinor; nam ita grandius & absurdum & iniuriam philosopho factam incurreret, cui de generatione sermo est, non de alteratione; & dum vnum Elementum contrarietatem habens mutatur in alterum, id alteratio neutiquam est. Notetur insuper & hoc, quod de ignis interitu confitetur, de quo supra sufficien-

ficienter diximus. Sequitur prolepsis de causa facilioris aut difficilioris transitus per qualitates dictas. Nam hoc aliquis cerebrosus videbatur negare posse, quasi formę similes essent causæ transmutationis celerioris, non qualitates. Negat Scotus similitudinem esse causam; quia potius dissimilitudo id efficiat. Argumento, quod futurum esset vt idem à se ipso commutaretur. Interpretamur formas per essentialē causam, per quam res est id quod est. Nam videtur eò tendere prolepsis. Alioquin si formas quales seu affectiones intelligit, non videmus cur ista adiecta velit. Hoc enim manifestum est actionem & passionem inter qualitates formasq; seu species similes nō esse. Sed vtrauis accipiatur; verumq; esto, similia, quâ talia, inter se non pugnare. Ecquid inde consequens est? Nempe quod symbolum habentia non tam infestè pugnent, quàm ea quæ symbolum non habent. Nam alteram qualitatem etsi non eandem omnino, similem tamen habent illa; hæc verò vtramque dissimilem, imò aduersam. Fiet etiam vt quo dissimiliores sunt formæ, eò inimicior sit dissensio & pugna vehementior: atq; inde celerior sed tardior victoria. Quorsum iam illa supra memorata æqualitas, quæ iam duplici ipsius Scoti argumento corruit? Sed pergit euertere Aristoteleum axioma de mutatione celeriore symbolicorum: *Demus*, inquit, *celeriorem fieri transmutationem, &c.* Dat quod tamen statim eripit, idq; citra conditionem mira admodum versutia. Inde duo absurda promit, præter ea quæ relinquit, hoc est, nulla omnino. Nā quo est in Aristotelem animo, nihil indictum reliquisset, si quid, quod proferret, habuisset. Prius absurdum est: *Si in symbolicis facilius vincitur vnū quàm duo, eadem qualitas maneret in re genita, quæ fuit in corrupta:*

Sed hoc absurdum Aristoteli: Ergo & illud, ex quo sequitur. Connexio inde est; quia cum semper duæ sint coniunctæ, si vna tãtum vincitur; altera manebit: quod videtur absurdum esse. Nam corrupto subiecto, quo pacto manebit adiunctum? Posterius absurdum est; *quod isto modo eadem res numero salua permaneret, & tamen omnino interijsse & in aliam conuersa diceretur.* Probatio huius seu illustratio est: Qualitas aut forma est philosopho, aut pro eadem habetur: In symbolicis manet vna qualitas: ergo forma manet: hac autem manente, res non corrumpitur. Contrà, perit etiam forma; ergo eadem res quoque perit. Et sic vna eademque manet & non manet eàdem Essentiâ. Declaratur verbis Aristoteleis & exemplo ignis & aeris, aquę & aeris. Nam cum ignis mutatur in aerem, forma caloris manet, forma siccitatis mutatur: Concludit: *quis ergo non eandem qualitatem numero, eodem modo se habentem, cum nihil à contrario passa sit, vel Aristotele iudice, vel acceperit, esse in re genita, quæ fuit in corrupta? Item eandem rẽ manere & in aliam speciem diuersam mutari.* Respondemus ad prius; quod Elenchum homonymiæ committat. Philosophus enim non statuit in transmutatione symbolicorum manere vel non mutari alteram qualitatem quâ consentiunt, numero, vt calumniatur Scotus; sed specie. Nam calor manet dum ex igni fit aer; at non ignis calor. Hic enim interijt. Nec hîc omnis mutatio negatur; sed resistentia tantum. Nam promptè calor igneus victa altera qualitate adiuncta, cedit in calorem aeris. Quod autem pro absurdo habet, qualitatem vnam manere in re genita, quę ante fuit incorrupta, id nobis absurdũ non est. An enim dum ex semine fit animal calor vegetans non manet? an dũ ex aqua fit aer, perspicuitas abolescit? nõ omnia mu-

mutari necesse est: satis est specifica & propria, quæ formā & vnionē essentiæ proximè & inseparabiliter sequuntur, permutari. Alterū absurdum planè puerile est. Affingit enim cuilibet Elemento plures formas essentiales, id quod Aristoteli est monstro simile, si quidem actus intellexeris substantiales. Interim potētia vni inesse formas plures pro numero diuersarum partium quid prohibet? has aūt mutari deperdita totius forma nō esse necesse, vt videmus in mactatis animalib. quanquam cū nomine officiū prius amiserint: sicut nec communes qualitates materiæ priori innixæ non necessariò pereunt. Quo pacto autem Aristoteles qualitates dixerit formas, supra expositum est. Eodem fundamento Scotistico possem alterationem expugnare, si ineptire liberet. Scotistica calumnia id non vacat, quod Arist. asscribit eandem numero & eodem modo se habentem caliditatem in aere ex igni facto manere, quæ fuerat antea in igni. Quomodo enim potest esse eadem, cum in aere cōiunctam habeat humiditatem, in igni siccitatem? hactenus de absurdis. Attexit autem quædam ex prçcedente quæstione de transmutatione ignis in aerem, quam negat fieri posse; argumento: quia aerea humiditas non possit vincere siccitatem igneam, eamq; interimere, quia ea sit apta ad alendum semper ignem, nō restinguendum; indicio, quod flammam concipere nihil possit, quod ea est destitutū; quia sola profectò humiditas aquea eam vim habeat, vt restinguat siccitatē ignis. Quorsum ista tam odiosa tautologia? quorsum tam putida implicatio? negat siccitatem ignis ab aeris humiditate posse extingui: quid tum inquam? at ab aquea extinguitur, aut etiam ab alijs causis. Si siccitas sit extincta ab humiditate; ecquid succedet

Si essentia ignis est cal. sic. in sua materia: & cal. sic. est forma ignis: Vtra qualitas pereat, necesse est formam periisse. Nam vna qualitas formam non facit. Vix ergo intelligit Scotus id quod dicit.

in materiam proximè; an non ob similem effectum humiditas? maneat iam calor: quale Elementum emerserit? an non calidum humidum? atque hoc ipsum est in ordine Elementorum naturali, aer. Cur ergo negatur ignis in aerem mutatio? cur tam sæpe conceditur ignis extinctio, si ille in nullum aliud Elementum vertitur? solam humiditatem aqueam id virium habere vt ignem extinguat valde audacter more imperitorum & cum adiuratione, vt scurræ circumforanei solent, pronunciatur. σβέσιν, quæ est alter modus, quo ignis corrumpitur, scimus violentam esse, posseq; fieri ab aqua; sed valdè discrepanter. Nam non omnis aqua ignem extinguit, cum quædam etiam accendat & foueat, vt diximus supra. Deinde in flamma, quæ vt volunt verus ignis Elementaris non est id tantum locum habet. De vero igni Elemētari dicit philosophus quod tanquam forma sit ad reliqua Elementa, in quibus tanquam in materia esse possit; nec Scotus dissentit. Quomodo itaq; sola aqua, eaq; vt est humida, ignē extinguat? Nolumus quærere an extinctio sit solius siccitatis interitus: opponimus experientiam quæ multa candentia & inflammata non aqua sed terra iniecta domat, eaq; melius si sit frigida. Terra sicca ignem non extinguit qua siccus est. Oportet itaque alium & diuersum modum extinctionis esse nec sola in aquæ humiditate causam solā. Philosophus solet hāc κατάπνιξιν vocare ὡς ἐπὶ τῶν ἀνθράκων, ἂν ὦσι παραπεπωμασμένοι, quanq̃ in materijs diuersis diuersæ concurrunt causæ: in alijs intercipitur & præripitur pabulum; in alijs principium iugulatur corpulentia & ἀθροίσει aquæ; in alijs quid occulti accedit: de quibus alibi. Quid quod in igni calor potissimum inueniatur, quo tabescente aut vi extincto, an non potis-

potissimum ignis sequitur corruptio? Non negamus siccitatem ignis posse vinci ab excedente humiditate aquæ; sed aduertere oportet, an id fiat ab humido, vt humidum, an concurrente alia causa. In In transmutatione simplici humidũ opponitur sicco simpliciter: & contrarium extrudit contrarium. Primum itaq; ab humido vinci & expugnari siccum oportet: κατὰ συμβεβηκὸς etiam alias ob causas vt calore, immobilitate, frigiditate, &c. Quid si humidum non in aqua solum sit, sed & in aere; quorsum, *profectò sola aquæ humiditas, &c.* tam temerè enunciatur? Aerem alere flammam, non extinguere, non est κατὰ παντὸς. Est enim quidam à quo iugulatur & suffocatur, vt halituosus ille qui ex fumarijs prorepit & lychnos vel igniculos adhibitos statim interimit. Alium fouent specus subterranei & scaptensulæ, qui ignẽ haud facilè patitur, sed promptè strangulat. Nec ali potest caliginoso vaporosoq; sed viscido, pingui & ita idoneo. Quæ omnia ad experientiam quã tantopere sibi sed sed stolide arrogat, reuocare Scotũ iubemus, memorẽ sententiæ eius, qua ad calcẽ huius, in philosophũ inuehitur. Ab ignis extinctione ad aerẽ transit noster λαυτολόγος. Negat huius caliditatẽ vinci ab aquę frigiditate posse: quia qualitas aeris poti⁹ vincat qualitates aquæ & terrę vt hyeme & æstate apparet. Dicimus; aut ab aliena causa fieri id debere, aut ab ea ipsa in quam fit mutatio. Si ab aliena, cur negabat ignis in aerẽ mutatio, eã ob causam q̃a aer nõ posset ignẽ in sui naturã vertere? Nã si nõ ab aere, at ab alia poterat verti. Si ab ipsa in quã fit transmutatio quia simile ad similẽ tendit naturaliter effectum; cur hîc id fieri negatur? cur aer in aquam solus verti supra dicebatur? argumentum autem eius ab accidentaria violentaq; dispositione ar-

Mirum est si aqua potest ignem domare, aerẽ verò nequaquam.

guit naturam.O Logicum egregium, Elēcho κατὰ τὶ tam bellè hallucinantem. Ista dispositio, Scote, & qualitas in aere exuperans non est per se aeris sed ab alia excitatur causa, vt cælesti motu & virib.&c. Et imprimitur tam terræ& aquę, quàm aeri, licet prius in aerem, qui propinquior est cęlo, disseminetur, & per eum non vt primum agens, sed vt instrumentariam causam deuehatur. Non autem esse propriam istam dispositionē, inde patet, quod vno & eodem tēpore diuersis partib. sui diuersas qualitates idem sustineat Elementum. In puteis altissimis, vmbrosis locis, cellis & alijs aerem esse nōne fateris Scote? Fateris & hoc, eum, præsertim qui in puteis est, cohærere cū aere patente: at si idē est subiectū & continuum, cur nō habet eandem qualitatē; si ista mutandi vis est aeris propria? cur non mutatur aer, corpus ad modum mutabile in frigidissimum, potius quam aqua & terra, quæ mutationē nō facilè admittunt; si ista vis in aere est? An etiā terra Scoto est superficies terræ, & aquæ planities, aqua? Atqui hæc est experientia Scoti. Non sufficit dicere; *qualiscunq; qualitas est in aere, talis in aqua atq; terra est*. Addit; *atq; in his omnibus quæ his continentur, euenire solet*. Hîc attēde Scote: hyeme homines sæpe sub dio accendunt ignes, aere frigus summū obtinente; ignis ille continetur in aere; num frigus tunc in igne est sicut in aere? in terra cōtinentur aquæ, aer, & alia multa; tunc Bruma riget; atqui ista minimè rigent? æstate contrà se res habet adeo vt ne in vmbraculis quidem minimis eadem sit qualitas, quæ est in aere radioso. Ad te ipsum redi; in aere frigidissimo es hyeme; at tuus venter tunc calidissimus, quin & extrema tua non sunt sine calore. Ingredere vaporarium: in aere opinor calidissimo eris; atqui tua possunt esse frigida? mirificētissimæ

ſimæ ergo phyſicæ Dædalus eſt iſte Taurinenſis Scotus, idque eo magis quia λίαν μέγα ἄϊτημα ſubiungit more ἐπαγαγόντων. Nihil vnquam contra accidit: profectò lepidus es cũ iſto tuo ſuperficiali cerebello Scote; nam veluti canis Nilum deguſtat, aut hurũdo in ſummis aquæ oberrat, ita tu in rerum naturalium contemplatione facis, & vltra cuticulam tuã nihil ſapis, multo deſipientior paſſeribus & piſcibus, qui in penetralibus diuerſam à ſuperficie qualitatem, ſibi nempe amicam, quærere & inuenire norunt.

Sed cur nihil contra accidit? An non aër ab aqua mutatur? an non ab igni? Equidem in parte hoc videmus: in toto cur nõ accidat? An vnquam pluuius Auſter in tuo ſolo Scote à te viſus aut perceptus eſt aquam effundere? Niſi vmbraticus es, vidiſti opinor at tunc ſiccitas aëris mutatur in humiditatem, nonne? A qua cauſa niſi quia pluuia, quæ eſt aqua, decidit? Idem in pluuijs frigidioribus iudica. Tu etiam ſi quem Medicinam facientem, in æſtuoſis corporibus vidiſti: an non deprehendiſti aquæ frigidæ conſperſione aërem in conclauibus fieri humidiorem & frigidiorem? Miniſtræ germanæ id crebro factitant cum ſcopis pauimenta expurgare volunt. Idem eædem incenſis lignis moliuntur. Ecce te phyſicum etiam ancillis noſtratibus in phyſicis infantiorem ſtultioremque. Mobilem habes ad iurandum linguam. Itaque ſępe audimus, *profectò, certe &c.* concludis;

Quod profectò argumento eſſe poteſt, maiorem vim frigoris in aëre, quam in aqua eſſe, quia maiorem vim congregandi habet.

Cur omittis calorem, humorem, ſiccitatẽ Scote? Nam eæ quoq; qualitates per aërem cõmunicãtur

ſubiectis corporibus. An non de inſita loqueris & propria, ſed de accidentaria? Atqui illud ſequitur; tã quam enim aduerſum quid diceres & diſiunctum, infers; *aut certè eas qualitates non eſſe à naturâ ingeneratas Elementis, ſed potius iis à motu cœli & Solis conuenire exiſtimandum eſt.* Quæſo te, bellè phyſice, vtrum præualet, Illud ne tuum, *profectò*, an hoc tuum, *certè*? Si illud profectò eſt, hoc non erit certè: Etſi hoc certè; illud non profectò. Non enim vna & eadem qualitas ratione eâdem natura ineſt & nõ ineſt. De exceſſibus tibi facilè cõcedem', eos eſſe aliunde: at tu ſupra diſputaſti calidum humidum, frigidum, ſiccum neutiquam naturâ ineſſe, vt non Cardanum ſequereris ſed abſurditatum patrocinio vinceres? Quo ergo te pacto excuſabis? Sed quid veri habet hoc quod ais frigiditate aëris concreſcere aquam? An non tu ridiculus es qui audes aqueam frigiditatẽ vno eodẽq; tẽpore in vtriſq; hærẽtẽ inferiorẽ facere frigiditate aëris, cũ qualitas tanto ſit intentior in aqua, quãto hæc eſt corpulẽtior? Et ſic in terra ſimiliter. Nonne rara & tenuia corpora obtinent qualitatẽ rariſſimã atque ita vt etiam inflammata tamen non vrant? Sicut in vini ſpiritu accenſo videmus, quem ego ſæpe infuſum linteolo & manui, incenſumque vrentem nec vidi nec ſenſi. In illo ſanè fortior eſt qualitas, in quo diutius manet. At in aqua & terra manet diutius frigus brumale. Nam etiamſi inceperit incaleſcere aër, tamen lapides & ferramenta & aquę valde adhuc frigent. Imo allabentem humidum aërem in pruinoſam concretionem vertunt. In quo iam ea vis eſt Scote? In aëre an in aqua? In hac nempe. Atqui hæc eodem frigore etiam concreuerat primum? Non ergo frigore aëreo, licet id per aërem ſit cõmunicatum. Portentum illud, quod Elementis nulla ſit

la ſit propria qualitas prima, ſupra eſt refutatũ, vbi etiam dicta philoſophi ſatis ſunt explicata. Totum ergo id Chaos ταυτόλογον in abyſſum ſtoliditatis & imperitiæ præceps damus. Nouum tamen videtur hîc ponere argumentum; quod Elementis illæ qualitates primæ ideo non ſint propriæ, quia interirent ijs demtis. Verum eſt rem interire, ſi propriæ affectiones tollantur. Nõ enim ignis eſt, ſi non ſit calidus ſiccus naturâ. At, Scote, quis te ab accidentarijs iſtis iuſſit argumentum petere? Non interit aqua, ſi alienum frigus tollas; at tolle proprium, cum humiditate coniunctum: an manebit aqua ſublata humiditate? An etiam ad frigiditatem ex aduentitio humore poſſet ſua ſponte vel tepido aëre redire aqua, niſi frigiditas ineſſet naturâ? Si etiam aliquis calor eſt qualitas Elementaris, vt non negas Scote, cum diſcernis tres calores, an non ſi vni Elemento ineſt pręter naturam, alicui debet ineſſe ſecundum naturam? Aut ſi calor præter naturam adeſt aquæ, an nõ frigus, quod eſt contrarium, aderit naturaliter? Cõcluditur iam ſeu perficitur tam præclarus fœtus, quem tanto cum faſtu parturiuit hactenus Taurinenſis ille tam bellus phyſicus; quod inanis ſit ea tota diſputatio, quam habuit Ariſtoteles de proprijs Elementorum qualitatibus, numero, tranſmutatione &c. Equidem Scote, etſi tu protuleris imo effuderis portentoſiſſima monſtra & craſſa enormiaq; mendacia & atrociſſimas calumnias, non tamen auſim dicere diſputationem tuam eſſe inanem. Nam hoc puto, quod etiam mendacia tua poſſint veritatem ab aliquo patrono defenſam illuſtrare & cõfirmare, quod valde ſplendidum eſt effectum & vſus præclarus. Quî ergo fit vt tu non verearis de luce Ariſtotelea id efferre, quod ego de tuis tenebris non

dicerem? Acutam & subtilem vocas disputationem illam Aristoteleam; at nos subtilibus sophismatis enucleandis non parum iuuamur ad veritatem agnoscendam. Cur ergo damnas vanitatis Aristotelea? Acutam vocas, at eam alienam à ratione: quomodo talis potest esse acuta? Negas physica eius præcepta congrua esse rationi, sensibus, experientiæ: qua id fronte facis? Nempe ea quæ ab omni ratione exulat, sensibus est destituta & ab experientia defecit.

Multus fuisti in experientia promittenda, at in demonstranda aut adducenda ferè nullus. Hęc cum tibi persuaseris vera esse sicut stultè blateras, illud tuum *profectò* adponis, ne quid fortè in physicis tanta cõtrouersia passim agitatis sine enormi affirmatione adiurationeque proferatur, quasi iam antiqua ista querela è medio esset sublata, quam sapientissimus quisque de contemplationis difficultate semper in ore habuit. Lubet ipsi & non immeritò retorquere inscitiam in physicis Platoni verè & facetè, vt inquit, obiectam, in Aristotelem. O immeritum de Scoto discipulo præceptorem Aristotelẽ, qui cum ei palma ingeniorum à summo viro Io. Ludouico VIVE Valentini F. deferatur, stolidæ imperitiæ ab imperitissimo Scoto immeritissimè condemnatur. Sed vt nostri dicunt, Cuculus suum nomen.

Est autem prolixus in hoc conuitio; nam hîc est proprius Rameorum campus, in quo se se exercere crebro solent. Vltimo concludit quæstionem totam de generatione simplici Elementorum ex Aristotele contra Aristotelem. In hac conclusione iterum notamus, quod Scotus dicit Elementum non nisi ex Elemento oriri posse; quod ita disputa-

uit vt non κατὰ παντὸς sed κατὰ τι seu κατὰ μέρος tantum iudicet esse verum. Deinde apponimus illud quod complectitur his verbis: *Hinc plane perfecteque intelligimus ortum simplicem nullum esse ratione Elementorum: Nec in ijs ipsis generationem simplicem & absolutam aut aliquando incepisse aut horum ratione esse, aut vnquam esse potuisse.* Quomodo hæc Scote consentiunt: *Elementum non fit nisi ex Elemento*: Et, *Elementorum ratione nullus est ortus simplex*? An non si generantur Elementa, illa simpliciter fiunt? An non superius dicebas, aut non esse orta aut non ita? Cur hîc omnia negas? Sed cur nullus ortus simplex est in Elementis? *Nempe quia ea sunt æterna*: Atqui esse potest etiam hoc posito, sed non eodem modo: *Deinde, quia quoduis est diuiduum*: quorsum hoc Scote? an ideo non est ortus, quia Elementa sunt diuidua? Elleborum Scoto: desipit in tota Logica & Physica. Sed perge: *Quia quoduis est praditum grauitate & leuitate aut vtraque*: O hominem impudentem, num ideo non est ortus, quia Elementa sunt grauia & leuia? Ecquid obstant hæ affectiones generationi simplici? Vltimò: *Elementum non fit nisi ex Elemento: ergo non est ortus simplex.* Contradict.

Atqui hoc ipsum oriri simpliciter est? Sed quid expectamus conclusionem meliorem, quam pro antecedentibus? Portentosa illa absurditas nihil gignit nisi absurdorum portenta; vt verum sit illud philosophi: DATO VNO ABSVRDO, SEQVVNTVR INFINITA.

Hactenus quantum Deus dedit virium contra Iacobi Martini Scoti in Aristotelem commenta disputauimus; & primam partem instituti operis absoluimus, in quo ipso si non omnibus satisfecimus, aut qua oportebat dexteritate

rerum

rerum naturam explanauimus, meminerint viri boni nos homines esse ingenij fortunæq; variæ: nec sẽper ea succurrere quæ alioquin optimè meditata fuerant. Sæpe fortunæ nubila, sæpe cerebri molestiæ, id obscurant & præripiunt, quod alioquin explicare poteramus solertius. Nobis videtur aduersarius ipse eo facilius istam defensionem cõcessurus, cum post tot mendacia & monstrosa commenta in Aristotelem effusa, ipse fidẽ operi suo abroget, & quod scripsit damnet; monstrata stropharum solutione per nescio quam malè feriatam hypothesin: quasi Aristoteli libuerit, confictâ falsâ hypothesi, quædã consectaria otiosa & inutilia mundo obtrudere, vt si ego dicerem; *Si Scotus est vir bonus, non mentitur, non calumniatur*; & quæ plura possem attexere. Sed ista neutiquam excusant inuectos errores. Quam gratiã & oblectationem in maledicendo habuit, eam malè audiendo discat amittere. Si hæc placere studiosis Aristoteleæ disciplinæ cognouero; non grauabor totum chaos Rameum viribus ar misque dignis, Deo volente, expugnare.

***

DEO GLORIA.



FRANCOFVRTI AD
Mœnum, impensis Petri Fisceri,
& Ioannis VVecheli,
sociorum.



ANNO M. D. XCI.

